



# ANNALES LITERARII.

CVRA

HENR. PHILIPP. CONR. HENKE

ET

PAVL. IAC. BRVNS,

PROFESSORVM HELMSTADIENSIVM.

ANNI MDCCLXXXII.

VOLVMEN II.

HELMSTADII

TYPIS MICH. GVNTH. LEVCKART.



# ANNALES LITERARII.

CVRA

HENR. PHILIPP. CONR. HENKE

ET

PAVL. IAC. BRVNS,

PROFESSORVM HELMSTADIENSIVM.

ANNI MDCCLXXXII.

VOLVMEN II.

HELMSTADII

TYPIS MICH. GVNTH. LEVCKART.



# ANNALES LITERARII.

IVLIVS
ANNI MDCCLXXXII.

## I. *Anecdota.*

### *De codice Euangeliorum Syriaco Bibliothecae Guelpherbytanae.*

Licet non ignotum ſit Guelpherbyti codicem Euangeliorum Syriacum vetuſtiſſimum aſſeruari: tamen nemo, quantum ſcio huius codicis accuratam protulit deſcriptionem: quare non ingratum fore ſperamus lectoribus Syriacae linguae peritis, quod hunc codicem diligentius inſpiciendum nobis ſumſimus. Ex indulgentia enim SERENISSIMI PRINCIPIS NOSTRI eum nunc Helmſtadii perluſtramus. Codex formae quam vocant folio min. foliis conſtans 280. complectitur Euangelia Matthaei, Marci, Lucae, Iohannis Syriace, e verſione Simplici, charactere vetuſto Eſtrangelo exarata. Tituli librorum et lectionum, quibus libri diuiſi ſunt, item numerus lectionum, minio diſtincti ſunt. Ex epi-

epigraphe patet, codicem anno (intellige Graecorum) 945. i. e. C. 634. ſcriptum eſſe, neque facies codicis huic aetati repugnat. Guelpherbyti igitur codex ſeruatur, omnium in Germanicis bibliothecis proſtantium procul dubio longe antiquiſſimus; neque in aliis Europae librorum collectionibus proſtat MStus Syriacus annum ad Sec. VI. pertinentem prae ſe ferens (v. BRVNSII Orat. inaugur. p. XVII. not. *). Hunc vero theſaurum in ſuo genere vnicum ATHANASIVS KIRCHERVS AVGVSTO, Duci Brunſuic. donauit Romae a. 1666. Epigraphe in figuram crucis circumducta eſt picturae neſcio cuius ſancti vel martyris. Hanc quia Syriacis literis deſtituta eſt officina Leuckartiana, Hebraice expreſſam exhibemus.

בשנת תשעמאא מה אנרקטיונא דאברמא
קנום כר דכנון קרים אתתקן כתבא הנא
קדישא דמתי מרקוס לוקא יוחנן בחפיטותא
רבתא׃ הוו בה דין קרינא דכלהון עארא
דאית בשנתא ודטכסא אחרנא׃ ושוורעא
משחלפא דאית בהון באונגלסטא וקרמה
הנא חדתע דפאטלא׃ ודטבעא הוא גיר
בעורנא דאלהא ודהלין סהדא קדישא
דבית חלא קשישא מרי׃ אלוס דרמוסקיא
תנינה דילה דרישדירא עם שרכא. דכלהון
קשישא

קשישא ומשמשנא ואחותא כלה בריכתא
ונטירת מן אלהא הנא דאמיר רבית חלא·
דאלהא הו דמטל שמה קדישא הות להון
הרא בטילותא· הו נתל אגרא טבא עם הלין
פעלא אחרנא דפלחו בכרמה דמשיחא·
ונשוא אנון דנגעלון ככרא הי דאתהימנו
באפא גליתא· כר שמעין הי ברת קלית
דאמרא· ראו עברא טבא ומהימנא על
קליל מהימן הוית על סני אקימך· עול
לחרותה דסרי· אמן *Anno* 954. (i. e. C.
634.) *indictione septima* (εβδομη) *ipso* 24 *die Canunis prioris constructus est liber hic sanctus Matthaei, Marci, Lucae, Iohannis, cura magna. Insunt ei lectiones omnium festorum annuorum aliorumque ordinum, et diuersa symbola Euangelistarum. Atque hoc volumen foliis indicibusque constans nouum est. Factum enim est auxilio Dei et sanctorum testium Beth-Helensium, senioris Mar Alus Damasceni vicarii praefecti coenobii et reliquorum seniorum et ministrorum item sororis benedictae Deoque gratae ante dicti Beth Heli, quod magnam curam propter nomen eius sanctum impenderint. Hic dedit praemia bona etiam aliis operatoribus, qui in vinea Messiae operati sunt, dignosque illos habuit, quibus talentum istud concrederet, quod manifesto fidem adhibuerunt, quum*

*audirent, quae diceret; o ferue bone et fidelis in re exigua fidelem te gessisti, multis ego te praeficiam. Intra in gaudium Domini. Amen.*

Alia epigraphe in transuersa cruce scripta tradit tempore Iohannis Patriarchae Antiocheni et Thomae Episcopi e coenobio Rabanensi מן עומרא רבית רבנא (v. de hoc coenobio ASSEMANI Biblioth. Oriental. T. III. P. I. p. 254. 255.) codicem hunc 4 Euangeliorum exaratum esse; additque, Martebani praefectum fuisse coenobii Beth Hela in regione Damascena. Iohannes ille procul dubio idem est, quem ASSEMANVS B. O. T. II. p. 334. inter Patriarchas Iacobitarum recenset ordinatum anno Graecorum 942, mortuum 960. quae tempora anno scriptionis codicis 945 egregie conueniunt. De coenobio Beth Halensi, quod Arabice *Dair al Tin* coenobium luti appellatur, agit ASSEM. T. III. P. I. p. 205. Situm est in vicinia Hadithae, quam BÜSCHINGIVS affert in Geogr. P. V. p. 264. Primum totius codicis folium aduersum (in auerso Euangelium Matthaei incipit) commendat Theclam filiam Chorbasilii ob varias quibus exornata fuit virtutes, quod egenos et hospites liberaliter suscepit, templaque condidit. Mortua est anno 1427. i. e. Christi 1116. Haec charactere rudi

di et ſordido, licet Eſtranghelo, expreſſa narrantur. Dignum eſſe codicem qui cum editis conferatur, vel antiquitas eius luculenter demonſtrat. Nos iſtam operam ſuſcepturos eſſe, in praeſens ſpondere nolumus. Percurrendo MStum deprehendimus, etiamſi meſſis variarum lectionum non ſperanda ſit, tamen ſpecilegium non defuturum eſſe; e. g. Matth. V, 17. MS. לא אתית דאשרא. edit. omitt. אתית quod eſt in Graeco. *ουκ ηλθον καταλυσαι.* ibid. VI, 32. MS. omittit pariter ac textus Gr. דעלמא quod reperitur in editis. Ioh. II, 14. MS. דמזבנין, quae lectio notata eſt in Tom. 6. Polygl. Londin. Id quidem ſilentio premere nec poſſumus nec debemus, a codice iſto in ſuſpicionem nos inductos eſſe, in Gutbiriana N. T. editione, Schaafiana, aliisque communibus varia reperiri ſupplementa et gloſſas, quae fortaſſe in nullo MSto Syriaco leguntur. Res eſt notiſſima, locum 1 Ioh. V, 7. a TREMELLIO primum margini adſcriptum in ipſum textum a poſterioribus editoribus inuectum eſſe. Idem aliis locis eueniſſe videtur. SCHAAFIVS in variis lectionibus ad Matth. XXVII, 35. monet, verba *ινα πληρωθη* vsque ad *κληρον* in margine editionis TREMELLII, in Regia Plantini, etc. legi. Quid ſi haec verba a TREMEL-

LIO margini editionis suae contra fidem codicum MStorum adscripta, ab aliis editoribus in contextum recepta sunt? Saltem codicem qui praeferat ostendi, eo magis necesse est, quia margo Syriacae posterioris verba in versione simplici desiderari diserte affirmat. Absunt etiam codici Guelpherbytano, et multis Graecis aliisque codicibus. Iidem MSti Graeci, qui haec verba omittunt, saltem maior eorum pars, consentiunt in omissione verborum νεκρȢς ἐγείρετε. Matth. X, 8. Hos collatio Schaafiana abesse docet soli editioni Viennensi. Desiderantur etiam in cod. Guelpherbytano. Num ex ingenio editorum, an codicum auctoritate inserta sint, mihi nondum liquet. Luc. XXII, 17. 18. desunt in MSto nostro et editione Viennensi. SCHAAFIVS variam lectionem praetermisit; sed cl. BODE in Pseudo-Crit. Mill. Bengeliana ex MILLIO affert, TREMELLIVM versus textui reposuisse. Num in his coniecturae suae indulsit, an codicum auctoritatem secutus est, dicere non habeo. Mihi, vt vno verbo dicam, omnia TREMELLII supplementa interpolationum suspecta sunt. Sed res non nisi plurimis consultis MStis Syriacis confici potest.

---

II. De

## *II. De libris nouis.*

D. IOANNIS HEDWIGII *fundamentum historiae naturalis muscorum frondosorum concernens eorum flores, fructus, seminalem propagationem adiecta generum dispositione methodica, iconibus illustratis.* Lipsiae sumtibus Crusii. *Pars I.* 1782. 4. 18 plagg. 10 tabul. aen.

Vt argumenti huius elaboratione docta et diligenti aeque ac subtili et laboriosa magnam sibi conciliat clar. Auctor gloriae famam, sic bibliopola applausum quoque meretur ob splendidam huius operis editionem, nitidamque figurarum aere incisarum ab ipso Auctore pictarum.

Res tractandae capitibus duodecim continentur, quorum *Caput I. De definitione musci.* Ex idea Auctoris musci sunt plantae fructu calyptrato instructae. Lycopodia e muscorum numero excludit. Sphagnum calyptra non carere contra alios probat. Iungermannias, Marchantias polymorpham et conicam al. adiudicat muscorum familiae. Quum vero Capsulae praeprimis apertura maxime discrepent, in duas vel quatuor valuas secedendo; illos, qui operculum vel retinent vel deiiciunt, horum respectu *frondosos* nuncupat, quo Po-

 rellam,

rellam, Sphagnum, Phascum, Splachnum, Polytrichum, Mnium, Bryum, Hypnum, Fontinalem et Buxbaumiam, vt genera hactenus vsitata, refert. *Cap. II. De instrumentis et encheiresi in his obseruationibus necessariis*, vt eo certius ab aliis experimenta Auctoris repeti et examinari possint. Ob partium muscorum minutiem, quam ne acutissimus quidem oculus assequitur, adhibendum erat microscopium compositum, cuius lentes ad mensuram lineae Paris. 6xies, 10. 20. 30. 62. 170. 290ies obiectum e diametro auxerunt. Tenacula minuta. Acus ancipites manubiolo infixi. Cultelli tenues, acutissimi, quibus squamulae, floris partes intra perichaetia contegentes conuelluntur, ne florum contemplationi obstent. Lamellae vitreae planae et excauatae pro suscipienda aquae guttula, cui flosculus aliaeque particulae musci immittuntur, ne iusto citius exarescant et crispentur, microscopio subiecti. *Cap. III. De radice muscorum.* In quolibet genere radices adsunt. Proueniunt ad basin caulis, ex alis foliorum et nonnumquam ex fructificationis loco. Ramoso fibrosae simplices, quibusdam palustribus repentes. Coloris vt plurimum fusci, interdum nigricantis et albidi. *Cap. IV. De caule muscorum.* Paucissimis deest. Plurimis valde exiguus foliisque

liisque obtectus. Mollior et ſucculentior annuis et biennibus; ſolidior et ligneae quaſi conſiſtentiae perennibus. Directione erectus aut incuruatus aut inclinatus. Aliis ſimplex, ramoſus aliis. Perennes imprimis maturato fructu nouas vndique progenies protrudunt ad annum futurum. Alii ad baſin floris, ſubinde ex ſua coronide vnum, duos pluresue ſurculos florigeros vnde ramoſi apparent aut faſciculati rel. Alii in caule alii in ramis florem et fructum gerunt. Caulis ſuperficie tomentoſus ex adhaerentibus radiculis, aut glaber, villoſus. Teres, anguloſus a foliis decurrentibus. Diameter caulis aſcendendo increſcit. Medulla eius cortexque vaſis et fibrillis parallelis celluloſa nexis refertus, epidermide tectus. *Cap. V. De foliis.* Radicalia minuta ſunt, permanent. Deſunt petiolata, compoſita, profundius lobata et angulata. Seſſilia adſunt, decurrentia et amplexicaulia: alterna, adpreſſa imbricatim, patentia, erecta, recuruata: plana, concaua, ſulcata, ſtriata: ratione ambitus diuerſa, integerrima pleraque, crenata, dentata, ſerrata, vndulata, cartilaginea: Superficie inaequalia, ſpinulis obſeſſa, aut verrucis: vaginantia quaſi ſingularis formae et duplicaturae: rigida, carnoſiora; pluriima membranacea. Perelegans rete vaſculoſum

losum in his, interiectis areolis, ad basin amplioribus plerumque, parenchyma praesertim circa mediam solii partem magis aggregatum coloratum vehentibus. Folia persistunt vel marcescunt. *Cap. VI. Auctorum de partibus fructificantibus in muscis placita.* DILLENII, MICHELII, LINNAEI, HALLERI, ADANSONII, HILLII, SCHMIDELII, MEESII, KOELREVTERI, NEKERI. *Cap. VII. De flore et muscorum quidem in genere.* Pars plantae generationis organa continens dicitur flos. Muscorum plurimi flores sunt dioici, pauciores monoici, paucissimi hermaphroditi, non desunt polygami dioici. Oriuntur ad basin, ab extremitate vel per longitudinem caulis et in ramis eiusdem e foliorum alis. Mares saepius alium, aliumque locum feminae occupant. Exilissimi, gemmulam haud raro referentes. Ob similitudinem masculus et femineus facile confunduntur. In femineo diameter longitudinalis transuersalem plus excedit, quam in masculo plerumque, nisi femina summum caulis fastigium tenet et mas gemmifomis ex alis foliorum prouenit, vbi tunc ratio illi contraria. Atque hoc de vero florescentiae statu valet. Calyptra enim extra inuolucrum eminente, immutatur haec facies comparatiua. Flores emit-

emittuntur eo tempore, quo capsula operculi detrusionem parat aut perficit. *Cap. VIII. De staminibus muscorum*; ceu plantae partibus masculinis. Nec figura nec colore adeo variant, ac aliarum plantarum stamina. Cylindrum arcuatum formant obseruata in rosulis Polytrichorum et Mniorum LINN. ac in gemmulis Fontinalis antipyreticae. Forma plerumque globosa. Numero octo, duodecim plures. Figura cordata, ouali, filo succulento circumdato. Colore dilute viridi aut albicante. Filamenta breuissima, alia quidem aliis longiora, succulenta et parenchymatica ante praestitum antherarum officium. Antherae filamentis insident. In quibus delitescens granulosum opus vix non per omnes species transparere ope microscopii obseruatur. In cylindricis et cordiformibus antheris superficiem acuminatam occupat particula pellucens, hic omnibus pollen emittendi locus est. Antherae polline eiecto marcescunt cum filamentis, obscurius coloratae, breui saepius euanescentes hiatum relinquendo. — Corpuscula in Mnii pellucidi Scyphulis aliquid ad consobolis conseruationem videntur conferre. *Cap. IX. De pistillis muscorum.* Partes hae muliebres stigmate, stylo et ouario constantes aeque in muscis, ac aliis plantis, depre-

deprehenduntur, vt comparatione vtriusque ſtructurae et officii patet. Ouarium figura globoſum oblongum ad baſin anguſtatum, colore viridante per omnem muſcorum familiam inuenitur. Fructus ſemper capſularis primo tempore intra calyptram abſconditus. Ab ouario erigitur ſtylus, columnula ſimplex e viridante albicans cylindrica, obtuſo acumine clauſa. Maturitate adepta ſtyli acumen aperitur et format ſtigma, tubae in modum ampliatum, veſiculoſum aut laciniatum. Celebrata impraegnatione ſtyli paullo pellucidior facti color in luteolum mutatur et eius ductuli duo recti ſimplicesque eo obſcuriores apparent, quo propius mediante calyptra inſident ouario, verſus ſtigma amplificati et quaſi euaneſcentes. Hos laxe inueſtiens membranula luteola procedit de ipſa calyptra. Germen peracta impraegnatione in conulum abit, dum turgeſcere incipit. Stylus in detruſa calyptra ſuperſtes eſt, aut ipſe decurſus cohaeſionis notam in ſummitate calyptrae relinquit. — Machinulae aliae adhuc dantur, piſtilla referentes, in flore femineo veris piſtillis adſtantes, quorum officium nondum patet. *Cap. X. De Calyptra.* Eius ab ortu ad decidium vsque hiſtoria, natura, vſus et neceſſitas optime monſtratur. Diſtincta illa eſt ab ouario

ouario eiusque stylo, licet cum hoc immediate connectatur, et ouarium imo fructum interdum maturum obducat. In floris vigore valde exigua est cum contento capsulae rudimento arcte coniuncta. Auellitur de sua sede, progrediente vegetatione, et impraegnatione peracta, relinquens vestigium, coronantem nempe summum ambitum vaginularum membranam. Tunc vltro non crescit, vnde magnitudini capsulae ad maturitatem accedentis non sufficit eius capacitas, atque hinc paullatim vel eleuatur absceditque integra, vel finditur, margine laciniosa apparens, tota, vel ex vno latere, hinc calyptrae obliquae Hypnorum. Caeterum calyptra conica est vel campanulata: ratione ad capsulae volumen magna vel parua: superficie externa pilosa, striata, processibus obsessa, aut laeuis: colore ante solutionem viridis, post eam albida, luteola, fuscella, rubella: structura vasculoso membranosa. Atque illa est verum floris petalum. Vnde feminae muscorum florent monopetalae, petalo cuculliformi clauso, ouarium tegente stylumque firmante. *Cap. XI. De filis succulentis.* Sunt muscis propria corpuscula in disco rosularum corpusculis cylindricis interposita e minimo diametro longius fili instar producta et liquore repleta. Quoad infe-

inferiorem partem vbique inter ſe conueniunt, quoad ſummitatem vero acutiori vel obtuſiori apice, ſiue clauato, nodisue intercepto duabus aut tribus ſphaerulis ſibi ſuperimpoſitis incraſſato terminantur. Longitudine et quantitate variant pro ſpecierum ratione. Sunt vaſcula pellucida, tenerrima cuticula exſtructa, limpidiſſimum humorem vehentia intra ſpatia, ſeptulis transuerſis interſtincta. Venire de membranoſis concamerationibus videntur, vt vtili humori alias nimis cito euaporabili plus morae necti poſſit, factis. Defenduntur hoc tenui humore tenerrimae fructificationis partes contra nimiam exſiccationem, roridusque ſtatus circa vtriusque organa ſexus proprio ſucco magis, quam aliae plantae carentia, conſeruari videtur. Vnde haec fila foecundationi proſpiciunt. *Cap. XII. De inuolucris florum communibus, ſeu de perichaetio muſcorum frondoſorum.* Quicquid muſcorum vel calyptratum rudimentum fructus, vel maſcula vi praeditos folliculos forinſecus cingit, hoc nomine venit, eoque euidentius, ſi idem habitu et figura ab illa foliorum diſcrepet. A figura, coordinatione et directione partium perichaetia componentium pendet externa florum forma in maſculis praecipue. Diuerſitas hinc nata ſuppeditat momen-

mentum, ex quo in genere musci distribuuntur. Ab initio plus minus globatum oualem masculi flores referunt. Impraegnationis autem tempore apices foliorum et squamarum perichoetii discedunt et pollini egressuro aperitur via, vario modo. Vel enim patet perichaetium ita, vt aperturae limbi diameter illum floris aequet aut superet, tunc erit flos disciformis seu stallatus nominandus; vel ita, vt aperturae diameter minor sit illo floris, quo casu eius conditionis flos vel de summitate caulis prouenit, et erit capituliformis vel ab alis foliorum oritur, et gemmiformis cognominandus caet. In quibusdam duo horum modi obtinentur vt in Mnio pellucido.

Ex his satis superque perspicient botanophyli huius incoepti operis dignitatem, cuius alteram promissam partem de fructu agentem et muscorum dispositionem systematicam stabiliori fundamento exstructam in medium proferentem lubentissime accipient. Maiori cum voluptate legitur tomus hic primus, postquam iconum contemplatione sibi ideas Clar. Auctoris notiores reddidit lector. Errores typographici hinc inde restiterunt.

L***n. 3.

---

IOSEPH

IOSEPH PRISTLEY *Briefe an einem philosophischen Zweifler*; h. e. *ad Scepticum quemdam datae epistolae, aduersus* HVMII *dialogos, aliosque eo ex genere libros scriptae*, et ex Anglico in patrium sermonem conuersae. Lipsiae, apud Weygandum. 1782. (pagg. 270. oct.)

Si quód est genus literarum, in quo coercenda paullo diligentius et comprimenda videtur illa nostrorum hominum peruersa libido, transferendi temere in linguam vernaculam, quicquid vel Angli, vel Francogallici scriptores effuderint: debet profecto pertinere ista seueritas ad libros eos, qui ab exteris *de philosophia* scribuntur. Nam industria grauissimorum virorum, qui hoc seculo apud nos philosophiam scriptis illustrarunt, tantopere creuerunt opes nostrae, vt facile careamus scriptis exterorum vulgaribus, et habeamus adeo, quod *isti* debeant, si sapere voluerint, a *nobis* petere. Nec putet aliquis, haec a nobis arrogantius dici. Manifestum enim est, grauitate, doctrina, subtilitate ac diligentia omni tempore philosophos nostros Anglis fuisse pares, Francogallicam vero leuitatem longe superasse. Qua vero laude adhuc carere putabantur nostri, et exteris cedere, posita illa in artificio scribendi, et elegantia in disputando: eam

recen-

recentiores haud pauci apud nos philoſophi ita ſunt aſſecuti, vti nec hac ex parte poſthabendi ſint exteris. Vnde vituperandam cenſemus male ſedulam eorum induſtriam, qui, nullo delectu habito, arripiunt peregrinos libellos quoscunque demum, praeſertim ſi ſint ſcriptoris paullo nobilioris nomine inſignes, eosque in linguam noſtram, ſaepe ſatis negligenter, conuertunt. Etenim cum iam ſit apud nos ea philoſophiae conditio, vt iure quodam noſtro paullo difficiliores eſſe poſſimus in admittendis libellis peregrinis, ac donandis quaſi ciuitate Germanica: recte negliguntur a nobis ea ſcripta, quorum et argumentum eſt tritum, et oratio nihil habet, quo ſe commendet, et alia ſuperet.

Haec diſputamus propterea, quod PRISTLEYI de religione naturali libellus, cuius verſionem indicamus, quamquam a nobili ſit auctore profectus, dignus tamen non erat ea opera, quam in vertendo poſuit interpres, nobis ignotus. Nihil enim haec ſcriptio continet noui, nihil, quod non a noſtris philoſophis longe melius, multoque copioſius tractatum ſit, nihil denique ineſt in differendi modo ac via, quod magnopere laudandum videatur. Hoc ſenſiſſe videtur interpres ipſe, qui in praefatiuncula, quam praemiſit, inſtituti ex-

cuſatione vtitur ſatis trita ac leui, quae poſſit facile traduci ad librum quemuis vulgarem; ea vero commendatio, quam e *diario Goettingenſi* petit, in quo libellus PRISTLEYI non ſine laude quadam commemoratus fuerat, plane ridicula eſt, cum vanum ſit, iſtius diarii veluti oraculo allicere lectores velle, qui, ſi ſapiunt, minime egent iſto veluti praeiudicio. Sed vt intelligatur, quid inſit in hoc libro, breuiter adumbrabimus eius argumentum, quod ipſum documento eſſe poterit, nonniſi tralaticia et in vulgus nota hic afferri.

Praemiſit igitur auctor epiſtolis ſuis diſputatiunculam, qua docet, locos philoſophiae eos, qui ſint de natura Dei, prouidentia et animorum immortalitate, grauiſſimos eſſe, atque digniſſimos, qui cum perpurgentur accurate, tum cognoſcantur diligentiſſime. Qua de re, putamus, fore, qui dubitet, neminem. Aperit deinde, ad rem ipſam progreſſus, epiſtola *prima* fontem, a quo ingens manet *opinionum varietas,* quibus diſtrahatur genus humanum; eum ineſſe putat in *ideatum copulatione* longe diuerſiſſima, *aſſociationem* appellant in ſchola; qua efficiatur hoc, vt homo quisque habeat ſentiendi ac videndi verum propriam quamdam rationem. Scilicet in hac diſputatione agnoſcas editorem HARTLEYI, quem philoſo-

loſophum ſaepe laudat in hoc opuſculo PRISTLEYIVS, ac vehementer commendat. Adiungit paucula, eaque notiſſima, de eo, quid in cognitione humana *certum* ſit, et obſeruat, ſatis bene nobiscum agi, ſi, quae de religione dicantnr, diſputentur probabiliter, geometricam ἀπόδειξιν in hoc genus non cadere. Quae ſequuntur epiſtolae *duae*, demonſtrant, *eſſe Deum;* altera enim ex eo, quod ſine cauſſa idonea nihil vnquam oriatur et eueniat, efficit hoc, eſſe ſummum, qui hanc rerum vniuerſitatem condiderit, auctorem; altera diluit criminationes, quibus obnoxia videri poſſit haec argumentatio. Sed in confutandis argumentis aduerſariorum et breuis eſt auctor, et admiſcet nonnulla, quae fere ſunt ad commouendum riſum comparata. Oſtendit enim argumentis, ex eo, quod homines ſine cerebro cogitare non poſſint, minime conſequi hoc, Deo, qui et ipſe cogitandi vim habeat, cerebrum, vel, vt in fingendo verbo nouo Velleium ſequar apud Ciceronem, quoddam *quaſi cerebrum* tribuendum eſſe; atque de hac re per aliquot paginas ſatis ſerio diſputat. Epiſtola *quarta* de *attributis diuinis* praecipit, et oſtendit, Deum omnia ſcire, omnia poſſe, praeſentem vbique adeſſe, ac nonniſi vnum eſſe poſſe. Ceterum exiſti-

mat PRISTLEYIVS, ab omni aeternitate vim diuinam in producendis rebus creatis efficacem fuisse. Disputationem de attributis diuinis continuat epistola *quinta* et *sexta*, quas ad demonstrandam *sapientiam et benignitatem diuinam* conscripsit auctor. Inest autem in his omnibus noui nihil; plurima leuiter tantum attigit; quae si cum WOLFII, REIMARI, IERVSALEMI aliorumque vbertate et copia comparantur, prorsus ieiuna sunt. Quae de *doloris vtilitate* monet, sunt illa quidem non iniucunda; sed illud argumentum SVLZERVS noster persecutus est multo subtilius. Trita etiam sunt, quae epistola *septima* de *gubernatione diuina* et *cultu* tradit eo, quo sit ab humano genere prosequenda natura diuina. *Immortalitatis* spem confirmat epistola *octaua*, vbi etiam ostenditur, instaurationem generis humani post mortem a legibus naturae minime abhorrere. Sed etiam in hac disputatione PRISTLEYIVS longe inferior est SVLZERO, qui, cum iam esset ipse morti proximus, eamdem rem et copiosius tractauit, et multo subtilius. Iam epistola *nona* disputare instituit aduersus HVMII *dialogos de religione naturali*, quorum interpretationem vernaculam indicauimus nuper; et obseruatiunculas quasdam adspergit, et breues,

ues, et ſatis ieiunas, quas minime requiret, qui vel PLATNERI dialogum, iſto libro adiunctum, cognouerit. Pugnat etiam epiſtola *decima* aduerſus commentationem HVMII eam, in qua Epicurum finxit prouidentiam Dei ſatis ſpecioſe tollentem, et quae ineſt in opere eo, cuius translationem vernaculam olim SVLZERVS edidit, praefatione et obſeruationibus ſuis auctam. Quae deinde delibat e famoſiſſimo libro Francogallico, qui *Syſtema naturae* inſcribitur, epiſtola *vndecima*, ea ſunt leuia, et ab aliis rectius expoſita. Epiſtola *duodecima* verſatur in reprehendendis *argumentis parum idoneis*, quibus alii effici voluerunt, eſſe Deum. Carpit igitur eos, qui ſunt vſi in ea re *notionis* cuiusdam *inſitae*, ſeu προλήψεως, infirmo praeſidio; vituperat CARTESII a notione naturae perfectiſſimae petitam demonſtrationem; reprehendit denique CLARKIVM, qui ex eo effecerit, Deum eſſe, quod, ſublata vi ac natura Dei, repugnantia ſequatur. Sed qui legerunt argumentorum ex hoc genere examen multo ſubtilius et vberius, quod KANNT, acutiſſimus apud Regiomontanos philoſophus, inſtituit, ex ieiuna philoſophi Angli diſputatione nihil diſcere poterunt. Vltimum epiſtolarum par aduerſus alios HVMII errores, quos paſſim ſparſit; eam

 ob

ob caussam pugnat, quod sunt ista commenta HVMII cum placitis iis, quae de religione naturali a PRISTLEYIO hic defenduntur, coniunctiora. Sed praeter iniquitatem aliquam PRISTLEYII, et acerbitatem in disputando, quam nec vernaculus interpres dissimulat, etiam illud reprehendendum est in hac libri parte, quod multa, quae afferuntur, ne sunt quidem ad tollenda HVMII placita satis idonea. — Atque haec sunt, quae nouus liber continet. Ad intelligendum nunc putamus facile illud esse, quod ab initio posuimus; cum habeamus meliores libros de religione naturali, a nostris philosophis profectos, hunc peregrinum minime dignum fuisse translationis opera; qua tamen non male defunctum esse interpretem, res ipsa docet. Ceterum pollicetur PRISTLEYIVS etiam aliud epistolarum volumen, in quo *de religione reuelata* eodem modo agere secum constituerit; quod vtrum iam prodierit, ignoramus; hoc certissimum videtur, ei, si vel tritissima recoperit, in hac insatiabili vertendi libidine apud nos minime defuturum interpretem.

---

*Zur Geschichte und Litteratur etc.* i. e. Ad historiam et bonas literas, symbolae e

thesau-

thesauris bibliothecae ducalis Guelpherbytanae congestae, a GOTTHOLD EPHR. LESSING, et IO. IOACH. ESCHENBVRG. *Tom. V.* et *VI.* pagg. 560. oct. mai. 1782. Brunou. in bibliop. orphanotr.

Vtrique tomo, quo finis imponitur vniuerso huic operi celeberrimo, immortuus est primarius auctor; vtrumque enim simul operas exercere iusserat, vnde et factum, vt *sextus*, cui a Cl. LEISTIO, gymnasii Guelpherbytani Rectore, inserenda erat, iamque inserta legitur notissima illa, quae separatim quoque excusa prostat, CVDENAE *descriptio Americae, qua Lusitaniae Regi paret*, prius lucem adspiceret, quam *quintus*. In hoc enim, quem suis ipsius locupletare decreuerat commentariis, adhuc occupatus LESSINGIVS fatis interceptus est. Quare ab illo *prima* tantum commentatio et pars *secundae* profectae sunt. Illa agit *de fabulis*, vt vocantur, *ex aeuo poetarum Sueuicorum* seu *eroticorum aeui medii* (*Minnesinger*) conseruatis; quod argumentum valde obscurum olim iam illustrauerat auctor disquisitione ista, quae statim in limine harum symbolarum legitur. Iam autem in eo versatus fuit, vt primum veri illarum auctoris nomen probaret fuisse BO-

MERIVM, fecus quam GOTTSCHEDIVS et poſt eum *Heluetici* illarum fabularum editores putarant. Deinde illas e Latinis AVIANI et *Anonymi*, quem NEVELETVS edidit, fabulis, translatas eſſe, certe quod ad maximam partem, et denique antiquitate illas non excedere finem feculi XIV, veriſimile fecit. — Sequitur II. abrupta de *anonymo fabularum elegiacarum,* quas ISAACVS NEVELETVS in *mythologia Aeſopica* edidit auctore. Qui quod nomen geſſerit, et quo tempore vixerit, videtur diſquirere voluiſſe LESSINGIVS; ſed non vltra variarum hac de re opinionum enumerationem et confutationem proceſſit. ESCHENBVRGIVS V. Cl. hanc diſquiſitionem non abſoluit quidem; ſubiunxit tamen illi obſeruationes quasdam bonae frugis, in quibus haec nobis acutiſſima et veriſſima videtur, qua ſuſpicatur, ROMVLI ſeu ROMVLII nomen, quo plerumque vocant auctorem fabularum ſoluta oratione compoſitarum, quarum ligatam verſionem idem iſte Anonymus dedit, fictitium, et vt aliis ingeniorum aetatis barbarae foetibus, ita his etiam fabulis inditum *Romuli* nomen eſſe, vt viderentur a Rege vel Imperatore quodam profectae, eamque ob cauſam tanto maioris eſſe pretii. Hinc etiam in *Eſopo moraliſato* (Dauentr. 1502.) hae

hae fabulae *a Romulo imperatore Romano ad inſtruendum filium ſuum* (qui in editione IO. BR. NILANTI vocatur TIBERINVS, quo forte pro *Tiberio* ſcripto, pari modo indicare voluit auctor principem aliquem) datae eſſe dicuntur. Ceterum duorum codd. mſtorum, qui ligatas Anonymi fabulas continent, et in bibliotheca Guelpherbytana ſeruantur, notitiam criticam adiecit Cl. ESCHENBVRGIVS, cum ſpecimine variantium lectionum in fab XII. et L. — III. Eiusdem auctoris elegantiſſimi eſt commentatio critica de VLRICI A TVRHEIM *Guilielmo Narbonenſi*, hoc eſt, de illo poetae aetatis mediae carmine heroico ſ. hiſtorico dialecti Sueuicae, cuius nuper editionem, e cod. Caſſellano adornandam, promiſit, iamque quoad primam partem foras dedit Cl. CASPARSON, Prof. Caſſellanus. Hanc vero editionem praemature deproperatam eſſe docemur, quum biblioth. Guelpherbyt. apographum illius carminis aſſeruet multo et antiquius, et plenius et rectius Caſſellano. — IV. KILBVRGERI *narrationem de re mercatoria Ruſſorum*, a S. V. BVSCHINGIO editam (in *promptuarii hiſt. et geograph.* Tom. III.) e cod. mſto bibliothecae Guelph. emendatiorem et auctiorem fecit Ill. SCHMIDT, nomine PHISEL-

DECK. — V. Sententiarum, leporum, saliumque farrago ex antiquioribus poetis Germanicis, collecta ab ESCHENBVRGIO. — VI. Eiusdem de poemate *der Freydank* commentatio. — Denique VII. CONR. ARN. SCHMIDIVS, V. Cl. locos quosdam BERENGARII *Turonensis*, in libro LESSINGII perperam descriptos, accurata instituta reuisione, emendauit.

*Tomus VI.* exhibet I. THEOPHILI PRESBYTERI *diuersarum artium schedulam* (p. 289 - 424.) de quo plura iam commemorat LESSINGIVS in libello *de vetustate artis oleo pingendi*, quaedam alia in praefatione adiecit Cl. LEISTE. Quod autem scribit, nusquam repertos adhuc esse istius operis codices, praeter Guelpherbytanum, quem LESSINGIVS descripsit, et Lipsiensem, de quo cf. Act. erud. 1690. m. Aug. p. 420. fallitur. RASPIVS enim V. Cl. in libro: *A critical Essay on Oil-Painting.* (Lond. 1781.) eiusdem THEOPHILI librum *de omni scientia pingendi* e codice Cantabrigiensi iam edidit. II. PETRI CVDENAE *descriptionem Brasiliae*, hispanice et germanice editam a LEISTIO, cum eius vberiori commentario et LESSINGII praefatione. De hoc vero libro egregio dicere amplius non attinet.

---

Vor-

*Vorbereitung zur natürlichen Theologie etc.* i. e. IOHANNIS AVGVSTI EBERHARDI praeparatio ad Theologiam naturalem, in vſum praelectionum academicarum. Halae in orphanotropheo. 1782. 8. plagg. 108.

Praemittuntur, vt fieri ſolet, generaliores quaedam notiones ad nobiliſſimam hanc philoſophiae partem propius pertinentes. Cap. I. de formanda Dei notione, et quidem Sect. I. de interna huius notionis *realitate* ſeu *entis perfectiſſimi poſſibilitate* agitur. Paucis expoſuit, quae voci *Deus* vis ac poteſtas ſit ſubiecta. Deum ſcilicet intelligit *ens perfectiſſimum.* Cum definitio nominalis ſit arbitraria, facile omnino intelligis, alias ab aliis notas poſſe allegari, ſi modo Deo ſoli et ſemper competant, et ex eius notione cetera attributa Dei nexu perquam facili poſſint deduci. Perinde igitur eſt, ſi dixeris Deum cum WOLFIO *ens abſolute neceſſarium,* aut cum SVLZERO *ens aeternum,* aut cum aliis: *ens independens, infinitum,* ſeu *quod rationem ſufficientem exiſtentiae mundi in ſe continet.* — Deinde argumenta quaedam exiſtentiae Dei, et primum quidem illa, quae a *priori,* dein quae a *poſteriori* vocantur, dinumerantur. Argumentum illud peruulgatum, *Carteſianum* quod vocant,

ita

ita munitum esse, persuasum sibi habet A., vt quid habeant aduersarii, quod monere possint vix intelligat. Sed nos vix intelligimus, quomodo inde, quod naturae ei, quae perfectissima *concipitur*, conceptus quidem *necessariae et actualis existentiae* tribui debeat, sequatur, vt illa necessario et actu etiam extra mentem existat. Ab *existentia ideali* ad *existentiam completam realem* non recte concludi potest. Et vt ingenue fatear, quod sentio: plane fieri non posse videtur, vt caussam quandam vere adesse confirmem, de cuius effectibus nondum mihi constat. Quare etiam multo maius pretium argumentis statuamus illis, quae natura rerum nobis dictitat, et quibus tanta inest cum perspicuitas tum grauitas, vt hominem, si sanae rationis sit compos, non amplius repugnare deceat, neque eidem firmior esse possit alius cuiuscunque rei demonstratio, vel mathematicorum praeceptis instituta. Pertinet huc argumentum a *contingentia mundi* desumtum. Quicquid enim hac altera experientiae via ad naturam Dei affirmandam excogitauerunt, omne referri posse videtur ad illam effectus demonstrationem a caussa sua prolati et ad notionem rei contingentis. Cum hoc vero illud argumentum, quod *Socraticum* vocant, a mirifico rerum ordine et

mundi

mundi pulcritudine ductum, arctissime cohaeret. Quare etiam Cl. A. his ipsis argumentis plurimum tribuit, simulque *Theologiam experimentalem* quam maxime commendat. Etenim hac demonstratione non modo *quod sit* Deus, intelligere, sed *simul qualis* sit, sentire discimus. Argumento, quod *a consensu gentium* petitur, et quod olim potissimum multis ita placuit, vt ad existentiam Dei probandam nihil eo validius esse arbitrarentur, recte Cl. A. nullam vim atque dignitatem inesse, docuit, iisdem de caussis, quibus tum alii iam ante, tum ipse potissimum in *apologia Socratis* vsus fuerat. — Sect. II. de erroribus verae religioni oppositis agitur, et quidem primo de *atheismo*, vbi varia ista atheorum genera cognita satis atque vulgata enumerantur, caussae deinde huius erroris pestiferi cum internae tum externae exponuntur, et tandem ipsa opinio reiicitur. Sect. III. de *polytheismo*. Firmissima atque grauissima pro *vnicitate* Dei argumenta 1) notione summae perfectionis, 2) nexu verorum et 3) vnitate mundi, niti, Cl. A. contendit; sed caussae veritate magis fretus, quam argumentorum subtilitate permotus, vir subtilissimus haec protulisse videtur. Nisi enim grauiora accedant argumenta, in illis philosophus non recte acquiescet. Varia po-

terunt opponi, dubium enim eſt illud *indiſcernibilium principium*, ex quo tamquam limpido fonte demonſtratio deducitur, ideoque ille, qui duo aeque perfectiſſima et infinita contendit, nulla rationis rectae principia transgreditur. Illi etiam argumento, quod *principio rationis ſufficientis* nititur, non tantam vim ineſſe, facile intelligimus, vt certae demonſtrationis locum obtineat, nec aliud quidquam hac ratione probari, quam vt pluribus Diis *non opus eſſe* videatur. Sect. IV. *Superſtitionem*, ipſiusque errores peſtilentiſſimos, in primis eos, qui morales Dei perfectiones attingunt, depingit, ſimulque eſſentiam atque proprietates diuinas more conſueto explicat. Sect. V. *Hiſtoriam naturalem* religionis pauciſſimis delineauit. Caput II. viam ac rationem, qua ad cognitionem Dei homo peruenire poteſt, et quidem (Sect. I.) ope ſenſuum et (Sect. II.) ope rationis, breuius abſoluit.

F.

---

*Herrn Thouvenel's — Abhandl. von der Beſchaffenheit, dem Nutzen und den Wirkungen der Luft und Luftarten etc.* h. e. THOUVENELII commentatio coronata de natura, vtilitate et efficacia aeris, eiusque

eiusque variorum generum, ad alendum curandumque corpus animale. Vertit e Franc. EM. GOTTL. QVANT, et praefatus est Ill. GRVNER. *Ienae* vend. Cunonis heredes. 1782. 8. 147 pagg.

In tanta quosuis exterorum libellos vertendi malesana cupiditate mirum profecto videtur, neminem adhuc hunc praeclarum et perutilem ad cognoscendas penitius aeris fixi nuperrime adeo celebrati formas et dotes apparasse Germanis, talium exoticarum cupediarum, praefiscine dixerim cupidissimis. Sed arduus profecto labor erat, grauem in graui arduaque re virum sequi, beneque lingua nostra exprimere: Id quod, ni omnis fallor, dextre fecit interpres noster, vsus, vt videtur, eius viri, qui praefatus est, manu auxiliatrice. Agit ergo auctor in parte prima de aere eiusque formis, quibus continetur aer atmosphaericus, fixus et indefinitus, i. e. alcalinus, acidus, nitrosus, et, qui qualisque quisque sit, quas qualitates habeat, docet, inprimis vero quid conferat aer nobis circumfusus ad vitam sustentandam, quatenus veneni indolem induat, variosque morbos pariat, denique quomodo possit medicinae loco vsurpari atque adhiberi — apte solideque omnia, et concinnius, ac apud franco-gallicos scriptores moris

ris est, et sine vllo hominum opinionumque celebratarum respectu, quippe aeris fixi tot differentias et tam multiplicem vsum, vt facere solent Angli, dari efferrique posse, candide profitetur. In altera parte legitur, quid auctor de alimentis et medicamentis sentiat, in qua, etsi multa bona lectuque digna insunt, tamen longe postponenda parti priori videtur. Mihi vero lectio libelli magnam voluptatem attulit, ideoque in spem certissimam ingredior, fore, vt mecum lecturi eum prorsum consentiant. — Restat praefatio Ill. GRVNERI, in qua breuiter varias aeris fixi formas, indeque habendam medicinam multiplicem recenset, at vero mascule ostendit, non tanti habenda esse eius artificia, quanta inuentores et imitatores nobis persuadere voluerunt. Opinionum enim commenta delet dies.

---

*Onomatologia medico-practica. Encyclopädisches Handbuch für ausübende Aerzte.* h. e. manuale medicorum, ordine alphabet. concinnatum a societate quadam medicorum. Norimb. vend. Raspe. *Tom. I. P. I.* 1782. 8. 654 pagg.

Non inutiliter studium et tempus collocasse putan-

putandus is eſt, qui huncce libellum ſibi conſcribendum ſumſit. Non deſunt quidem ex hac familia, qui tali propoſito apti eſſe dicebantur, ſed re vera non erant, eamque ob cauſſam optandum eſt, vt, quam fieri poſſit breuiſſime, hocce opus arduum ad finem perducatur. Hoc enim ſibi propoſitum eſſe putabat auctor, primum vt ſic eorum vtilitati proſpiceretur, qui ſine bibliothecis ſunt, deinde vt termini artis rite explicarentur, poſt vt res ſcitu dignae et ad medicinam forenſem vel politiam medicam pertinentes huc quaſi colligerentur, denique vt formulae praeſtantiores ſubiicerentur. Accedit et illud, quod ex elegantiori veterique medicina deſumtae ſint atque definitae voces plurimae. Haec vero omnia ita praeſtitit, vt de operae impenſae praeſtantia et vtilitate dubitare amplius non liceat. Datur hic prima alphabeti litera; exorandus ergo etiam auctor eſt, vt hinc inde in poſterum reſecet, quae facile abeſſe poterant. Vbi enim ager bonus colendus eſt, ibi lolia ſterilesque auenae ferri non poſſunt.

---

THOMAS REID'S *Unterſuchung über den menſchlichen Geiſt;* h. e. *de humana mente quaeſtio, ad ſenſus communis normam*

*instituta*, et ex Anglico in linguam translata Germanicam; Lipsiae apud Schwickertum. 1782. pagg. 397. oct.

In libris exterorum philosophorum iis, quorum nuper Lipsiae prodierunt versiones vernaculae, is, de quo hic instituimus paucis disputare, inprimis dignus videtur, cuius a nobis mentio fiat. Ac primo quidem auctor ipse non est ex illa minutorum philosophorum classe tenui, quorum paupertas nihil habet, quo possit aliis prodesse. Nam habet REIDIVS praeter singularem in disputando subtilitatem, et orationis natiuam quamdam pulcritudinem, etiam videndi multa praeclare, et commode obseruandi sollertiam insignem, quae per hunc librum sparsit rerum vtilissimarum copiam satis beatam. Accedit argumenti grauitas; nam auctor pugnat aduersus HVMIVM, et quae sunt ab hoc viro de natura mentis humanae omnisque veri fontibus acute quidem, sed perperam ac perniciose scripta, in iis labefactandis ita laborat, vt ostendere instituat, qua veluti luce dissipandae sint tenebrae, quibus HVMII perpetua dubitatio lectores, vt notum est, γοητεύει καὶ φαρμάττει. Optandum denique erat, vt hic liber interpretem inueniret; quod sine eo non possunt satis intelligi alii, quos iam ante aliquot

annos

annos Germanice factos accepimus. Constat enim, HVMIVM, cum *de natura humana* scripsisset librum illum famosum, quo omne verum tollitur, omnisque lux eripitur rebus humanis, expertum esse trium popularium vim et impetum, REIDII, BEATTII et OSWALDI, qui consulto ad euertenda viri placita scripserunt. Atque BEATTII quidem, et OSWALDI libri iam per aliquot annos a nostris hominibus leguntur in patrium translati sermonem, et experti sunt apud nos iudicia satis benigna. Superarat haec ipsa REIDII scriptio, qua vel propterea carebamus aegre, quod reliqui disputationem suam aduersus HVMIVM superstruxerant positis a REIDIO in hoc libro veluti fundamentis. Probamus igitur ac laudamus translationis consilium, praesertim cum interpres haud vulgarem industriam, et vtriusque sermonis facultatem demonstrauerit laudabilem. Sed praeter eas laudes, quas iam commemorauimus, positas illas *in subtilitate ingenii, bonarumque obseruationum farragine,* nihil inest in hoc libro, quod magnopere commendandum putemus. Nam *via ipsa,* quam ingressi sunt hi triumuiri, a REIDIO munita quasi hoc libro, abducere videtur a vero, vt, qui HVMII vtatur artibus, is non modo elabi

possit facillime, verum etiam aduersarios varie et grauiter premere. Quod vt accuratius intelligatur, primo quidem *breuiter persequamur libri argumentum;* deinde adiiciemus nonnulla, quae *ad iudicium de placitis* REIDII videntur pertinere.

Praemittit igitur disputatiunculam, qua ostendit, mentis humanae contemplationem grauissimam esse et vtilissimam. Sed qui voluerint indagare abditos humanae naturae recessus, eos, cohibita fingendi libidine, perpetua obseruatione discere debere, quid agat humana mens, et quomodo vires suas exserat. Exponit etiam difficultates, quibus impedita sit haec praestantissima philosophiae pars, et queritur, eam nondum satis esse cultam. Nam quae CARTESIVS, MALEBRANCHIVS et LOCKIVS scripserint, ea multis, ait, laborare vitiis, a temeraria quadam fingendi libidine profectis. Existimat enim, hos viros deseruisse, cum de humana mente quaererent, *publicum illum et communem sensum omnis veri,* ab ipsa natura hominibus tributum; eumque errorem effecisse, vt BERKELEYIVS et HVMIVS protrudere possent opinionum portenta illa, quibus nominis sint famam consecuti. Nec tamen vniuersum locum de humanae mentis natura

et

et viribus tractandum sibi sumit REIDIVS, quod, vt recte iudicat, infiniti propemodum laboris esset, et vnius hominis vires longe superaret: sed de *sensibus*, quos dicunt, *externis* disputat, ac totus in eo est, vt ostendat, esse certum quemdam et communem veri sensum, cuius neminem voluerit expertem esse natura; per hunc, sine vlla arte aut ratione, cum *percipere* hominis animum res externas, tum *credere*, eas esse; nec vim aliquam habere aduersus hanc ab ipsa natura profectam persuasionem ratiunculas temere excogitatas, vel ingenii male seduli dubitationes, in quibus, cum aduersus ipsam naturae vocem pugnent, nihil esse possit, quod sanum quemquam mouere debeat. Esse autem hunc sensum communem, et in hominum vita versari, ita ostendit, vt deinceps de *olfactu, gustu, auditu, tactu* ac *visu* disputet; qua in re hanc fere viam modumque tenet. Describit breuiter partes corporis eas, quae sunt instrumenta sensuum, ac definit rerum externarum naturam, qua corpus feriant, vt rerum ideae inuehantur in animum. Quod quomodo fiat, negat accurate a nobis ostendi posse. Nam qui existiment, *imagines* quasdam rerum per oculos et reliquos aditus, quos natura perforauerit ad animum, ad mentem deferri; eas

 vehe-

vehementer falli, arbitratur, cum in ſenſu ipſo nulla plane ineſſe poſſit cum rebus, quae percipiantur, ſimilitudo. Hoc etiam ſubtiliter et accurate BERKELEYIVM vidiſſe, putat, qui recte negauerit, ideam ab vlla re corporea in mente effici poſſe, cum non intelligatur, quomodo *motus*, quo res circumiectae pulſent inſtrumenta ſenſuum, quamdam producere poſſit earum *imaginem*. Igitur REIDIO videtur repudianda difficilis et obſcura quaeſtio de animi et corporis commercio, ac tenendum hoc vnum, motus ac mutationes, a rebus circumiectis in corpore factas, eſſe *ſigna* quaedam, ac veluti *notas*, quibus admoneatur animus de rerum externarum indole; atque hanc totam rem a natura ita conſtitutam eſſe, vt vanum ſit, vel dubitare de eá velle, vel modum anquirere, quo animus per haec ſigna rerum ideas adipiſcatur. Cum his ſignis, putat, ſimulatque ab animo percipiantur, coniunctam eſſe *perſuaſionem*, res, quae percipiantur, extra mentem adeſſe. Iſtum aſſenſum minime *ratiocinando* effici in mente, ſed ita cum ſenſu ipſo ſtatim eſſe coniunctum, vt ab eo diſtrahi non poſſit, ſed ſit communis illius et naturalis ſenſus *pars quaedam praecipua*, aduerſus quam perperam diſputet BERKELEYIVS cum ſuis. Inde ridet etiam

HVMII

HVMII opinionem, qui persuasionem tum in animo putat oriri, cum *magnam lucem* habeat notio quaedam, eaque mentem quasi percellat; aduersus quam sententiam affert REIDIVS conclusiunculas quasdam parum idoneas. Ipsas illas *enuntiationes primas*, quas in ratiocinando et inueniendo vero sequimur, et quasi fundamenti loco ponimus, ad illam naturae sensum pertinere putat, adeoque a *ratione*, quam isti *sensui* opponit, nec vocari in dubium, nec examinari posse. Hunc naturae sensum qui sequantur, atque in omni re obtemperent eius veluti voci, eos, arbitratur, non moueri BERKELEYII et HVMII sophismatibus aculeatis, et captionibus dialecticis, et habere etiam, quo possint istorum virorum opioiones labefactare ac minuere. Ceterum copiosissime differit de *visu*, et, hac vsus opportunitate, omnem fere *Opticam* subtiliter quidem et accurate exponit; sed ista disputatio, quae maximam libri partem explet, a consilio auctoris, et opinionibus HVMII, in quibus consutandis laborat, alienior est. Passim adspersit etiam obseruatiunculas, ex *historia philosophica* petitas, idque fecit eo consilio, vt ostenderet, qui deseruerint eum naturae sensum, quem vnice sequendum censet, eos ad vanas de mente humana opiniones de-

lapsos esse, multorumque aliorum errorum fontem aperuisse.

Quae iam breuiter diximus de REIDII sententia, ea sunt per vniuersum librum sparsa, vt legenti, obseruationum aliarum farragine impedito, non statim pateat, quid potissimum agat auctor, nisi voluerit integrum librum diligenter ac studiose perlegere. Sed ex his ipsis argumenti, quas duximus, lineis, intelligitur, illud ipsum, in quo insit disputationis Reidianae vis maxima, reprehendendum esse, et disiecto hoc veluti fundamento labi, quae superstructa sint, omnia. Etenim esse aliquem ab ipsa natura insitum in hominis animo veri sensum, de eo nemo dubitauerit. Sed qui hunc sensum rationi *opponit*, et hoc modo ratiocinandi ac subtiliter examinandi omnia libertatem cohibet atque coercet, vt eo facilius excludantur BERKELEYII et HVMII ratiunculae: is profecto multis de caussis errat, et isto naturae beneficio abutitur. Ac primo quidem trahi potest iste sensus communis, si ita disputare volueris, ad vanissimas opiniones, et a quouis homine imperito vsurpari ad defendenda phantasiae ludibria, vel alia somnia quaecunque demum. Neque enim licet, si REIDIVM audimus, aduersus ea, quae sensu percepimus, rationibus vti;

vnde nihil relinquitur, quod poſſis, vt exemplo vtar, aduerſus eos afferre, qui ſolem, exiſtimant, circa terram volui, vel quo retundantur hominum ſuperſtitioſorum fanaticorumque ſomnia atque portenta. Deinde illud ipſum in vitio eſt, quod REIDIVS ſenſum communem rationi *opponit*, et exiſtimat, has duas res, quas natura coniunxit, diuerſas eſſe, et cogitando ſéparandas. Etenim quis non videt, nos, cum ratiocinamur, et ſubtiliter aliquid examinamus, *etiam ſequi aliquem naturae ſenſum*, eaque naturae voce non in iis tantum rebus moneri, quae ſint per ſe clarae, vt argumentis non egeant; verum etiam in his, quae contemplando et ſubtiliter concludendo inueniantur. Iam ſi ea, quae ratiocinando inuenta ſunt, pugnare videntur cum his, quae ſtatim, cum percepta ſunt, aſſenſum extorquent: ea pugna alio modo concilianda eſt, ac poteſt etiam conciliari, cum ſit *plane idem naturae ſenſus*, quem ſequimur, vbi ratiocinamur, et cum res externas percipimus. Quod igitur exiſtimat REIDIVS, BERKELEYII opiniones, et HVMII praeſtigias non poſſe depelli, niſi hoc modo, quo ipſe ſit vſus; in eo fallitur vehementer. Quis enim neſcit, quam féliciter BONNETVS, SVLZERVS, PRIESTLEYIVS, alii, aduerſus

ſus iſtos philoſophos depugnauerint, *rationis*, quam REIDIVS contemnit, vſi beneficio. Ipſe aduerſus HVMIVM paſſim et inique, et male pugnat. Eo enim vitio, quod recte reprehenditur in BEATTIO, qui non tam ſerio et grauiter diſſerit, quam exemplorum et conſecutionum ridicularum infinita fere multitudine aduerſarium enecat et obruit, REIDIVS etiam ſubinde contaminauit ſuam orationem. Vbi ſententiam HVMII de aſſenſus et perſuaſionis origine, quam, vt ſupra obſeruauimus, in luce idearum et perſpicuitate ineſſe putabat, confutare inſtituit REIDIVS, malis adeo artibus vtitur, et HVMII opinionem, in qua, ſi recte intelligitur, aliquid veri ineſt, miſere torquet, vt habeat, quod videre poſſit; vid. p. 38 et 358. Ac poſſemus etiam alia proferre, in quibus parum accurate philoſophatur REIDIVS, niſi in libro peregrino cohibendus eſſet orationis impetus. Duo ſuperſunt, de quibus monendi lectores videntur. Primo quidem ipſa libri lectio docet, quam parum *ſibi conſtare* potuerit philoſophus Hibernus. Quamquam enim negauerat, de ſenſu illo naturae ſubtiliter diſputandum eſſe, vel rationem de eo iudicare poſſe; tamen de *viſu* ipſe diſſerit tam acute ac tam ſubtiliter, vt mireris, cur in tot difficultates

cultates se induat, cum potuisset breuiter omnia reuocare ad sensum illum naturalem, aduersus quem rationis conclusiunculae, et difficultates, ab ea animaduersae, nihil efficiunt. Deinde cauendum est, ne REIDII auctoritati quicquam tribuatur in obseruationibus, ex *historia philosophica* petitis, quibus voluit suam distinguere orationem. Nam quae ex eo genere habet, maximam partem falsa sunt; veluti ea, quae p. 151. de DEMOCRITO et EPICVRO; p. 374. de natura animi ex mente PLATONIS; p. 376. de ARISTOTELE et *Scholasticis* affert. Quam vitiose haec et alia a REIDIO dicta sint, facile possemus ostendere, si in re manifesta argumentis opus esset. Ceterum PRISTLEYIVS aduersus hos triumuiros, quorum ducem diximus esse REIDIVM, librum singularem scripsit, in quo ostendit, quam male vtantur isto, quem semper in ore habent, *communi sensu;* qui liber, quod sciamus, nondum est in linguam nostram conuersus. Optamus igitur, vt, postquam REIDII, BEATTII et OSWALDI libros accepimus, etiam PRISTLEYII commentatio accedat; ita enim speramus, fore, vt lectores rectius de hoc genere differendi iudicent; praesertim cum nostri philosophi, inprimis KANNT,

in

in libro praeclaro, quem nuper edidit, habebant multa, quae in hac caussa plurimum prodesse videantur.

---

*Elemens de Chymie, rediges d'après les decouvertes modernes;* i. e. Elementa chemiae; digesta secundum inuenta nouissima; seu compendium praelectionum publicarum Societatis regiae Scientiarum et artium Diuiodor. a MICH. DU TENNETAR. Diuiod. ap. Gerlach. 1779. p. 281.

Si noua et plane inaudita cupitis, Lectores, amplam habebitis in nostro libro materiam. Omnia enim directe opposita non solum inuenietis iis, quae vulgo in systematibus chemicis traduntur; sed quod magis adhuc mirere, quae repetitis contradicunt obseruationibus et inuentis optimorum chemicorum, quibus iure meritoque fides habenda est. Spectauistis forsan olim magnam illam nouaturiendi audaciam cl. SAGII, qui, quae nemo obseruarat, vidit, quae omnes viderunt, abnegauit; sed quantum in hoc nobili omnia subuertendi studio distat adhuc SAGIVS a TENNETARIO nostro, hic licet illius principiis innutritus videatur! De quo

vero ne propria vobis desit indicandi opportunitas, depromamus quaedam ex eius libro, sine omni delectu; plena enim sunt omnia doctrinis ipsi propriis. „Lapides et metalla pertinent ad corpora composita salina: (terrae itaque siliceae, auri, argenti, platinae cet. salia quis nescit? aut potius, quem fugiunt!) Sal alcalinus vegetabilis componitur ex acido elementitio, et terra elementitia; illiusque differentia ab alcalino minerali pendet a minori copia materiae pinguis. (Ergone omnia vana sunt, quae demonstrauerunt MARGGRAFIVS nostras et WIEGLEBIVS?) Quod vitris, repletis acido vitriolico e sulphure eruto, adhaeret, est tartarus vitriolatus! Quae ex combinatione aquae regiae cum terris et metallis oriuntur, producta ignota adhuc sunt. Terra animalis in puram calcariam transit, si acidum phosphoricum animale mutatur in aerem fixum: terra salis amari ab illa eo differt, quod haec acidum primitiuum aereum non in statu fixo contineat. Fluor pulverisatus, carbonibus ardentibus adspersus, lumen emittit. Metalla, praeter phlogiston et terram metallicam, acidum etiam necessario requirunt. Omnes pyritae martiales vltra $\frac{1}{7}$ zinci continent. Lapis calaminaris Cobalto, saepe etiam ferro, iunctus, *Magnesium Bergm.* consti-

conſtituit. Smaragdus et Chryſopras à Cobalto tincti ſunt. Antimonium calcinatum, in maſſam brunam fuſum, hepar antimonii efficit. Hematites optimi (peſſimi) chalybis minera eſt. Minera cupri calciformis caerulea, ope ſalis alcalini, volatilis! *mineraliſata* eſt. Mercurius et argentum, quae corneae conſiſtentiae dicuntur, non ſalis acidum continent; ſed ille ab acido aereo, hoc ab acido primitiuo aereo, a materia pingui modificato, minerae formam induerunt. Omnia olea nil ſunt niſi phoſphori volatiles; atque ſuccinum et ambra accenſentur reſinis mineralibus phoſphoreis.„ — An ſat prata biberunt?

---

IOHANN DAVID MICHAELIS *deutſche Ueberſetzung des A. T. etc.* i. e. verſio Germanica Vet. Teſt. cum notis in vſum illiteratorum. *Pars VI.* continens Pſalmos. Editio altera emendatior et auctior. Gottingae ap. vid. Vandenhoeck. 1782. 4. verſio conſtat pag. 236. notae pag. 296.

*Die Pſalmen etc.* i. e. Pſalmi, verſi et illuſtrati a GEORG. CHRIST. KNAPP, Profeſſore Theologiae in Regia Boruſſica Fridericiana. Editio altera emendata

data et aucta. Halae ap. I. I. Curt. 1782. 8. pag. 320.

Decem ante annis primum prodiit verſio Pſalmorum Michaeliſiana; quatuor vero elapſi ſunt, ex quo Knappiana publicam lucem adſpexit. Noua vtriusque verſionis editio ſub idem fere tempus exiit, quod et Hebraicis literis incremento ſore auguramur, et duumuiris doctiſſimis in honorem haud exiguum ceſſurum. Laudes vero meriti ſunt, quod labores ſuos ſub incudem reuocarunt, verſionem multis in locis limarunt, notas auxerunt, iisque ſubſidiis criticis vſi ſunt, quae nuperrime demum ad manus hominum peruenerunt. In Michaeliſianam verſionem celeberrimus Poeta noſtras, VZIVS, ſtricturas ſcripſerat, quas auctor partim probauit, partim grauibus, vt ipſi videbatur, argumentis inductus reiecit. Textus etiam hic illic emendatus eſt, e. g. Pſ. XIV, 4. XXXV, 15. XXXVI, 1. LVIII, 4. licet remanſerint loci, quos ſi quid praeſagire mens valet, virgula cenſoria notandos eſſe iudicet vel ipſe VZIVS, e. g. Pſ. XXIV, 4. XXXII, 8. Hic enim, vt alibi, ingratiis indolis linguae vernaculae vertiſſe videtur. Notae Michaeliſianae pluribus acceſſionibus ditatae ſunt; ita, vt editio, quae 258 paginas efficeret, vsque ad 296 creuerit. Vide e. g. Pſ. IV, 8. V, 4. X, 8. XII,

XII, 9. etc. Quae secundam hanc editionem ornant emendationes et supplementa, vidua Vandenhoeck, cuius sumtibus liber prodiit, seorsim edi curabit, si 400 emtores se obtulerint. Primarium subsidium, quo vterque hic psalmorum interpres ad perpoliendam nouam suam editionem vsus est, *Biblia* sunt *Kennicottiana*, quorum alter tomus ante hos paucos annos prodiit. MICHAELIS etiam emendationum suarum omnium rationem reddidit in bibliotheca orientali et exegetica; labor itaque, quem praestantissimus ille philologus Psalmis per multos annos impendit, ad vmbilicum tandem perductus est. Cl. KNAPPIVS pariter versionem magis comtam et nitidam reddere studuit, quae iam antea elegantia se eruditis commendauerat. Breue cuiusque Psalmi argumentum praemissum est; notaeque non textum tantum emendant, sed passim, accita ex Arabum lingua significatione, illustrant. Hae commode textui subiectae sunt. In critica arte exercenda, vitiisque textus concedendis verecundior est, quam olim fuit. e.g. Ps. XVI, 2. 3. XXIV, 6. LXVIII, 5. etc. non ita corrupta putat, ac antea opinatus fuerat. Kennicottiano apparatu variarum lectionum inde a Ps. VIII. vsus est; versionique indicem praemisit lectionum inde desumtarum,

torum, quibus, quoad priorem Psalmorum, partem annotationes eius criticae emendantur, et illustrantur.

---

Q. HORATII FLACCI *Opera*. Recensuit, varietate lectionis et perpetua adnotatione illustrauit M. CHRISTIANUS DAVID IANI. *Tomus secundus*. Lipsiae sumtibus Crusii. 1782. pagg. 533. exc. praef. oct. mai.

Optimum inter sexcentos poetae Venusino, hoc est, doctissimum elegantissimumque interpretem et editorem obtigisse nostratem huncce, cl. IANUM, nemini putamus amplius obscurum, et idoneis arbitris in confesso esse omnibus. Neque enim veremur, ne quis illorum, qui ipsi possint iudicare et experiri velint, moueatur inepta censura ista, qua nuper nasutulus quidam *bibliothecam criticam*, quae Amstelodami editur, inquinauit. Nimirum HENR. WAGNERUS, idem, qui aliquando in KLOTZII tutelam receptus HORATII carmina e scriptoribus Graecis illustrare sibi sumsit, pueriliter defunctus conatu suo, (ille enim, ut hic legimus in praef. et aliunde compertum habemus, censuram istam peperit) quum haberet, cur succenseret ingra-

 tis

tis aduerſus ipſius praeclara merita Germanis, videretque adeo opuſculum illud ſuum (quod ipſe ſine dubio pro claſſico haberi cupit,) plane praetermiſſum eſſe in librorum ad HORATIVM illuſtrandum ſpectantium enumeratione, quam cl. IANI primo volumini praefixerat, benignam ſibi videbatur occaſionem nactus eſſe, inuidiae ſuae et indignationis, diu ſatis tacito ſub pectore preſſae, teſtificandae, exercendaeque *artis criticae* eius, qua pollet, hoc eſt, argutiae et petulantiae ſcurrilis, quam, hodie exſibilatam ab omnibus bonis, ille vnus omnium a magiſtro ſuo, tamquam heres ex aſſe, occupaſſe videtur. Et eo impudentius inſultauit noſtrati, quo magis a tergo ſecurum ſeſe putabat, palladio ſcilicet iſto, quod *bibliothecae criticae* auctores putantur tenere, tectus. Scimus, hos iam ipſos iniuriam ſuae exiſtimationi factam iſta WAGNERI commentatiuncula grauiter ſentire, atque ſperamus fore, vt proxime libere profiteantur. Quare velimus, miſſum faciat Cl. IANI cenſorem iſtum ſuum, nec dignas habeat calumnias eius et lites, quae diſpiciciantur et retundantur. Lectores enim, cuius illae farinae ſint, iam ſatis cognoſcent ex praefatione, huic ſecundo volumini praemiſſa.

Sed

Sed mittamus illas et nos, atque propius accedamus ad propositum nostrum. Quod ad vniuersam rationem tum criseos tum interpretationis attinet, constitit sibi vir doctissimus in hoc quoque adornando volumine, quod carminum HORATII *librum tertium* et *quartum* comprehendit, et quod, quatuor annorum spatio post primi voluminis editionem elapso, demum ita expolitum procedit, vt moram istam lectores, quamquam impatientissimi, non aegre laturi sint. Quas vero in conatu suo leges V. Cl. sibi scripserit, quam rationem secutus, et quibus praesidiis vsus sit, non opus iam est, vt fusius narremus. Igitur ita saltim fungemur munere nostro, vt partim, quam feliciter in locis impeditioribus versata sit editoris doctrina et diligentia, exemplis quibusdam patefaciamus, partim, vbi nobis certe limam videatur desiderare hoc opus, modeste indicemus.

Lib. III. od. 1. elegantissima statim praemittitur obseruatio de carminis nobilissimi argumento, quod multi male intellexerunt, vt HOMIVS, qui omnem ei nexum deesse iustamque descriptionem iudicabat. Quod autem V. Cl. primum tetrastichon non vult cum multis pro praefatione libri tertii habere, eatenus quidem consentimus omnino, quod

nec discerpendum a reliquis versibus, nec dicendum sit male cohaerere; at videtur certe nobis eodem modo prologi instar esse, quo illud: *Exegi monumentum* etc. epilogus est libri tertii, et illud: *Non vsitata, non tenui ferar penna,* epilogus quasi libri secundi. Hinc et primum libros carminum duo priores iunctim, dein tertium ab HORATIO separatim, editos esse, suspicamur, cui opinioni non repugnat SVETONIVS, qui tantum *tribus carminum libris ex longo interuallo quartum* additum esse, refert, nec vero illos tres *iunctim* (vt placet Cl. IANI) ab HORATIO vulgatos esse, diserte ait. — Vers. 4. quod poeta *virginibus puerisque cantare* velit, propterea eum velle docemur: *quia in tanta saeculi sui corruptela vereretur, vt vulgus adultum, iam obstinatum et obfirmatum ad vitia, ad rectos sensus reduci queat, iuuenilem aetatem, integram adhuc, mollem, docilem, a cuius institutione saeculi secuturi mores pendent, his praeceptis vult initiari.* Subtiliter forte nimis haec dicta sunt. Nolimus vero caussam dicti illius operose quaerere; nec poeta amplius quidquam dicere videtur, ac se maxime popularem fore poetam, et praecepta daturum in commune vtilia, vtrique sexui, aetati etiam, quae alias seuerum de moribus monitorem

vix

vix ferat, iucunda futura. — Verf. 9. recte amouet frigidam coniecturam BENTLEII, ab aliis valde laudatam, pro *Est vt viro* etc. corrigentis *Esto*, h. e. *concedamus*. — At verf. 31. recipi audacter velimus *agro*, quod pro *agros* ingeniofiffime volebat GESNER. — Verf. 35. *carmenta* de informi ad explendum fpatium materia (*Schutt*) intelligi dubito; malim de materia aedificii. — Ibidem *frequens*, quod docta inuerfione pro *cum frequentibus famulis* poni dicitur, nobis nihil aliud eft, quam *adfiduus*, *negotiofus*, ex confuetudine poetarum in primis; addit enim ipfe poeta *cum famulis*. — Laudamus curam, qua V. Cl. in minutis etiam, quae faltim putantur multis, egit, quod v. c. verf. 17. *destrictus* non *districtus*; verf. 37. *Timor* et *Minae* maiufculis literis; verf. 43. *delenit*, non *delinit*; verf. 44. *Achaemeniumue* non *Achaemeniumque* dederit, vbi bene obferuat, cum aliis poetis tum HORATIO (forte antiquis omnibus) follemne eiffe, pro *nec* feu *non* repetendo ponere *aut* feu *ve*.

Od. 2. argumentum, a permultis haud intellectum, ita defcribitur: *de educandis pueris, ad Romanos, in primis principes viros. Si vultis, ciues, nos ad maiorum noftrorum magnitudinem reuerti; iftorum difciplinam in educan-*

 *dis*

*dis pueris sequimini, istorum exemplo hos ad* fortitudinem bellicam (vers. 1-16.) *ad* virtutem (v. 17-24.) *ac* pietatem aduersus Deos (v. 25-32.) *formate.* — Vers. 1. lectionem doctissimam restituit: *Augustam* amice *pauperiem pati*, et *amice* (aduerbium, falso multis pro vocat. acceptum) *pati* e Graeco φιλως s. ἀγαπητως φερειν explicat *non solum aequo animo, sed libenter, vt quasi familiaris ei pauperies sit, bene ei cum ipsa conueniat.* At nescio tamen, quid offendat in dictione *amice pati* pro *clementer.* Non enim solum insolita est, sed et in hoc orationis nexu fere superfluum habet illud *amice.* Malim igitur vulgatum *amici.* Cum illis, quas BENTLEIVS ad hanc lectionem tuendam attulit, inscriptionibus facit etiam illa, quae in cod. Helmst. legitur: *Ad* AMICOS SVOS, *quod pueri debeant assuefieri pati pauperiem et alios labores.* Sed forte corruptus est locus, quod facile potuit fieri propter duplicatam syllabam AM in *August AM AMici.* — Vers. 2. eleganter coniicit legendum esse: *Robustus acri militi* AE *puer*, casu commodi s. scopi, non *militia;* Acron enim ad h. l. sic: *Suadet, ita instituti debere, vt paupertate et exercitio* AD MILITIAM *firmientur.* — Ad vers. 6-12. optime declarauit editor vim et magnificen-

tiam

tiam picturae, inter consummatissimas ex omni antiquitate referendae; itemque quid sit *virtus, repulsae nescia sordidae* (v. 16.) planissimum fecit. Quum alii hoc ita explicent, virum virtute ornatum numquam omnino magistratum petere, ideoque nec repelli posse; obiicit merito, neutrum *per se* Romae bono viro turpitudini fuisse, et phrasin istam accipit stoice de magistratu ac dignitate sapientis, quam is numquam non capit et obtinet, etiamsi a populo nulli honores obtingant. — Vers. 17. lectionem *intaminatis* defendit contra multos, qui duriuscule scribunt *in-contaminatis*, diuiso inter duo versus vocabulo. Quid si legas: *Non taminatis?* Hoc enim non insolentius esset, quam *intaminatis*, et abesset ambiguitas. — Haerebant interpretes plerique in *laude silentii;* (vers. 25. sqq.) noster docet, religiosum silentium, mysteriis *et sacris debitum* intelligi, et poetam hac quasi tertia adhortatione ad sanctum etiam cultum Deorum velle iuuentutem institui, ac deinde pro homine scelestissimo ponere *qui Cereris sacrum Vulgarit arcanae.* Hoc modo totum omnino carmen optime cohaeret.

Od. 3. vers. 1. sic dedit: *Iustum ac tenacem,* et vers. 6. *Nec fulminantis magna manus Iouis,* melius, si quid audio, quam vulg. *Iust. et*

 *ten.*

*ton.* ac *magna Iouis manus*; Laudat vero etiam lectionem *magna domus Iouis*, in quo nobis minus viua videtur imago esse. Nolimus etiam *magna manus* inuersum putare pro *manus magni Iouis*, sed *magna* pro vulgari *grauis, timenda*, vt Gr. *μεγας* persaepe. — Vers. 9. *hac arte* explicat: *animi virtute*, et addit: *vel simpliciter*: hoc modo, *seu vt hodie aiunt*, medio, *e Gr. μεχανη*. Recte; sed putarim, respici simul ad *artem strategeticam*, et sensum esse: *haec erat illa ars vnica, qua coelum et diuinos honores expugnarunt viri immortales.* — Ad vers. 12. calamo errauit editor, quod duplicem lectionem in eodem vocabulo ex Helmstad. codice laudat *bibit* et *bibet*; habet ille solum *bibet*. Ceterum versum hunc ita intelligit: *Purpureo ore* (h. e. pulchro vultu insignis) *bibit nectar*, vt *os* non proprie accipiatur, quia leuius esset labra purpurea memorare in Deo, nec *ore* iungatur cum *bibit*. Prouocat propterea ad Stat. Th. III. 440. *Aurora purpureo vehit ore diem.* Ferri potest haec explicatio, nec magni interest; at potest etiam salua sententiae venustate *os* proprie intelligi et iungi cum *bibit*, immo quia *bibere* dicitur, aptius est ita. Alia ratio, vbi *ori* tribuitur actio quaedam, quae non est labrorum, vt in isto Statii *vehere*. Optime

vero

vero reiicit V. Cl. argutias interpretum in h. l. multiplices et mirificas, nec offendere debere ostendit, quod non forte promittatur Augusto locus inter Deos, sed iam hunc occupasse viuus dicatur; *vati* enim licere, exquisitiori mentis nisu in coelo accumbentem iam nunc cernere eum, cui viuo adhuc et praesenti diuini honores decreti essent; et prisco sermone poetico *epulis Deorum accumbere* dici pro simplici *Deum esse*, etiam de terrestri Deo, vt de Aeolo Virgil. Aen. I. 79. Hac de causa et longe ornatius erat *bibit* quam *bibet*. — Maxime autem nobis placet illa ratio, qua tum in argum. tum in notis consilium, quod poeta in hoc carmine habuit, declaratum est, in quo sane genere editor doctissimus, quippe melior poeticae artis, ingeniique fecundi, et lyricae potissimum audaciae iudex, ceteros commentatores omnes egregie superat. Illos cruciauit magnopere Iunonis de apotheosi Romuli habita in Deorum concilio oratio. (vers. 18.) Plerique subodorati erant certum quoddam poetae consilium ad statum politicum eius temporis spectans; alii aliud, quamquam illorum opinio, qui Horatium Augusto transferendae Ilium sedis imperii dissuadere voluisse putarant, regnare fere coepisset. Missis his et reliquis eruditis ineptiis Cl. I. nihil

deprehendit in toto carmine, ac laudem constantiae, lyrica ratione tractatam, et exemplis heroum, quibus illa diuinos honores conciliarat, firmatam. Ex his vero Romulum in primis a virtute et constantia eum in modum laudari, ut ipsa Iuno, inimicissima quamquam Troianorum nepotibus, immortalitatem et apotheosin ei oratione in senatu Deorum dicta concessisse, imperiique ab illo fundandi aeternitatem ac magnitudinem inuidendam promisisse fingatur.

Eadem facilitate felice od. 4. mellitissimi carminis enarrauit argumentum. Singulares etiam locos, in quibus vel interpretatio difficilis, vel deprauata lectio videbatur, egregie expediuit. Vers. 9. retinuit lectionem vulgatam *fabulosae*, idque idoneis de caussis, et recte cum LAMBINO *fabulosae palumbes* coniungit, nec tamen hoc eo refert, quod currum Veneris traherent columbae, sed quod de augurio a columbis dato multae exstarent fabulae, illique augurio, vt laeto et sancto, plurimum antiquitas tribueret. — Vers. 10. recepit *Altricis* pro *Nutricis*, quod sine dubio ex interpretamento est illorum, qui de muliercula quadam, poetae nutrice, sermonem esse, putarent. — Ibid. seruauit quidem vulgatum illud *Apuliae*, hoc tamen certissimum esse censet,

in

in hac voce corruptelam esse, quia fieri non potuisse sentit, vt poeta tam elegans statim post *Appulus* (vers. 9.) poneret iterum *Apuliae.* „Credere possis, inquit, poetam scripsisse *Altricis extra limina patriae*, vt *altrix patria* (sicut Virgil. Aen. III. 273. *terra altrix Vlixi*) sit vel Apulia, vel, quod magis placere possit, ager Venusinus, extra cuius *limen* h. territorium, quale cuiuis coloniae esset, exerrasset puer. Facile *n* ex *limina* voci sq. adhaerere et ex *liminAPATRIAE* fieri potuit *Apuliae.* Facile et potuit quis ad *patriae* adscribere scholion *Apuliae* et hoc post in textum inferre librarius, cui etiam in animo et oculis esset praecedens *Appulo.*„ Haec certe emendatio ceteris omnibus facile praestat interpretum coniecturis; sed vti viro cl. indignum poeta suauissimo videtur scripsisse *Appulo* et statim post *Apuliae*, ita nobis parum eleganter dictum, insolenter et otiose *altricis patriae.* — Vers. 11. *ludo fatigatumque somno*, verba, quae HOMIVS obscuritatis accusarat, de eo intelligit, qui ludens somno obrepente vincitur, opprimitur, ei tandem succumbit, et ex Homer. Il. k. 98. *καματῳ ἀδδηκοτες και ὑπνῳ* sumtum putat.

Sed longum foret, hunc in modum plura prosequi carmina. Et sufficiunt haec, quae descri-

descripsimus, nostro proposito. Hoc vnum addere liceat, videri nobis virum doctissimum amori et admirationi poetae sui nonnumquam nimium dedisse, eoque adductum fuisse, vt et nullum in illo negligentiae obrepentisque somni vestigium agnosceret, et si quod sponte se offerret in lectione vulgari, illud deterere studeret. Cuius quidem studii aliquot iam dedimus exempla; longe plura in medium afferri possunt. Ita Lib. III. carm. 11. vers. 17. et 18. verbis: *quamuis furiale centum muniant angues caput eius, atque* — ita offenditur, ita vulgare, ita languidum, et humile illud *eius* esse censet, vt Horatio ignosci prope non possit, qui hoc in primis in carmine eo sit vsus. Optimum e ratione critica, sensuque lyrico, videtur ipsi esse Bentleianum: *Muniant angues caput, exeatque Spiritus etc.*, nec tamen displicet *emicetque*, vel *atque monstri*. Tandem vero inuitus cogitur fateri, nos, si putes, Horatium, quum esset homo, esse hoc loco lapsum, omnibus coniecturis carere posse. — Lib. III. carm. 14. vers. 10 et 11. librorum omnium lectionem: *Vos, o pueri et puellae iam virum expertae*, reiecit, et in textum assumsit audacem quidem et ingeniosam satis CVNINGAMI emendationem *Iam virum* (virorum) *expertes*. Sed hoc, quamquam GESNERI

NERI adnotatione acquiescerem, tamen multo excusatius est, quam quod Lib. III. carm. 17. quatuor versus integros 2 - 5. pro interpolatis habet. Cuius quidem suspicionis caussas in *excursu II.* ad lib. III. copiose enumerauit; (p. 321 - 326.) omnes vero eo redeunt, quod indigni Horatio isti versus videantur. Quidni igitur dormitauerit interdum, qui poetarum principem quandoque dormitasse arbitratur?

Ceterum hic tomus quoque eleganter cultus et ornatus procedit, cum typorum et chartarum venustate, tum imagunculis a ROSMAESLERO aeri incisis. In fronte ORPHEVS apparet; ab initio libri tertii SAPPHO; quarti PINDARVS.

---

MENASSEH BEN ISRAEL *Rettung der Juden;* i. e. Defensio Iudaeorum. Ex Anglico vertit et praefatus est MOSES MENDELSOHN; instar appendicis ad cl. DOHMII librum de ciuili emendatione Iudaeorum. Berolini et Stettini ap. Frid. Nicolai. 1782. 8. praef. pagg. LII. libell. p. 64.

De Dohmiano libro sine dubio compertum iam habent lectores nostri omnes. Dignus omnino erat libellus celeberrimi Rab-

bini

bini MENASSIS BEN ISRAEL, qui hoc tempore inter nostrates magis innotesceret. Scriptus est a. 1656. in Anglia, quum de restituendis Iudaeis, qui regnante Eduardo I. expulsi erant, consilium iniretur. Prima sectione argumentis grauissimis demonstrat auctor, Iudaeos Christianorum sanguine in celebratione Paschatos aliorumque festorum certissime non vti; iuramentumque addit maxime solemne, quo in praefatione etiam MENDELSOHNIVS se adstrinxit, sibi tales ritus Iudaicos plane ignotos esse. Pergit reliquis sectionibus Iudaeos defendere contra nimiam venerationem Pentateuchi, cuius accusati fuerunt, item contra maledictiones, qua Christianos afficere dicuntur, blasphemias, studiumque alios ad religionem suam pelliciendi. Probat tandem, Angliae emolumento fore, si non amplius aqua et igni Iudaeis in hoc regno interdictum sit. MENDELIDES in praefatione felicem se praedicat, quod senium suum in tempora inciderit, quibus ipsi Christiani, quorum etiam maxime interest, de emendandis Iudaeis cogitant. LESSINGIVM DOHMIVMque laudat, qui humana iura ad Iudaeos extendi voluerint. Miseram ciuium suorum sortem luget, quibus modo haec modo illa vitia exprobrata sunt; sed veremur, ne

ne nimis abiectam sibi suorum conditionem fingat. Ab omnibus artibus, scientiis, vtilibusque negotiis seclusos esse dolet. At nemo Christianorum principum, in regionibus vbi degunt, vnquam prohibuit, quo minus, si velint, etiam artes liberaliores excolant, vel disciplinis operam nauent. Scholae ipsis Christianorum praeceptorum patent, quas intrent, si quid cognitione dignum ibi tradi putent. Gradus etiam academicos in eos conferri notum est; medicosque accitum iri ad aegrotorum cubilia satis verisimile est, si modo Christianis medicis eruditione et dexteritate antecellere studeant. Nouimus adeo ciuitates, in quibus Iudaeis facile est, incolarum adsequi iura, non item alienae sectae *Christianae* addictis. Liberali eruditissimi philosophi ingenio indignus videtur sarcasmus ille, quod Iudaei etiam hodienum hic illic noctu vrbe exulare iubentur, quia consuetudo, quae eos inter et malos spiritus intercedit, satis nota est, p. XII. Acclament etiam Iudaei nobis, quod teste ipso MENDELSIDE nos illis diximus: *Simus amici!* haecque inprimis opprobria silentio tegantur, quae pudet et dici potuisse et non potuisse refelli. Aliis multis in locis huius disputationis aequitatis leges, quas a Christianis contemni aegerrime queritur,

trans-

transgressus et ipse esse nobis videtur. Dum enim omnino insontes esse Iudaeos praedicat criminum, quorum olim insimulati fuerunt, in Christianos acerbiores crudelitatis coniicit accusationes. Parum abest, quin ab istis nihil vnquam iactitet admissum esse, quod poena dignum fuerit, ab his vero semper inhumanis, iniustis, cruentisque consiliis actum esse, pronunciet. Vtrumque, et a vero alienissimum, et lubricum est dictu, maximeque indignum viro, qui pacificum se gerere cupit, ac patronum agere hominum, vt ipsi videtur, infelicissimorum. Hic enim potius *commiserationem*, quam *pudorem* excitare debebat, et eorum, quae ab vtraque parte olim peccata sunt (nam illa *hodie* neutri parti vitio verti par est,) studiosius delere memoriam, quam refocillare se, vt omnis culpa in *alterutram* vnice partem recidat. Quod autem ad ipsa auctoris consilia pertinet et desideria, non modo ferri Iudaeos in ciuitatibus Christianis, nec tantum ciuium priuilegiis omnibus donari, sed omne etiam ciuile discrimen inter vtriusque religionis cultores auferri, omnem separatae societatis formam vtrisque adimi, cupit. Veremur, ne somnia sint. Quamdiu enim Christiani *Christianam* et Iudaei *Iudaicam* religionem tenebunt, tamdiu non modo altera pars

alteri

alteri videbitur capitales quosdam errores tenere, ſed re vera Iudaei et Chriſtiani in ſumma religionis *contrarias* omnino ſouebunt ſententias, quae nullo pacto reticeri, multoque minus reconciliari poſſunt, ſed quae ſemper facient, vt altera pars alteram pro oppoſita ſibi et inimica habeat. Hinc igitur vltra mutua humanitatis ac tolerantiae ciuilis officia extendi non poterit ſperata reconciliatio. Eo etiam tendit grauis adhortatio, qua cauſam ſuam perorat celeberrimus philoſophus, ciuesque ſuos ad amorem in nationes, quibuscum viuunt, accendit. — De ſtudio, externa partium ad vnam religionem pertinentium diſſidia tollendi, iniquius iudicat cl. Editor: (pag. 42 ſq. not.) namque illud rectam viam eſſe contendit ad iſtam odii plenam intolerantiam; quare eos vituperat, qui principum animos adducere, ſeu corrumpere potius (vt ipſi videtur) tentant, vt tollendis diſſidiis operam dent. Sed non perpendit, chriſtianam veritatem, quae ſuſpicionum inimicitiarumque materiam de medio tolli cupit, eandem non ſolum tolerandorum, ſed etiam diligendorum ac venerandorum Iudaeorum fuiſſe auctorem.

---

D. CHRIST. GOTTFR. GRVNERS *Anleitung Arzneien zu verschreiben etc.* seu artis medicamenta praescribendi institutio, in vsum lectionum acad. Heidelb. et Lipsiae, ap. fratres Pfähler. 1782. 8. 327 pagg.

Notissimus libellus latinus Ill. GRVNERI est, ante aliquot annos editus, cuius hanc versionem teutonicam, eamque satis fidam, dedit vir quidem clarissimus, vt rumor fert, ZWIERLEIN, Prof. Fuldanus, neque opus est multis de eius vel praestantia, vel vtilitate disserere. Id vnum dolemus, interpretem non adiisse cl. auctorem et propositum aperuisse prius, quam ad vertendum se accingeret. Hac enim via potuissent quaedam addi meliora, quae vsus diesque docuit, quaedam demi, vel alio loco collocari, salua breuitate. Sed contenti simus hoc Catone, qui eorum maxime plausus feret, qui sine literis latinis medicinalem artem amplexi sunt.

---

*Des Ritters Carl von Linné Lehrbuch über das Natur-System, so weit es das Thierreich angehet etc.* h. e. LINNAEI Systema regni animalis, in epitomen redactum ex editione Mülleriana. Norimb. ap.

ap. Raspium. *T. I.* 1781. pagg. 688. figg. 20. *T. II.* pagg. 636. praeter indicem et figg. 22.

Habes hic, lector, plenam, doctam et apprime factam epitomen regni animalis, in qua nihil desideres, quod ad penitius cognoscendam naturae oeconomiam pertinere videatur, videasque in figuris nitidis et eleganter coloratis potiora animalia, aues, pisces, insecta, conchylia expressa. Optandum ergo id vnum est, vt quique historiae naturalis studiosi hanc sibi coemant editionem, in qua, tanquam in nuce, continentur hac in parte scitu lectuque necessaria.

---

*Grundriß der Geschichte der christlichen Kirche* — i. e. L. T. SPITTLERI delineatio historiae ecclesiae Christianae. Gottingae ap. Vandenhoekii vid. 1782. pagg. 488. 8.

Librum hunc eo se consilio eumque in modum scripsisse ait auctor, vt et lectionem praeberet vtilem his, quorum intersit cognoscere in vniuersum ecclesiae Christianae fata, et breuiarium simul exhiberet, quo vti commode possint in acroasibus suis doctores academici. Nobis quidem vterque hic finis vno eodem-

que libro vix posse obtineri videtur. Et bene vidit ipse suscepti sui difficultatem auctor, nec superauit omnino. Dum enim alteri suo proposito diligentius inhaereret, alterum fere neglexit. Vt satisfaceret illis, qui legendo sibi aliquam huius historiae scientiam quaerere cupiunt, omnem quidem eruditionis speciem abiecit, atque explicatiorem de rebus memoratu dignissimis narrationem instituit, quam opus erat in primis lineis, à magistro academico susius diducendis. Ad hunc vero vsum nobis eius modi liber aptius videtur compositus, qui breuem ac simplicem tantum rerum, vberius viua voce edisserendarum, summam comprehendit, qua memoriae saltim relegentium bene consulitur, longe vero locupletiorem fontium, e quibus historia haec tum vniuersa, tum praecipuae quaeque illius partes hauriri debeant, subsidiorumque, quibus augeri illa possit et amplificari, notitiam suppeditat. Patrum autem, doctorumque et scriptorum principum omnis aeui ecclesiastiсorum, quorum nonnulli tantum obiter commemorantur ab auctore nostro, in tali libro potissimum desideramus recensionem literariam, succinctam quidem sed accuratam.

Interim iniquum foret, negare, librum hunc praeclaras habere dotes, quae multis aliis eius

generis

generis breuiariis desunt. *Pragmatice*, vt aiunt, historiam scribendi, quam multi temere sibi vindicant hodie, artem probe callet SPITTLERVS. Cui laudi, quam aliis iam scriptis egregiis, veluti *historia iuris canonici* et commentatione de *fatis calicis eucharistici* sibi conciliauit, nouo hoc amplioris argumenti opusculo cumulum adiecit. Quam viuas rerum hominumque descriptiones, vel picturas potius graphicas, dare, quamque scite inuestigare et concise tradere possit rerum gestarum caussas, occasiones, effectus, consilia, fructus, adminicula, impedimenta, nemo non magna cum voluptate perspiciet. Legas mihi vel propagationis sacrorum Christianorum per varias aetates historiam (p. 29. 75. 161. etc.) vel hierarchiae primas origines, (p. 38.) et incrementa, (p. 81.) ac dominationis Episcoporum Romanorum progressus, (p. 171 - 212.) vel de controuersiis Nestoriana, Eutychiana, aliisque narrationem, vel, quia difficilis est delectus, omnem potius librum perlegas; et agnosces scriptorem, qui rebus etiam notissimis nouam lucem et gratiam dare, omnemque historiam hancce ita pertractare didicit, vt non modo memoriae temporum, sed in primis veritatis magistrae vicem sustineat. Et sane summo iure hic liber *historia ecclesiae*

*Christianae* vocari meretur, quum plerique alii, isto nomine insignes, partes tantum quasdam male disscissas, veluti historiam doctorum, rituum, sectarum, opinionum, etc. contineant. Haec vero omnia coniunctim ita sub vno quasi obtuitu posita sunt ab auctore, vt perpetuo ob oculos habeas vniuersam ecclesiam, et vt nihil fere referatur, nisi quod aliquo modo ad ecclesiae huius fortunam, gloriam, ignominiam, incrementa et damna efficax fuisse, appareat.

Quod igitur ad ordinem attinet, quem lucidissimum haec historia tanto magis poscit, quo amplior illius est campus et quo diffusior varietas rerum, quas illa comprehendit; duplicis generis classes auctor constituit, in quas vniuersam narrationem distribueret. Primum enim intuitu *temporis* merito quidem SCHROECKHII exemplum in eo secutus est, quod ab ista permolesta per centurias annorum diducendi historiam Christianam consuetudine recessit, sed in hoc diuersus ab illo est, quod non per *quatuor*, sed noua sibi via strata, per *sex periodos* historiam suam descripsit. Harum I. vsque ad Constantinum M. II. ad Muhammedem; III. ad Gregorium VII. IV. ad Lutherum; V. ad fundationem academiae Halensis; VI. vsque ad nostra pertingit

tempora. Singulis hisce epochis accedunt notationes rerum in illis memorabiliter gestarum chronologicae. Perplacet nobis haec distributio, nisi quod forte *primum* tempora a Gregorio VII. vsque ad Lutherum commodius dispesci in duas periodos possent, quarum terminus intermedius constitueretur *Clementis V*. et reliquorum Paparum Auenionensium, hoc est, inclinatae dominationis pontificiae aetas; *deinde* vero *quintam periodum* malim definiri *vsque ad Thomasium*, seu potius *vsque ad Petrum Bailium*; ille enim cum sua academia fere solam Germaniam, vel ecclesiam saltim Lutheranam, hic vniuersam Europam exercuit et sollicitauit. Sed optimum foret, historiam inde a Luthero vsque ad nostram aetatem plane non dissecari amplius, quia per hoc temporis spatium ipsa *tripartita* ecclesia (occidentalis nempe) historiam partitur. Deinceps vero singularum ecclesiarum historia in suas iterum periodos distribui posset, eo modo, quo ipse auctor instituit. Abire enim in sua enarratione coactus est ab illo ordine, quem semel sibi praescripserat. — Intuitu *rerum* ita potissimum in singulis hisce periodis versatus est auctor, vt historiam 1) propagatae Chr. religionis, 2) externi ecclesiae status s. hierarchiae, 3) doctrinae theologicae narraret.

raret. In duabus vero postremis periodis primum de Lutheranae, dein de Reformatae, post Romanae ecclesiae rebus exposuit. Bene omnino in periodo quinta iterum separatim tractauit Lutheranorum historiam, ante et post formulam concordiae; Reformatorum, ante et post concilium Dordracenum; Romanensium, ante et post concilium Tridentinum. Periodo nouissimae addidit historiam *irreligionis et Socinianismi.* Reformatorum autem in illa non amplius mentionem fecit, tamquam illi exspirassent, sed historiam eius nouissimam verbis paucissimis delineauit, additis periodo quintae. Hinc iterum patet, quam incommoda sit ista temporum post Lutherum descriptio in periodos duas. Immo vniuersa periodus sexta cum quinta fere concrescit, ac nullo plane signo discernitur. Christianos Graecos et Orientales post Lutheri tempora ne verbo quidem commemorauit. Nescimus, quidni; consulto quidem omnino. Causam enim (p. 335.) affert hanc, quia *vitam hominis iamiam moribundi historicus nullus scripturus sit:* id quod vel omni caret sensu, vel argute magis, quam apte dictum est. Nobis vero propositi sui valde immemor esse videtur, qui historiam *ciuitatis* alicuius magnae pollicitus, origine quidem et incrementis illius memo-

memoriae mandatis, filum ſubito abrumpit, et incertum plane relinquit lectorem, quae eius ciuitatis conditio fuerit decreſcente iam priſtina potentia et viribus propemodum exhauſtis. Praeterea autem non omnino nullius momenti ſunt eccleſiae Graecae fata quaedam, ac digna, quae in enchiridio quouis hiſtoriae eccleſiaſticae memorentur, v. c. acta de Graecis cum eccleſia vel Romanenſium, vel Proteſtantium conciliandis; CYRILLI LVCARIS ingentes, quamquam infauſti, conatus; florentior ſtatus Ruthenicae eccleſiae poſt Petrum M. etc.

In ipſis vero rebus ab auctore relatis, merito agnoſcimus ſagaciſſimum delectum. Non modo enim nihil hic offendas vel plane falſum, vel ambiguum incertumque, ſed etiam nihil, quod non in primis memoratu dignum fuerit, nihil, quod ignorare poſſit, qui vniuerſae huius hiſtoriae primas lineas deſideret; adeoque magis deeſſe quaedam, quam ſupereſſe dixeris. Nam per totum librum vberior eſt iudiciorum, ſententiarum, obſeruationumque *circa res geſtas*, quam ipſarum rerum geſtarum copia. Hinc et illi tantum cum vtilitate et voluptate eximia lecturi ſunt, qui iam imbuti ſunt, idque non leuiter, huius hiſtoriae notitia.

Scribendi genus veneres multas habet, flosculis omnis generis refertum, salibus conditum, comparationibus, acute lepideque et iocose dictis vehementer distinctum. In ipsis tabulis chronologicis temperare sibi non potuit ab ingenio luxuriante. Fuit, vbi simpliciorem narrationem, stilumque magis castigatum optassem. Occurrunt etiam dictiones, quae patriae auctoris dialecto, Sueuicae nimirum, vnice propriae sunt.

---

Icones plantarum medicinalium. *Abbildungen von Arzneygewächsen.* 8. Norimb. vend. Raspe.

Prodiit *prima centuria* 1779. *secunda* 1780. *tertiae* prior pars 1781. posterior 1782. Editor praestantissimi huius libelli est Cl. ZORN, pharmacopoeus haud spernendae scientiae, cui hoc erat potissimum propositum, vt plantae secundum LINNEVM viuis exprimerentur coloribus, magnitudine, quoad eius fieri poterat, naturali, cum totae, tum eius partes nobiliores, praesertim fructificationis, v. c. radix, fructus, semina, folia, praeuia quadam tabularum explicatione germanica et latina, ideoque cuiuis naturae indagatori liceret, ex habitu cognoscere, quo ordine quaeque collocan-

locanda sit. Arduum profecto opus et multis implicitum difficultatibus, quas nisi omnes, certe plurimas, quam felicissime superauit et editor, si delectum, et pictor, si artem spectes. Naturam enim coram te intueri iurares, non imitatione expressam imaginem. Sed mittamus laudes vnaque centuriam primam et alteram, nosque in indicanda centuria tertia contineamus. Continentur ea *Aristolochia longa, Veronica beccabunga, Rhamnus catharticus, Trifolium melilotus off. Anthemis pyrethrum, Agrimonia eupotaria, Acorus calamus, Atropa mandragora, Glycyrrhiza glabra, Linum catharcticum et vsitatissimum, Gentiana purpurea, Galega off. Alisma plantago, Conuoluulus Scammonea, Anthericum ramosum, Satureia hortensis, Myricagale, Hyosciamus albus, Malua alcea et rotundifolia, Festuca fluitans, Geum vrbanum, Artemisia vulgaris, Eruum eruilia, Spartium scoparium, Chenopodium botrys, Ocymum basilicum, Doronicum pardalianches, Corylus auellana, Iberis vmbellata, Plantago maior, Ammi maius, Nepeta cataria, Ligusticum leuisticum, Physalis alkekengi, Lysimachia vulgaris, Alcea rosea, Cuscuta europaea, et Epithymum, Artemisia, Santonica, Mirabilis ialappa et longiflora, Lonicera periclymenum, Saluia horminum, Santoli-*

*na*

*na chamae-cypariſſus, Tanacetum vulg. Cucumis ſatiuus et anguria, Tropaeolum maius, Monarda didyma, Hedera helix, Nicotiana tabacum, Cucurbita citrullus, Curcuma rotunda, Rheum palmatum, Siſon ammi, Gentiana lutea et pneumonanthe, Salſola kali, Selinum paluſtre, Rhamnus frangula, Rumex alpinus, Digitalis purpurea, Melampyrum nemoroſum, Salicornia herbacea, Aſclepias Vincetoxicum, Ballota nigra, Orchis moria et bifolia, Xanthium Strumarium, Punica granatum, Hypochaeris maculata, Inula dyſenterica, Angelica archangelica, Antirrhinum orontium, Vitis vinifera, Tordylium off. Achillea nobilis, Rubus fruticoſus, Tilia europaea, Amygdalus perſica, Aloe perfoliata vulg. Aloe perfol. ſuccotrina, Lactuca viroſa, Datura Stramonium, Areca catecha, Epidendrum vanilla, Aconitum lycoctonum et cammarum, Viola tricolor, Tamarindus indica, Cinchona off. Cupreſſus ſempervirens, Dracocephalum Moldauica, Veratrum album, Scorzonera humilis, Artemiſia dracunculus, Goſſypium herbaceum, Capſicum annuum.* Traditur vtiliſſimus artisque peritis commendabilis liber per faſciculos, quorum quisque 50 figuris et textu breui conſtat, et *quatuor Imperialibus* venditur. Hac via eſt parabilior, et inſtar bibliothecae botanicae haberi ac circum-

cumferri poteſt. Quare in votis eſt, vt emtorum copia animum et bibliopolae, et editoris ad pergendum excitet, neque illos numorum, hos ſumtuum et operae poeniteat.

---

IOS. IAC. PLENK — Prof. Budenſ. *Elementa medicinae et chirurgiae forenſis.* Viennae ap. Graeffer. 1781. 8. pagg. 184.

Notiſſimus eſt PLENKIVS πολύγραφος, et omnes eius libelli ſibi tam ſimiles ſunt, nihil vt ſimilius eſſe poſſit. Ecce iterum nouum deproperati ſtudii documentum! Siſtitur medicina forenſis, tanquam in tabula expreſſa. Conſtat *quaeſtionibus ex foro criminali, ex foro ciuili, ex foro canonico, ex foro politico;* vbique per *ſigna* proceditur. Hinc leguntur *ſigna homicidii per vulnus, per contuſionem, per toxicationem* cet. *ſigna infanticidii, procurati abortus, ſubiecti pro tortura et ſufferenda poena, capacitatis haereditariae infantis viui, ſuperfetati* cet. *ſigna ſterilitatis, monſtri, daemoniae, magiae, ſpectri, miraculi* cet. in quibus firmitatem iudicii, deſcriptionis praeſtantiam, veri vim atque ordinem lucidum, quin ipſam ſermonis latini elegantiam deſideres. Ecquis vero daemoniam, magiam et id genus alia huic medicinae parti inſerat?

Inde

Inde enim quod commodum in artem medicinalem redundet, nescio. Ex quo sequitur, vt ista elementa praelectionibus apta nullo modo sint, cum talia ridicula et absurda nec Lutheri adsecla, nec Pontificis Romani cultor prudens amplius credat.

---

## *III. De libellis academicis et scholasticis.*

*Duisburgi* prodiit libellus elegantissimus, quem *De virtutibus Epistolae Iacobi catholicae ad* SAM. FR. NATH. MORVM, *Prof. Lipſ. inclytum ſcripſit* THEOPH. ERDMANN. GIERIG, *ſcholarum Lennepp. in Montanis Rector.* pagg. 40. 8nis. Duplicis generis virtutes epistolae huic, quam iniquissima saepe iudicia expertam esse constat, nunc vindicandas sibi sumsit A. quarum alterum ab ipsa *argumenti bonitate,* alterum vero ab eius *tractandi ratione* est petitum. Quoad ipsum enim argumentum eam Paulinis quibusdam multum praestare dicit, cum non, vt in illis fieri videas, singularum ecclesiarum rixas componat, sed tota omnium locorum, temporum ac generum hominibus attemperata reperiatur, et omnis in eo sit: vt vniuersum hominis animum saluberrimis praeceptis imbuat, et ad

Chri-

Christianismi perfectionem conformet; quod, postquam vniuersa epistolae summa proponenda praeclare ostendit A. post etiam docet, eam nec eo nomine improbandam esse, quod, omissis fidei dogmatis, de moribus tantum et vitae sanctitate praecipiat. Quibus pertractatis ea etiam loca tangit, quae nostros male olim habuerunt, inprimis e cap. II. vbi v. 18. Iacobum mutato verborum ordine ita scripsisse putat: σου ἐργα ἐχεις, καγω πιστιν ἐχω, et in sequentibus cum GROTIO et BENGELIO lectionem χωρις praefert; quod vtrumque etsi non incommodum nobis videtur, tamen vt certo statuatur, non necessarium esse arbitramur. Vbi vero ad virtutes in argumenti tractatione conspicuas delatus est A. recte primum negat, eas in ordine praeceptorum et epistolae dispositione quaerendas esse, cum Apostolum saepe ad alia esse digressum, mox vero ad propositum rediisse adpareat. Nihilominus tamen eorum etiam sententiae repugnat, qui ex laceris et piis meditationibus eam compositam et quasi consutam esse pronuntiarunt, docetque, pleraqua bene cohaerere, digressionesque satis commode adspersas esse. Praeterea vero *similitudinibus* etiam, quibus referta est haec epistola, multum ei ornatus atque perspicuitatis conciliari ostendit,

neque

Inde enim quod commodum in artem medicinalem redundet, nescio. Ex quo sequitur, vt ista elementa praelectionibus apta nullo modo sint, cum talia ridicula et absurda nec Lutheri adsecla, nec Pontificis Romani cultor prudens amplius credat.

---

## *III. De libellis academicis et scholasticis.*

*Duisburgi* prodiit libellus elegantissimus, quem *De virtutibus Epistolae Iacobi catholicae ad* SAM. FR. NATH. MORVM, *Prof. Lips. inclytum scripsit* THEOPH. ERDMANN. GIERIG, *scholarum Lennepp. in Montanis Rector*. pagg. 40. 8nis. Duplicis generis virtutes epistolae huic, quam iniquissima saepe iudicia expertam esse constat, nunc vindicandas sibi sumsit A. quarum alterum ab ipsa *argumenti bonitate,* alterum vero ab eius *tractandi ratione* est petitum. Quoad ipsum enim argumentum eam Paulinis quibusdam multum praestare dicit, cum non, vt in illis fieri videas, singularum ecclesiarum rixas componat, sed tota omnium locorum, temporum ac generum hominibus attemperata reperiatur, et omnis in eo sit: vt vniuersum hominis animum saluberrimis praeceptis imbuat, et ad

Chri-

Chriſtianismi perfectionem conformet; quod, poſtquam vniuerſa epiſtolae ſumma proponenda praeclare oſtendit A. poſt etiam docet, eam nec eo nomine improbandam eſſe, quod, omiſſis fidei dogmatis, de moribus tantum et vitae ſanctitate praecipiat. Quibus pertractatis ea etiam loca tangit, quae noſtros male olim habuerunt, inprimis e cap. II. vbi v. 18. Iacobum mutato verborum ordine ita ſcripſiſſe putat: *συ ἐϱγα ἐχεις, κἀγω πιϛιν ἐχω*, et in ſequentibus cum GROTIO et BENGELIO lectionem *χωϱις* praefert; quod vtrumque etſi non incommodum nobis videtur, tamen vt certo ſtatuatur, non neceſſarium eſſe arbitramur. Vbi vero ad virtutes in argumenti tractatione conſpicuas delatus eſt A. recte primum negat, eas in ordine praeceptorum et epiſtolae diſpoſitione quaerendas eſſe, cum Apoſtolum ſaepe ad alia eſſe digreſſum, mox vero ad propoſitum rediiſſe adpareat. Nihilominus tamen eorum etiam ſententiae repugnat, qui ex laceris et piis meditationibus eam compoſitam et quaſi conſutam eſſe pronuntiarunt, docetque, pleraqua bene cohaerere, digreſſionesque ſatis commode adſperſas eſſe. Praeterea vero *ſimilitudinibus* etiam, quibus referta eſt haec epiſtola, multum ei ornatus atque perſpicuitatis conciliari oſtendit,

neque

neque tamen diffitetur, vix laudandum in epistola videri, quod oratio nonnumquam ad poeticum propemodum ornatum assurgat. Omnia autem haec ita persecutus est GIERIGIVS, vt eum non minus doctum literarum sacr. interpretem, quam rerum etiam, quae traduntur, rationisque, qua recte tractentur, iudicem acutum et subtilem esse adpareat. Inprimis vero germanica, quam huic libello inseruit, locorum ibi tractatorum versio ita nobis probata fuit, vt integram epistolae versionem ab A. nobis exhibitam fuisse, vehementer optaremus, eumque, si ad eundem modum aliorum etiam librorum versionem adornare aggressus fuerit, non infelicem interpretem fore statueremus. Omnibus enim legitimae versionis praeceptis ita respondet, vt paucissima tantum deprehenderemus, quae nobis limae denuo subiicienda viderentur. Huius generis id v. c. esse arbitramur, quod Cap. I, 12. verba: λήψεται τὸν στέφανον τῆς ζωῆς, sic vertuntur: *soll er mit ewigem* Heil gekrönet *werden*, quod, ne metaphora laboraret, saltem sic exprimendum fuisset: *soll er die Krone des ewigen Heils empfangen* Similiter etiam Cap. II, 14. illud: μὴ δύναται ἡ πίστις σῶσαι αὐτόν; potius ita redditum fuisse maluissemus: *kann ihn wohl der Glaube* glück-

glücklich *machen*, quam, vt hic est: *kann ihn wohl der Glaube seelig machen?* Cap. V, 3. vero illorum: ἐθησαυρίσατε ἐν ἐσχάταις ἡμέραις, sensum non recte satis nobis assecutus esse videtur A. cum sic vertit: zu spät *sammlet ihr euch Schätze;* sed multo magis a graeci textus verbis abhorret, quod v. 5. haec ἐθρέψατε τὰς καρδίας ὑμῶν ὡς ἐν ἡμέρᾳ σφαγῆς, sic redduntur: *ihr mästet eure Leiber, wie das Vieh, das man zur Schlachtbank führen will.* Sed praeter haec perpauca reperimus his similia.

---

*Lipsiae* apud Crusium prodiit libellus gratulatorius: *De methodis suffusionem oculorum curandi a* CASA AMATA *et* SIMONE *cultis auctore* CHRIST. GOTTH. FRELBR; 1782. 8va forma plag. 2. cum fig. aere incis. Methodum cataractam extrahendi Casaamatanam accurate describere, descriptionem publici iuris facere operae pretium erat, quum expediti huius chirurgi instrumenta et encheireses ad operationis facilitatem et emendationem plurimum conferant. Vel quadraginta aegrotis visum quam felicissime Lipsiae restituit. Sufficiet hac loco praecipuum ac peculiare methodi indicare. Sub praeparatione

et in curatione, peracta operatione, millepedes exhibere consueuerat. In conclaui lucido, quod fenestras tamen velis obtendendo facile obscurari poterat, mensa mediocris altitudinis insidens, pedes duabus sellis, sellae aegroto occupatae fenestris auersae ad vtrumque latus appositis, fulciens operationem instituebat. Superiorem palpebram vulgari speculo Cheseldiano eleuabat, quae alterutra manu cuiusdam administri in hoc situ continebatur, reclinato simul paullatim capite. Inferiori autem palpebrae immittebat minus speculum argenteum pro ratione genarum protuberantiae flectendum, ex cuius inferiori vnco clauicula ponderis caussa dependens palpebram deprimebat. In operationis primo stadio, sectione nimirum corneae, vtebatur proprio vnco proprioque scalpello. Hoc Berengariano simile quoad superficies; crassitie tamen maiori et conuexa acumine differebat ab illo Richeriano et Wenzeliano. Vncus, ad figuram S Romani flexus, constabat ex manubrio, superficiebus (taillée a pans) instructo, vnco ipso et spina terminali, ad quam duae alae elimatae impediebant, quo minus spina vlterius oculum penetraret itidemque laederet. Indicem maiori flexurae vnci incumbebat,

bat, reliquis digitis manubrium firmiter prehendens. Spinam vnci immittebat in corneae interiorem marginem ad lineam dimidiam ab albaginea. Eodemque tempore e regione auersa mucrone scalpelli perforabat corneam, eoque per diametrum corneae propulso punctum attingebat vnci spina factum, vt hoc ex loco scalpelli cuspis emergeret. Tunc vncum remouebat et ita inuertebat, vt gibbera scalpelli superficies super vnci minorem curuaturam gliscere, nec sua acie profundius coniunctiuam vsque secare posset. Reliqua operatio nihil proprii habebat, praeter quod velis fenestras obtendi iuberet, dum per pupillam egredi cogeret cataractam, et quod, si in colliquatis cataractis caseosae materiei grumi pupillae adhuc inhaerebant, hos aqua tepida cum tantillo spiritus vini per Syringam Annellianam cum paullo latiori cannula eluebat. At deligationem vtebatur fascia, cui ad pollicis distantiam duae spongiae assutae erant, quas aqua cum tertia parte spiritus vini remixta madefactas oculis imposuit et confirmauit fascia, quae duobus foraminibus exsecta concedebat, vt per syringam nouus humor spongiis adiici posset. Sed loco spongiarum etiam lintea carpta adhibebat. — SIMONIS, imperiti plane ac negligentis chirurgi, metho-

dus nullo modo ſe commendauit. Retinaculo etiam oculum firmabat recto, vtilius ad ſcarificandum oculum paracentheſinque administrandam forſitan vſurpando, quam lanceolae emplaſtro inuolutae, acus triqueter MAVCHARTII, aut WOOLHOVSII lanceola.

---

*Lipſiae* pro licentia ſummos in theol. honores capeſſendi S. Ven. SAM. FRID. NATHAN. MORVS d. 20 et 21. Mart. h. a. defendit: *Diſputationem in locum Paulinum 1 Corinth. XV, 35-55.* (V pl.) Ante omnia, quo modo ſibi quidem hic locus in vniuerſum interpretandus videatur, verſione eius propoſita accurata et elegante oſtendit, et e regione eius edidit vetuſtiſſimam translationem Latinam, vulgata verſione antiquiorem, e cod. Boerneriano, qui Dresdae in biblioth. electorali ſeruatur. Tum vero dialectice ſpectauit locum, et quasnam propoſitiones contineat, et quo nexu eas P. tractet, ſubtiliſſime demonſtrauit. Conſtare eum oſtendit quatuor hisce ſententiis: 1) fieri *poteſt*, vt olim nobis corpora, ab his, quae iam geſtamus, diuerſa tribuantur; 2) ſic etiam fieri *debet*, vt haec ab illis re vera diuerſa ſint; 3) ita quoque

que *certo futurum* est; 4) corpora haec noua sic diuersa erunt a pristinis, vt *interitus expertia* (*ἄφθαρτα*) sint. Deinde in reliquorum verborum, quibus Paulus corporum vitae nostrae futurae destinatorum notionem amplius declarauit, sensum sedulo inquirit, dum antitheton alterum ex altero explicat et illustrat, eaque omnia sub vnam *ἀφθαρσίας* notionem, alia modo atque alia parte spectatam, reduci posse demonstrat.

Idem vir doctissimus pro loco in ordine theologorum Lipsiensi occupando d. XVIII Iun. disputauit: *De notionibus vniuersis in theologia,* respond. M. CAR. AVG. THEOPH. KEILIO. (V pl.) Vniuersas in religione notiones dicit eas, *quae opus illud, quod Deus per Christum nostra causa exsequi, nobisque reuelatione innotescere voluit, vel nostram miseriam, nostra emolumenta, nostra officia ita coniunctim significant, vt genus aut totum intelligatur, quae propterea in doctrina christiana propriae, ratae ac fixae, ceterarumque doctrinae chr. partium summa et fundamentum sint, ideoque in religione velut dominantur;* v. c. Christus Dominus, gratia Dei, salus, voluntas Dei, regnum Dei etc. Sic enim, quidquid in doctrina religionis de beneuolentia Dei erga homines, ipsoque beneficio reperimus, id

omne subest χάριτι et σωτηρίᾳ, tamquam species generibus, ideoque χάρις et σωτηρία nominatur. Vim et naturam illarum notionum descripsit vberius, ac de modo earum constituendarum praecepit. Ille pro diuersitate rei, quam quaeque notio vniuersa exprimit, diuersus est. Sunt enim notiones aliae, quae omnino indicant illud opus Christi, fere mixtae e dogmatibus et historia, ideoque ex historiae potissimum partibus quibuscumque, per sacros libros praedicendo, euentu demonstrando, narrandoque sparsis, euoluendae, vt notiones *domini, regni, debellatorum hostium*; aliae vero mere dogmaticae, nostram miseriam, emolumentum aut officium, conditionem felicem, ad quam peruenire possumus, describunt, nec tamen vbiuis verbis iisdem expressae. In his igitur inuestigandis quid potissimum spectari debeat, exemplo quodam lectissimo declarauit. Collegit nimirum plures loquendi modos, qui *de hominum cum Deo coniunctione* agunt; quidnam ad interpretandum praesidii in locis singulis offeratur, ostendit; deinde ex omnium similitudine notionem vniuersam constituit.

Alio libello, quo ad audiendam orationem suam aditialem inuitauit, V. Cl. disseruit: *de vtilitate notionum vniuersarum in theologia.* (pagg.

(pagg. 20.) Habent illae hoc, vt animus mature iis adsuetus discat, ambitum doctrinarum, et singularum et nexarum mutuo, perspicere; vt simplicitatem doctrinae religionis in primis conspicuam reddant; vt viam discendi patefaciant et breuem et certam; vt denique, vbi graues aguntur controuersiae aut magna saltim est sententiarum diuersitas, intelligatur, non tam de re, quam de modo dissensionem esse. — Inest his tribus libellis magna praeceptorum obseruationumque non modo doctissimarum et acutissimarum, sed etiam vtilissimarum copia. Academiae Lipsiensi ex animo gratulamur, quod tandem denuo theologum nacta sit liberalissimi ingenii, scientiaeque politissimae.

---

## IIII. *Noua literaria.*

*Londini* Cel. KIRWANVS lectione publica coram Societate regia Scientiarum Londinensi habita, euicit, (vti GRELLIVM nostrum literis certiorem fecit) principium inflammabile, seu *phlogiston*, nil esse, nisi aerem inflammabilem, combinatione cum metallis fixatum, vti aer fixus in terra calcaria est, illumque paruam ignis quantitatem continere:

si vero metallum ab acidis dissoluatur, haec partem ignis, in ipsis contenti, phlogisto impertiri, quod nunc formam aeream assumat, et aer inflammabilis vocetur. Phlogiston itaque et aerem inflammabilem eandem substantiam esse, in duabus modo diuersis conditionibus; qui eodem plane modo, vt aer fixus in calce, et ex ea expulsus differat. In maiorem huius rei probationem cel. PRISTLEYVS calces variorum metallorum, vti lithargyrii, in pristinam formam reduxit, cum illa ope speculi ardentis in aere inflammabili funderet, qui ab illis modo visibili absorbebatur: cuius residuum aeque facile inflammari potest, ac antea. Eadem ratione acidum phosphoricum in verum phosphorum permutatur. Idem cel. KIRWANVS etiam demonstrauit, aerem fixum esse compositum ex aere *dephlogisticato*, eodemque *phlogisticato*: proportionemque harum partium constituentium exacte determinauit.

---

Initio huius anni Londini prodiit *European Magazine et Review*, magno cum plausu, inprimis ob varia, quae vitas spectant auctorum, sibi relata. — Celeb. IONES edidit leges Muhammedanas de successione ab intestato, in tabulis aeneis eleganter incisas. Prodi-

ie-

ierunt eaedem leges lingua Arabica chara-ctere Anglico, cura eiusdem viri doctissimi, qui versionem Anglicanam cum paucis anno-tationibus adiecit. — Noua editio et auctior coniecturarum in N. T. quas typographus Anglus BOWYER collegerat, nuper in Anglia prodiit typis Nicholsii. — Apud Paynium prodiit nuper: *Propertii μονοβίβλος; or, that Book of the Elegies of Propertius, entitled Cyn-thia; translated into English Verse: with classical Notes.* 8. Speciminis loco Anonymus hanc libri primi elegiarum Propertii versionem dedit, daturus et reliquos, si ille placuerit. Sa-tis fidus interpres est, saepe anxius nimium; at, vt leuem ipse poeta ingenii gloriam habet, ita vix aliquam eius interpretatio feret laudem. Praecipuam huius libelli partem notae efficiunt istae, quas interpres adiunxit, et quae testan-tur, illum poetae suo optime explicando omni-no parem esse. — Dodsley vendit: *Poetical parts of the Old Testament, newly translated from the Hebrew. With Notes critical and explanatory.* By WILLIAM GREEN. M. A. 4. Carmina sunt Lamechi, Noachi, Isaaci, Iacobi, Mosis, Bileami, Deborae, lamentatio Dauidis de Saulo, postrema verba Dauidis, Salomonis canticum, variae pericopae Iesaiae, precatio Habacuci etc. Nonnullae huius col-

lectionis partes separatim iam prodierant antea. Auctor in primis sedulus est obseruator artis metricae Hebraeorum, de qua secundum HARII praecepta sentit, ceterum felicissimus in reddenda proprietate Hebraicae linguae, et lectu apprime suauis. — RICHARD HOLE, LL. B. Cereris hymnum, nuper detectum, et editum a RVHNKENIO, Anglice vertit, pereleganter.

---

Ill. MONBODDO edidit partem alteram Metaphysices antiquae, NEWTONII Principia Astronomica debellaturus. Famam, quam sibi peperit nobilis ille auctor ingenioso opere de origine et progressu linguae, recentissimo hoc perdet.

---

*Augustae Vindelicorum* magno perfusus est gaudio celeberrimus iste P. MERZIVS, acceptis a Pontif. Romano literis, quibus prolixas laudes tulit *ob consuetudinem salutarem, conciones polemicas habendi, et incitatus est, vt in ea constanter perseueret, nec repelli se patiatur hominum male animatorum et ignorantiae tenebris laborantium, calumniis.* — Verendum est, ne quis nequitiarum artifex bonum MERZIVM deceperit fictitiis literis. Pontificem enim Romanum, quem pacis amantissimum esse scimus, quis credat delectari

con-

controuersiis depugnandis? Simul vero optamus, vt, qui nomine tam sancto ad hunc ludum ludendum abusus est, ne impune fecerit.

---

*Berolini* academia scient. regia quaestionem proposuit in classe philologica hanc: *Qui factum, vt lingua Gallica vniuersalis fieret per Europam? Quasnam illa dotes habet, quibus honorem huncce demereatur? Num exspectandum fore, vt illum tueatur?* itemque aliam philosophicam: *Quaenam optima est ratio, populos vel plane rudes, vel, cultos quamquam, sed erroribus ac superstitionibus variis infectos ad sanam rationem vel primum vel denuo informandi?* Qui de praemio L numor. aur. concertare volunt istis quaestionibus soluendis, commentationes suas ante cal. Ian. 1784. ad Ill. FORMEY transmittent.

---

*Wirceburgi* prodiit *de noui operis patristici editione*, quam Stahelius, bibliopola, curabit; relatio, huius tenoris: „Noua quidem non sunt, quae nouum hoc opus promittit, ac certe insigniter vtilia, virisque Theologis exspectata. Quis illorum enim non confitetur, post S. Scripturae studium nullibi tantum ad disciplinas theologicas praesidii, quam in Patrum eruditione, deprehendi? Vbinam vero haec limpidius fluit, quam in praestantissimis illis

differ-

dissertationibus, quas Viri ex Benedictina S. Mauri familia longe celebratissimi, et annis abhinc aliquot Vir in Congregatione Oratorii, dum vixit, clarissimus GALLANDIVS, suis siue in collectionibus ediderunt, siue nouis Patrum editionibus praestituerunt? eiusmodi autem opera pretiosiora sunt, quam vt ea comparare res priuatorum familiaris passim sinat. Operae igitur pretium erit, si *praelum Stahelianum* Herbipoli thesauros hos in volumina forte octo aut decem bono selectu, iustoque ordine digerat, atque in forma, vt aiunt, quarta iuris publici faciat. Certe si nihil aliud egisset, quam vt rarissimus ille in Germania liber, doctissimisque lucubrationibus refertus: NICOLAI LE NOURRY adparatus ad Bibliothecam maximam veterum Patrum et antiquorum scriptorum ecclesiasticorum, Lugduni editam, in quo, quidquid ad eorum scripta et doctrinam variosque scribendi et docendi modos pertinet, dissertationibus criticis examinatur atque illustratur, nouis typis describeretur, orbis literati gratiam sine dubio promeruisset. Iam vero non ex his tantum lectissima proferuntur, sed quae in posterioribus NOVRRIO auctoribus ac praesertim in GALLANDII noua Bibliotheca, quae ad 12 in folio maiore tomos iam excreuit,

creuit, meliora occurrunt, praeferuntur. Titulum collectioni huic iſtum damus: *Theſaurus rei patriſticae, continens diſſertationes praeſtantiores ex rariſſimo* D. NICOLAI LE NOVRRY *adparatu*, GALLANDII *noua Bibliotheca Patrum, aliisque celebrioribus eorum editionibus depromtas, et iuxta ſeriem Patrum et ſcriptorum eccleſiaſticorum chronologicam diſpoſitas, adornatus, atque adiectis prooemiis, notis, et reflexionibus ad hiſtoriam theologiae pertinentibus inſtructus a P.* PLACIDO SPRENGER, *monacho Benedictino et Bibliothecario in Banz.* Hiſtoria Theologiae, quam ad calcem cuiusque ſaeculi adiecimus, auctorem habet Virum editori amiciſſimum Dominum THADDAEVM KRAVS, modo Priorem meritiſſimum in Langheim, qui manuſcriptum ſuum cum eo communicauit. Quo magis vero pateat, quid praeſtituri ſimus, ecce conſpectum ſaeculi aerae Chriſtianae primi. Triplex ſcriptorum eccleſiaſticorum genus ad hoc ſaeculum pertinet, qui expenduntur et ordine operum chronologico recenſentur. Diſſertatio I. De omnibus generatim primi Eccleſiae ſaeculi Scriptoribus, auctore D. NIC. LE NOVRRY. Diſſ. II. De S. Clemente Romano, ex D. ANDR. GALLANDIO. Diſſ. III. De anonymo viro apoſtolico

ſtolico, epiſtolae ad Diognetum auctore, ex eodem. Diſſ. IV. In tres libros Paſtoris ſeu Hermae, ex LE NOVRRY. Diſſ. V. De S. Barnaba, eiusque epiſtola ex GALLANDIO. Diſſ. VI. De operibus S. Dionyſii Areopagitae, ex NOVRRIO. Diſſ. VII. De actis primorum ſanctorum Martyrum in genere, ex praefatione generali D. THEOD. RVINART. Diſſ. VIII. De epiſtola Presbyterorum et Diaconorum Achaiae, de martyrio S. Andreae, ex GALLANDIO. Diſſ. IX. De actis Paulli et Theclae, ex eod. Diſſ. X. De liturgiis et Miſſis Iacobi, Marci et Petri, ex NOVRRIO. Diſſ. XI. De teſtamentis duodecim Patriarcharum, ex GALLANDIO. Diſſ. XII. In hiſtoriam Prochori, Chriſti diſcipuli; de vita, miraculis et adſumtione B. Ioannis Apoſtoli, ex NOVRRIO. Diſſ. XIII. In duos libros B. Lini Rom. Pont. de paſſione Petri et Paulli, ex eod. Diſſ. XIV. De duabus epiſtolis S. Martialis, Apoſtoli et Epiſcopi Lemouicenſis, ex eod. Reflexiones in hiſtoriam theologiae ſaeculi primi. Eundem ad modum reliqua etiam ſaecula comparebunt, finemque imponet S. Bernardus; ſed hiſtoriam theologiae ad noſtram vsque aetatem proſequemur. Poſſemus hic in laudem operis, quod molimur, comparationem inire cum NATALIS ALEXANDRI diſſer-

dissertationibus, cui pro saeculi sui genio methodus scholastica, litibus procreandis, alendis et perennandis in disciplinis praesertim historicis nata, placuit; at operi relinquimus, vt seipsum commendet. Qui nomen suum operis huius molitioni subscribit, exemplar pretio minori accipiet eo, qui non subscribit.

---

*Gissae* d. VIII Iul. diem supremum obiit celeb. BENNER, theologus in illa academia primarius, senex plus quam octogenarius.

---

*Vitebergae* medicae artis profitendae munus ordinarium nactus est Cl. LEONHARDI, adhuc Prof. extr. Lipsiensis.

---

*Gryphiswaldae* theologiae Prof. ord. denominatus est Ven. D. SCHLEGEL, hucusque Pastor Rigensis.

---

*Error. typpgr.* M. Iun. p. 574. l. 9. l. CXIX. M. Iul. p. 6. l. 11. pro *hos* l. *haec.*

---

## INDEX.

# ANNALES LITERARII.

## AVGVSTVS
## ANNI MDCCLXXXII.

### I. Anecdota.

GEORG. SZERDAHELI, Prof. Budensis, *epistola apologetica pro Iesuitis Hungaris*, aduersus epistolam, insertam *Ann. lit.* Mart. pag. 281.

Calumniam veritati gentique meae iniuriosam habent illae querelae; laudo tamen, quod verba auctoris, vt erant scripta, fideliter exhibueris. Sed finas iam me nonnihil dicere, vt inde, quae illis fides habenda sit, iudicare possis, ac falsitatem accusationis istius peruideris.

Quis rei literariae status in Hungaria prius fuerit, quam Iesuitae in eam peruenere, necesse est generatim et ex compendio adumbrare. Seculo XI religio Christiana vna cum literis per homines Religiosos, imprimis Benedictinos, inuecta est Hungariae. His sine omni dubio primas scholas debemus, quas Bio-

graphus S. Gerardi, temporibus illis vicinus, Quinque-Ecclesiis, et Albae Regiae institutas refert. Ex iisdem Benedictinis primi fere Episcopi, et collegia Sacerdotum constituebantur; hinc tot sensim scholae, quot Episcopatus, erectae, quarum numerum deinde magis auctum fuisse illud perspicuo documento est, quod Abbatiae et Praepositurae non in hunc solum finem, vt Monachi pro publica felicitate Deum exorarent, sed iuuentutem quoque literis imbuerent, conditae sint. Haec apud nos scholarum initia.— Institutio, vt plurimum legendo et scribendo absoluebatur; meliores e discipulis psalmodiae discendae sunt adpliciti; ita Monachorum numerus magis erat amplificatus tam ad literarum, quam religionis propagationem; quod in gente, quae haud ita dudum ex Asia erupit, et ad sacra Christiana recens traducta fuit, paene necessarium erat. Principio fere Priscianus in his scholis audiebatur; huius exemplum *Fulbertus*, Carnotensis Episcopus, *Boniperto*, Quinque-Ecclesiarum Antistiti, ad erudiendum Clerum anno 1007. transmisit; hunc *Carthuitius* seculi XII scriptor se itidem triuisse testatur. Anonymus, Belae Regis Notarius, etiam Daretis, quod eo tempore mirum videri potuit, meminit. Accessere mox aliqui a classicis. Certe S. *Ladis-*

*laus*

*laus* inter donaria, quae coenobio S. Martini in monte Pannoniae fecerat, diserte recenset *Inuectiuas Ciceronis, tres Catones, Lucanum, duos Donatos, Sedulium, et Psalterium Hebraicum;* quod indicio esse potest, praeter Latinam, sacram quoque linguam saltem inter Monachos seculo XI locum habuisse. — Eadem paene institutionis ratio ad seculum XIV obtinebat, fructu, vt videtur, non poenitendo. Quis crederet, post exinanitam per Tartaros Hungariam ex hac scriptorem Siculis subministratum esse? fuit is *Andreas*, Belae IV. et Stephani V. regum Capellanus, qui res Caroli Andegauensis aduersus Monfredonum gestas literis complexus est, sed stilo, vt illius aeui Chronistae solebant, *Legendariis* proprio, qui per id tempus toti Europae, ne ipsa quidem Italia excepta, communis erat; sola, quod scio, Dania *Saxonem Grammaticum* produxit, cuius scribendi rationem *Erasmus*, quantus loquutionis latinae magister! non indignam laude putauit. Si quis vero ex nostris sublimiores disciplinas, vt theologicas et philosophicas, vellet condiscere, ei ex Hungaria in Italiam, Germaniam, vel Galliam migrandum fuit. Stephanus, S. Genouesae Abbas, datis ante an. 1191. ad Belam III. literis, *Bethleem* Clericum ex Hungaria Parisiis studentem obiisse significat.

ficat. Serius postea ipsi etiam Episcopi, partim iam electi, partim eligendi, ad exteras Academias proficisci solebant, vt maiores in his scientiis progressus facerent; cuiusmodi, vt ceteros missos faciam, fuere Stephanus Cotocensis an. 1266; *Dionysius de Zéch*, postea Strigoniensis Archiepiscopus an. 1426; *Ioannes* Varadinensis Antistes an. 1451. quorum exemplo Abbates et Praepositi, vt *Casparus Back*, Sceputiensis 1471. aliique, si quid vltra monastica studia vellent proficere, ad exteros itabant.

Huic extra regnum migrationi primus omnium *Ludouicus* Magnus consultum ibat condita Quinque-Ecclesiis Academia, de qua id vnum scimus, 300 ex Academicis, si tamen ad hoc tempus illa perdurauit, in clade Mohacsiana occubuisse, Musis, quam Marti, aptiores. *Sigismundus* item Academiam Budae fundarat, sed quae ab eius obitu mox desiit. Itaque rursus literarum cultus interceptus. Sed paene optanda haec barbaries fuit, alioqui *Iano Pannonio*, Quinque-Ecclesiensi postea Episcopo, quem nobis Italia magistro suo praestantiorem remisit, gloriari non possemus; nec *Nicolaum de Bathor*, qui Vaciensis Episcopus deinde factus, nisi *Ficinus* nos monuisset, Theologiam publice in Italia professum

fuisse

fuisse, sciremus. Collapsam Budae Academiam *Matthias Coruinus* vel instaurauit, vel nouam condidit, bibliothecaque conquisitis vndique selectissimis in omni scientiarum genere libris copiose instruxit, viris doctissimis ex Germania et Italia liberali stipendio ad tradendas scientias conductis. Huius tamen, et priorum Academiarum vtilitatem magis ad exteros, quam domesticos pertinuisse facile sibi persuadebit, qui *Bonfinium* et *Thuroczium*, eiusdem temporis scriptores, inter se conferre volet. De ceteris in profana republica viris, quid dicam? quibus tantum latine didicisse satis erat, quantum ad obeunda variorum tribunalium munia necesse fuit, tametsi nonnullos reperiam, vt *Ioannem de Rozgon*, Iudicem Curiae, qui quod hominem latinae linguae gnarum in promtu non haberet, literas de iudicata lite an. 1471. Hungarice exarare coactus est; quosdam etiam literarum rudes fuisse exemplo sint *Stephanus de Bathor*, Wajuoda Transsiluanus, *Ladislai de Gusto*, et *de Rozgon*, in quorum loco tabulas concordiae, inter Fridericum III. Imp. Maximilianum I. Romanorum, et Wladislaum II. Hungariae Reges anno 1491. initae, alii subscripserunt. Erexerat quoque ante *Coruinum* Academiam Posonii *Ioannes*, Strigoniensis Archiepiscopus, a praeterfluente Da-

 nubio

nubio Istropolitanam dictam; verum vtraque ab illorum excessu ita defluxit, vt necesse fuerit Hungaris sub Wladislao II, qui se, regnum, et omnia paene negligenter habuit, eiusque filio Ludouico, rursus ad exteros literarum caussa proficisci. Quod id fructu factum, *Verböczius, Olahus, Veranzius, Daskovichius, Sambucus, Istvannfius*, et ceteri, quos longum esset referre, exemplo esse possunt. Sed hi, et qui deinceps sequuti sunt, diuitias has literarias in suum, non item patriae, vsum aliunde adferebant, quum ob occupatam per Turcas maximam regni partem fere in pristinam barbariem relabi necesse fuerit.

Haec erat Hungariae facies ad annum 1560. quo Iesuitae, *Otaho*, Archiepiscopo Strigoniensi imprimis curante, domicilium Tirnauiae obtinuerunt; decem illuc, velut colonia, e Viennensi Collegio missi, ex quibus *Theodoricus Canisius*, Nouiomagensis, philosophicas disciplinas, *Gerardus*, Hollandus, politiores literas, et *Thomas*, ex Sclauonia, Rhetoricen, Graecamque linguam profitebantur. Non est huius loci referre, quibus vicissitudinibus collegium Tirnauiense, donec in Academiam conuerteretur, actum fuerit; nam id vtcunque habuerit, Iesuitae e tenuibus his initiis pedetentim per reliquam Hungariam, Transsil-

vaniam,

uaniam, et Croatiam, et Sclauoniam propagati ſunt, vſi beneficio Regum, qui Ordinum rogatione decretis anni 1548. et 1550. fundos ab Religioſis deſertos in vſus ſcholarum publicarum conuertendos ſanxerant. Quanquam autem numero ſenſim augerentur, exantlandis tamen laboribus pro amplitudine prouinciarum vix ſuffecere. Itaque ſeculo poſt integro Patres Piarum Scholarum in partem laboris venerunt, qui, vtut iis vi inſtituti ſui rudes et egenij ſolum pueri in legendo et ſcribendo imbuendi eſſent, tamen commodi publici cauſſa obtinuerunt, vt politiores etiam literas cum philoſophia profiteri poſſent. His tanquam duobus humeris ſcholae latinae apud Catholicos per Hungariam ab anno 1560. ad 1773. nitebantur. — Reſtat, vt, quae tradendarum diſciplinarum ratio fuerit, paucis expediam. Theologia partim ſcholaſticis, partim dogmaticis quaeſtionibus abſoluebatur; plus tamen illis, quam iſtis ex ſeculi more datum. In Philoſophia regnabat Ariſtoteles, ſed Arabum et Hiſpanorum commentariis partim inquinatus, partim obſcuratus; Matheſeos ſtudia in ſecundis curis ponebantur; ſi quos tamen, vt complures erant, naturae ductus illo ferebat, amplus illis campus datus eſt. Politior literatura poſt grammaticae crepundia

ſtolico, epiſtolae ad Diognetum auctore, ex eodem. Diſſ. IV. In tres libros Paſtoris ſeu Hermae, ex LE NOVRRY. Diſſ. V. De S. Barnaba, eiusque epiſtola ex GALLANDIO. Diſſ. VI. De operibus S. Dionyſii Areopagitae, ex NOVRRIO. Diſſ. VII. De actis primorum ſanctorum Martyrum in genere, ex praefatione generali D. THEOD. RVINART. Diſſ. VIII. De epiſtola Presbyterorum et Diaconorum Achaiae, de martyrio S. Andreae, ex GALLANDIO. Diſſ. IX. De actis Paulli et Theclae, ex eod. Diſſ. X. De liturgiis et Miſſis Iacobi, Marci et Petri, ex NOVRRIO. Diſſ. XI. De teſtamentis duodecim Patriarcharum, ex GALLANDIO. Diſſ. XII. In hiſtoriam Prochori, Chriſti diſcipuli; de vita, miraculis et adſumtione B. Ioannis Apoſtoli, ex NOVRRIO. Diſſ. XIII. In duos libros B. Lini Rom. Pont. de paſſione Petri et Paulli, ex eod. Diſſ. XIV. De duabus epiſtolis S. Martialis, Apoſtoli et Epiſcopi Lemouicenſis, ex eod. Reflexiones in hiſtoriam theologiae ſaeculi primi. Eundem ad modum reliqua etiam ſaecula comparebunt, finemque imponet S. Bernardus; ſed hiſtoriam theologiae ad noſtram vsque aetatem proſequemur. Poſſemus hic in laudem operis, quod molimur, comparationem inire cum NATALIS ALEXANDRI diſſer-

dissertationibus, cui pro saeculi sui genio methodus scholastica, litibus procreandis, alendis et perennandis in disciplinis praesertim historicis nata, placuit; at operi relinquimus, vt seipsum commendet. Qui nomen suum operis huius molitioni subscribit, exemplar pretio minori accipiet eo, qui non subscribit.

---

*Gissae* d. VIII Iul. diem supremum obiit celeb. BENNER, theologus in illa academia primarius, senex plus quam octogenarius.

---

*Vitebergae* medicae artis profitendae munus ordinarium nactus est Cl. LEONHARDI, adhuc Prof. extr. Lipsiensis.

---

*Gryphiswaldae* theologiae Prof. ord. denominatus est Ven. D. SCHLEGEL, hucusque Pastor Rigensis.

---

*Error. typpgr.* M. Iun. p. 574. l. 9. l. CXIX. M. Iul. p. 6. l. 11. pro *hos* l. *haec*.

---

## INDEX.



2.

# ANNALES LITERARII.

## AVGVSTVS
## ANNI MDCCLXXXII.

### I. Anecdota.

GEORG. SZERDAHELI, Prof. Budensis, *epistola apologetica pro Iesuitis Hungaris*, aduersus epistolam, insertam *Ann. lit.* Mart. pag. 281.

Calumniam veritati gentique meae iniuriosam habent illae querelae; laudo tamen, quod verba auctoris, vt erant scripta, fideliter exhibueris. Sed sinas iam me nonnihil dicere, vt inde, quae illis fides habenda sit, iudicare possis, ac falsitatem accusationis istius peruideris.

Quis rei literariae status in Hungaria prius fuerit, quam Iesuitae in eam peruenere, necesse est generatim et ex compendio adumbrare. Seculo XI religio Christiana vna cum literis per homines Religiosos, imprimis Benedictinos, inuecta est Hungariae. His sine omni dubio primas scholas debemus, quas Bio-

dissertationibus, quas Viri ex Benedictina S. Mauri familia longe celebratissimi, et annis abhinc aliquot Vir in Congregatione Oratorii, dum vixit, clarissimus GALLANDIVS, suis siue in collectionibus ediderunt, siue nouis Patrum editionibus praestituerunt? eiusmodi autem opera pretiosiora sunt, quam vt ea comparare res priuatorum familiaris passim sinat. Operae igitur pretium erit, si *praelum Stahelianum* Herbipoli thesauros hos in volumina forte octo aut decem bono selectu, iustoque ordine digerat, atque in forma, vt aiunt, quarta iuris publici faciat. Certe si nihil aliud egisset, quam vt rarissimus ille in Germania liber, doctissimisque lucubrationibus refertus: NICOLAI LE NOURRY adparatus ad Bibliothecam maximam veterum Patrum et antiquorum scriptorum ecclesiasticorum, Lugduni editam, in quo, quidquid ad eorum scripta et doctrinam variosque scribendi et docendi modos pertinet, dissertationibus criticis examinatur atque illustratur, nouis typis describeretur, orbis literati gratiam sine dubio promeruisset. Iam vero non ex his tantum lectissima proferuntur, sed quae in posterioribus NOVRRIO auctoribus ac praesertim in GALLANDII noua Bibliotheca, quae ad 12 in folio maiore tomos iam excreuit,

creuit, meliora occurrunt, praeferuntur. Titulum collectioni huic istum damus: *Thesaurus rei patristicae, continens dissertationes praestantiores ex rarissimo* D. NICOLAI LE NOVRRY *adparatu*, GALLANDII *noua Bibliotheca Patrum, aliisque celebrioribus eorum editionibus depromtas, et iuxta seriem Patrum et scriptorum ecclesiasticorum chronologicam dispositas, adornatus, atque adiectis prooemiis, notis, et reflexionibus ad historiam theologiae pertinentibus instructus a P.* PLACIDO SPRENGER, *monacho Benedictino et Bibliothecario in Banz.* Historia Theologiae, quam ad calcem cuiusque saeculi adiecimus, auctorem habet Virum editori amicissimum Dominum THADDAEVM KRAVS, modo Priorem meritissimum in Langheim, qui manuscriptum suum cum eo communicauit. Quo magis vero pateat, quid praestituri simus, ecce conspectum saeculi aerae Christianae primi. Triplex scriptorum ecclesiasticorum genus ad hoc saeculum pertinet, qui expenduntur et ordine operum chronologico recensentur. Dissertatio I. De omnibus generatim primi Ecclesiae saeculi Scriptoribus, auctore D. NIC. LE NOVRRY. Diss. II. De S. Clemente Romano, ex D. ANDR. GALLANDIO. Diss. III. De anonymo viro apostolico

ſtolico, epiſtolae ad Diognetum auctore, ex eodem. Diſſ. IV. In tres libros Paſtoris ſeu Hermae, ex LE NOVRRY. Diſſ. V. De S. Barnaba, eiusque epiſtola ex GALLANDIO. Diſſ. VI. De operibus S. Dionyſii Areopagitae, ex NOVRRIO. Diſſ. VII. De actis primorum ſanctorum Martyrum in genere, ex praefatione generali D. THEOD. RVINART. Diſſ. VIII. De epiſtola Presbyterorum et Diaconorum Achaiae, de martyrio S. Andreae, ex GALLANDIO. Diſſ. IX. De actis Paulli et Theclae, ex eod. Diſſ. X. De liturgiis et Miſſis Iacobi, Marci et Petri, ex NOVRRIO. Diſſ. XI. De teſtamentis duodecim Patriarcharum, ex GALLANDIO. Diſſ. XII. In hiſtoriam Prochori, Chriſti diſcipuli; de vita, miraculis et adſumtione B. Ioannis Apoſtoli, ex NOVRRIO. Diſſ. XIII. In duos libros B. Lini Rom. Pont. de paſſione Petri et Paulli, ex eod. Diſſ. XIV. De duabus epiſtolis S. Martialis, Apoſtoli et Epiſcopi Lemouicenſis, ex eod. Reflexiones in hiſtoriam theologiae ſaeculi primi. Eundem ad modum reliqua etiam ſaecula comparebunt, finemque imponet S. Bernardus; ſed hiſtoriam theologiae ad noſtram vsque aetatem proſequemur. Poſſemus hic in laudem operis, quod molimur, comparationem inire cum NATALIS ALEXANDRI diſſer-

dissertationibus, cui pro saeculi sui genio methodus scholastica, litibus procreandis, alendis et perennandis in disciplinis praesertim historicis nata, placuit; at operi relinquimus, vt seipsum commendet. Qui nomen suum operis huius molitioni subscribit, exemplar pretio minori accipiet eo, qui non subscribit.

---

*Gissae* d. VIII Iul. diem supremum obiit celeb. BENNER, theologus in illa academia primarius, senex plus quam octogenarius.

---

*Vitebergae* medicae artis profitendae munus ordinarium nactus est Cl. LEONHARDI, adhuc Prof. extr. Lipsiensis.

---

*Gryphiswaldae* theologiae Prof. ord. denominatus est Ven. D. SCHLEGEL, hucusque Pastor Rigensis.

---

*Error. typpgr.* M. Iun. p. 574. l. 9. l. CXIX. M. Iul. p. 6. l. 11. pro *hos* l. *haec.*

---

## INDEX.

# ANNALES LITERARII.

## AVGVSTVS ANNI MDCCLXXXII.

### I. Anecdota.

GEORG. SZERDAHELI, Prof. Budensis, *epistola apologetica pro Iesuitis Hungaris,* aduersus epistolam, insertam *Ann. lit.* Mart. pag. 281.

Calumniam veritati gentique meae iniuriosam habent illae querelae; laudo tamen, quod verba auctoris, vt erant scripta, fideliter exhibueris. Sed sinas iam me nonnihil dicere, vt inde, quae illis fides habenda sit, iudicare possis, ac falsitatem accusationis istius peruideris.

Quis rei literariae status in Hungaria prius fuerit, quam Iesuitae in eam peruenere, necesse est generatim et ex compendio adumbrare. Seculo XI religio Christiana vna cum literis per homines Religiosos, imprimis Benedictinos, inuecta est Hungariae. His sine omni dubio primas scholas debemus, quas Bio-

 graphus

graphus S. Gerardi, temporibus illis vicinus, Quinque-Ecclesiis, et Albae Regiae instituta refert. Ex iisdem Benedictinis primi fere Episcopi, et collegia Sacerdotum constituebantur; hinc tot sensim scholae, quot Episcopatus, erectae, quarum numerum deinde magis auctum fuisse illud perspicuo documento est, quod Abbatiae et Praepositurae non in hunc solum finem, vt Monachi pro publica felicitate Deum exorarent, sed iuuentutem quoque literis imbuerent, conditae sint. Haec apud nos scholarum initia.— Institutio, vt plurimum legendo et scribendo absoluebatur; meliores e discipulis psalmodiae discendae sunt adpliciti; ita Monachorum numerus magis erat amplificatus tam ad literarum, quam religionis propagationem; quod in gente, quae haud ita dudum ex Asia erupit, et ad sacra Christiana recens traducta fuit, paene necessarium erat. Principio fere Priscianus in his scholis audiebatur; huius exemplum *Fulbertus*, Carnotensis Episcopus, *Boniperto*, Quinque-Ecclesiarum Antistiti, ad erudiendum Clerum anno 1007. transmisit; hunc *Carthuitius* seculi XII scriptor se itidem triuisse testatur. Anonymus, Belae Regis Notarius, etiam Daretis, quod eo tempore mirum videri potuit, meminit. Accessere mox aliqui a classicis. Certe S. *Ladis-*

*laus*

*laus* inter donaria, quae coenobio S. Martini in monte Pannoniae fecerat, diserte recenset *Inuectiuas Ciceronis, tres Catones, Lucanum, duos Donatos, Sedulium, et Psalterium Hebraicum;* quod indicio esse potest, praeter Latinam, sacram quoque linguam saltem inter Monachos seculo XI locum habuisse. — Eadem paene institutionis ratio ad seculum XIV obtinebat, fructu, vt videtur, non poenitendo. Quis crederet, post exinanitam per Tartaros Hungariam ex hac scriptorem Siculis subministratum esse? fuit is *Andreas,* Belae IV. et Stephani V. regum Capellanus, qui res Caroli Andegauensis aduersus Monfredonum gestas literis complexus est, sed stilo, vt illius aeui Chronistae solebant, *Legendariis* proprio, qui per id tempus toti Europae, ne ipsa quidem Italia excepta, communis erat; sola, quod scio, Dania *Saxonem Grammaticum* produxit, cuius scribendi rationem *Erasmus,* quantus loquutionis latinae magister! non indignam laude putauit. Si quis vero ex nostris sublimiores disciplinas, vt theologicas et philosophicas, vellet condiscere, ei ex Hungaria in Italiam, Germaniam, vel Galliam migrandum fuit. Stephanus, S. Genouesae Abbas, datis ante an. 1191. ad Belam III. literis, *Bethleem* Clericum ex Hungaria Parisiis studentem obiisse signi-

ficat. Serius poſtea ipſi etiam Epiſcopi, partim iam electi, partim eligendi, ad exteras Academias proficiſci ſolebant, vt maiores in his ſcientiis progreſſus facerent; cuiusmodi, vt ceteros miſſos faciam, fuere Stephanus Cotocenſis an. 1266; *Dionyſius de Zéch*, poſtea Strigonienſis Archiepiſcopus an. 1426; *Ioannes* Varadinenſis Antiſtes an. 1451. quorum exemplo Abbates et Praepoſiti, vt *Caſparus Back*, Sceputienſis 1471. aliique, ſi quid vltra monaſtica ſtudia vellent proficere, ad exteros itabant.

Huic extra regnum migrationi primus omnium *Ludouicus* Magnus conſultum ibat condita Quinque-Eccleſiis Academia, de qua id vnum ſcimus, 300 ex Academicis, ſi tamen ad hoc tempus illa perdurauit, in clade Mohacſiana occubuiſſe, Muſis, quam Marti, aptiores. *Sigismundus* item Academiam Budae fundarat, ſed quae ab eius obitu mox deſiit. Itaque rurſus literarum cultus interceptus. Sed paene optanda haec barbaries fuit, alioqui *Iano Pannonio*, Quinque-Eccleſienſi poſtea Epiſcopo, quem nobis Italia magiſtro ſuo praeſtantiorem remiſit, gloriari non poſſemus; nec *Nicolaum de Bathor*, qui Vacienſis Epiſcopus deinde factus, niſi *Ficinus* nos monuiſſet, Theologiam publice in Italia profeſſum

fuiſſe

fuisse, sciremus. Collapsam Budae Academiam *Matthias Coruinus* vel instaurauit, vel nouam condidit, bibliothecaque conquisitis vndique selectissimis in omni scientiarum genere libris copiose instruxit, viris doctissimis ex Germania et Italia liberali stipendio ad tradendas scientias conductis. Huius tamen, et priorum Academiarum vtilitatem magis ad exteros, quam domesticos pertinuisse facile sibi persuadebit, qui *Bonfinium* et *Thuroczium*, eiusdem temporis scriptores, inter se conferre volet. De ceteris in profana republica viris, quid dicam? quibus tantum latine didicisse satis erat, quantum ad obeunda variorum tribunalium munia necesse fuit, tametsi nonnullos reperiam, vt *Ioannem de Rozyon*, Iudicem Curiae, qui quod hominem latinae linguae gnarum in promtu non haberet, literas de iudicata lite an. 1471. Hungarice exarare coactus est; quosdam etiam literarum rudes fuisse exemplo sint *Stephanus de Bathor*, Wajuoda Transsiluanus, *Ladislai de Gusto*, et *de Rozyon*, in quorum loco tabulas concordiae, inter Fridericum III. Imp. Maximilianum I. Romanorum, et Wladislaum II. Hungariae Reges anno 1491. initae, alii subscripserunt. Erexerat quoque ante *Coruinum* Academiam Posonii *Ioannes*, Strigoniensis Archiepiscopus, a praeterfluente Da-

nubio Istropolitanam dictam; verum vtraque ab illorum excessu ita defluxit, vt necesse fuerit Hungaris sub Wladislao II, qui se, regnum, et omnia paene negligenter habuit, eiusque filio Ludouico, rursus ad exteros literarum caussa proficisci. Quod id fructu factum, *Verböczius, Olahus, Veranzius, Daskovichius, Sambucus, Istvnnfius*, et ceteri, quos longum esset referre, exemplo esse possunt. Sed hi, et qui deinceps sequuti sunt, diuitias has literarias in suum, non item patriae, vsum aliunde adferebant, quum ob occupatam per Turcas maximam regni partem fere in pristinam barbariem relabi necesse fuerit.

Haec erat Hungariae facies ad annum 1560. quo Iesuitae, *Otaho*, Archiepiscopo Strigoniensi imprimis curante, domicilium Tirnauiae obtinuerunt; decem illuc, velut colonia, e Viennensi Collegio missi, ex quibus *Theodoricus Canisius*, Nouiomagensis, philosophicas disciplinas, *Gerardus*, Hollandus, politiores literas, et *Thomas*, ex Sclauonia, Rhetoricen, Graecamque linguam profitebantur. Non est huius loci referre, quibus vicissitudinibus collegium Tirnauiense, donec in Academiam conuerteretur, actum fuerit; nam id vtcunque habuerit, Iesuitae e tenuibus his initiis pedetentim per reliquam Hungariam, Transsiluaniam,

uamiam, et Croatiam, et Sclauoniam propagati ſunt, vſi beneficio Regum, qui Ordinum rogatione decretis anni 1548. et 1550. fundos ab Religioſis deſertos in vſus ſcholarum publicarum conuertendos ſanxerant. Quanquam autem numero ſenſim augerentur, exantlandis tamen laboribus pro amplitudine prouinciarum vix ſuffecere. Itaque ſeculo poſt integro Patres Piarum Scholarum in partem laboris venerunt, qui, vtut iis vi inſtituti ſui rudes et egenij ſolum pueri in legendo et ſcribendo imbuendi eſſent, tamen commodi publici cauſſa obtinuerunt, vt politiores etiam literas cum philoſophia profiteri poſſent. His tanquam duobus humeris ſcholae latinae apud Catholicos per Hungariam ab anno 1560. ad 1773. nitebantur. — Reſtat, vt, quae tradendarum diſciplinarum ratio fuerit, paucis expediam. Theologia partim ſcholaſticis, partim dogmaticis quaeſtionibus abſoluebatur; plus tamen illis, quam iſtis ex ſeculi more datum. In Philoſophia regnabat Ariſtoteles, ſed Arabum et Hiſpanorum commentariis partim inquinatus, partim obſcuratus; Matheſeos ſtudia in ſecundis curis ponebantur; ſi quos tamen, vt complures erant, naturae ductus illo ferebat, amplus illis campus datus eſt. Politior literatura poſt grammaticae crepundia

…is exegit; hunc rurſus
…principio peraegre elu-
… illuſtris *Gerardus van*
… nomine perenni me-
…nes Auſtriacas primus
…minus eſto.
…iſſime, quemadmodum
…nt, cur *praecellentia in-*
…*ege ſe occulere* in Hun-
…*ndi capitis partum pri-*
…*etur, praefocare.* Vix
…tus eſt; liberrimus cui-
…, in quo ſe exerceret,
… eſt praeter Ieſuitas, qui
… norma informaret; in
… Hungaria *Mako*, et *Ioa.*
…ucubrationes ſaepe iam
…d Germanos, Italosque
… ad hoc tempus ex Hun-
… hoc ſtudio auſus decur-
…tae alios a commentatio-
… ſed quod ii, qui impedi-
…ngeri queruntur, vix vl-
…a progreſſi, ipſa rerum
…le deterriti animos demit-
… in nouo hoc theatro non
…ſe videri volebant, ſuam-
…norantiam?) occulere, Ie-

 ſuita-

historiarum et geographiae cognitione, linguae etiam Graecae exercitationibus, tum poëtice et eloquentia absolui solebat; stilus vero vtrobique ad classicorum auctorum normam exigi fructu, vt ego quidem reor, et, si euentum spectes, perexiguo. Quod enim operose in scholis comparatum erat, id, vbi ad forensia munia ventum est, rursus dediscendum fuit; tametsi fuerint complures, qui extra forum culte loquerentur et scriberent. Ex illo natum credo apud exteros prouerbium, Hungaros stilo equestri (*Husaren-Latein*) solere vti. Sed cultiorne exteris in forensibus caussis stilus? Nec theologia, aut philosophia meliore per idem tempus apud exteros loco. Consule libros et theses aliarum nationum, quae typis extant; videbis theologiam apud Catholicos, Philosophiam et apud hos, et eos, qui religione a nobis dissentiunt, eadem paene orbita oberrasse. De ceteris disciplinis, quarum professio penes Iesuitas non erat, nihil attinet hic dicere. Sed vt scientiarum sunt periodi, ita sensim quoque ex his tenebris emersimus. In theologia primus, vt puto, *Petauius* viam monstrauit, plus scrutandis dogmatibus, quam scholasticorum tricis dandum esse; fortasse locis theologicis *Melchioris Cani* ad id faciendum admonitus. Aristotelem

telem *Cartesius* e scholis exegit; hunc rursus *Newtonus*, tametsi in principio peraegre eluctari potuerit. Hunc illustris *Gerardus van Swieten*, vel vno hoc nomine perenni memoria dignus, in ditiones Austriacas primus inuexit. Hic mihi terminus esto.

Nunc vide, Vir doctissime, quemadmodum Iesuitae in caussa fuerint, cur *praecellentia ingenia dura, et aspera lege se occulere* in Hungaria debuerint, et *fecundi capitis partum prius, quam in lucem ederetur, praefocare.* Vix *Newtonus* scholis illatus est; libertimus cuique campus est datus, in quo se exerceret. Nemo tamen inuentus est praeter Iesuitas, qui philosophiam ex illius norma informaret; in Austria *Scherfferus*, in Hungaria *Mako*, et *Ioa. Horvath*, quorum lucubrationes saepe iam prela fatigarunt, apud Germanos, Italosque sunt in pretio. Nemo ad hoc tempus ex Hungaris praeter illos in hoc studio ausus decurrere, non quod Iesuitae alios a commentationibus impediuerint, sed quod ii, qui impedimenta sibi ab illis congeri queruntur, vix vltra matheseos limina progressi, ipsa rerum intricatissimarum mole deterriti animos demitterent; quia tamen in nouo hoc theatro non otiosi spectatores esse videri volebant, suamque desidiam (an ignorantiam?) occulere, Ie-

 suita-

ſuitarum *calliditatem, duram et aſperam legem*, quo minus in lucem prodire auderent, ſpecioſe praetexebant. Profecto nulla magis dura et aſpera lex eſt, quam ignoratio. Haec ad philoſophiam attinent; nec, cur aliae ſcientiae non maiora incrementa in Hungaria ſumerent, Ieſuitae obſtacula poſuerunt. Lege hic Cl. *Horanyi* memoriam Hungarorum et Prouincialium; in hac, (etſi cuperem, vt is maiorem in delectu, quam numero, curam poſuerit), ſi rationem ab anno 1560. ad 1773. quibus ſcholarum adminiſtratio Ieſuitis mandata erat, ſubducas, in hac, inquam, virorum omnis ordinis, et religionis lucubrationes tanta farragine congeſtas reperies, vt implendis aliquot plauſtris ſufficiant. Bona horum pars ductu Ieſuitarum profecit; in alios illis nihil iuris erat. Hinc cerne inanitatem querelarum, quas aliqui ad ſe purgandos inepte mouent. Quid enim opus erat de impedimentis literarum apud exteros quiritari, quando remedium domi quaerendum fuit?

Atque in hunc quidem modum res literaria prius habuit, quam Ieſuitae *iuſto percuſſi, disiecti, proſtrati ſint fulmine*, monopoliumque ſcientiarum apud illos fuiſſe inuidioſe iactabant. Quod ſi autem in vnum corpus conflati nihil poſuere impedimenti literarum incre-

cre-

cremento, et aliorum lucubrationibus, vt paullo ante oſtendi, quis ſibi perſuadebit, poſſe id facere, aut re ipſa facere, *percuſſos, disiectos, proſtratos?* — Vin ſcire, quos viri abhinc, quam Ieſuitae *percuſſi, disiecti, proſtrati* iure ſunt, in re publica literaria inclaruerint? Aliquot, ſed demtis Ieſuitis (nec enim id hoc loco agitur, vt, quid illi *disiecti proſtratique* in literis praeſtiterint, tametſi multa praeſtiterint, quam quos, vt id ne praeſtarent, impedierint, ſciamus) aliquot, inquam, ne modum excedam, indicabo. Ex Ordine Eccleſiaſtico: Comes *Batthyan*, Epiſcopus Transſiluanus, *Ganoczi, Koller, Nagy, Szalagyi, Viſer*, Canonici; Michael *Horváth, Handerta, Zvorény, Sebaſtianovich.* Ex Religioſis: *Chryſoſtomus*, Abbas Bakonbelienſis, *Perczel, Dugonics, Poor, Palya, Schafrath, Cetto, Horányi, Réwai* et *Hanulik*, Piariſtae; cum quibus Paulini et Franciſcani de palma contendunt, vereor, ne etiam praeripiant. Ex ordine profano *Winterl, Trnka, Plenk, Lakics, Rács, Müller*, inter Catholicos; Auguſtanae Confeſſionis: *Cornides, Seiwert, Seuerini, Benczur, Windiſch, Czirbes*; Helueticae: *Veszpremy, Benkö, Pap*, aliique. Nemo ex his queritur, ſe ab Ieſuitis iam *proſtratis et disiectis* impeditum, quo minus ſua edere poſſet. Qui igitur ſunt,

qui

qui id queruntur? nempe qui in re literaria aut nihil praestant, aut praestant leui manu, putantque, si ab Iesuitis, in arenam prodire coactis, suas hallucinationes illustrari vident, se ab illis despicatui haberi; quasi vero Iesuitae, si vicissim, vt fit, errores commissos, quod humanum est, sibi palam in scriptis exponunt, non tam publici boni rationem, quam se ipsos odio habeant. Quod si fit aliquando, vt aliorum petulcam dicacitatem, quae in vniuersum corpus olim honestum et vtile redundet, etiam *fulmine percussi* pro merito castigare videantur; prouocati id faciunt, sic tamen, vt modum, si cum aduersariis conferantur, non excedant, reddant res pro verbis, pro calumniis sales, certe rationibus semper vincant. An vero, quod vir ille humanissimus queritur, sint e Iesuitis nonnulli, qui se *solos omnem scientiarum molem cum noctuae ouo exsorbuisse* putent, nescio; id scio, malle illos ouum sorbere, quam, quod aliqui faciunt, putamina in sordem temere proiecta auide colligere, rati thesaurum se reperisse. Satis sit denique, quod res ipsa docet, Tibi dicere, Iesuitas, si post *fulmen* etiam illud, quo se aliqui fortassis adflari cuperent, aliquid in literas accessionis suo conatu facere pergant, solere via plana ingredi, nec, vt aliquibus in more positum est,

de impactis ab aliis sibi calumniis in praefatione queri, aut polliceri etiam, se ita esse comparatos, vt, si vires integrae aduersus inuidorum et maleuolorum hominum (Iesuitas indicant) molimina superfuerint, plura ausuros. Quasi calumnia sit, si quem Iesuitae iusta reprehensione castigent, aut inuidere velint, quod inuidiae obnoxium esse non potest.

Sed satis est, Vir Clarissime! Querimoniae scriptoris illius, cuius ea est epistola, querimoniam, falsitati veritatem, maledicentiae modestiam opponere volui. Oro Te, obtestorque per illud, quod nullo non tempore demonstratis, studium iustitiae, vt hunc meum sermonem, qui, vt vides, non accusationem impetitorum, sed purgationem innocentum, beneque meritorum continet, in lucem publicam producas. Hoc laesa innocentia, hoc veritas, hoc Annales Vestri deposcunt. Emolumentum erit istud, quod orbis eruditus in Vobis fidem sincerissimam, in Iesuitis Hungaris merita literaria conspecturus sit: Beneficium veritati vtrinque magnum. — Dab. Budae ad diem 27 Iunii anni 1782.

---

II. De

## II. De libris nouis.

*Nachrichten von Marokos und Fes etc.* i. e. Relationes de Mauritania, in ipsa regione collectae annis 1760-1768. a GEORGIO HÖST, Regi a consiliis iustitiae: ex lingua Danica versae. Hasniae 1781. ap. C. G. Proft, bibliopolam Vniuersitatis. 4to pag. 312. tabul. aen. XXXIV.

Quanquam non inter primos sumus, qui de hoc libro retulerunt; tamen tanti momenti librum in annalibus nostris praetermittere piaculum foret grauissimum. Primo statim obtutu id omnino operi auctoritatem et fidem conciliat, quod non a peregrinatore, vt id genus hominum esse solet, festinante, sed ab homine septem et vltra ibi annos commorato, publicoque munere defuncto conscriptum sit. Deinde ea etiam virtute Gallorum Anglorumque peregrinationibus opus hoc praestat, quod nomina locorum rerumque, de quibus agitur, charactere Arabico expressa sunt. Tandem nitor chartae typorumque et tabularum aeri incisarum non potest non legentium animos iucunde percellere. Sed age argumenta decem capitum, quibus liber diuisus est, paucis enarrabimus.

Cap. I.

Cap. I. historiam tractat veterum recentiorumque dominorum. Statim in limine libri haesimus in etymologia minime probabili, cuiusmodi etiam aliae sunt ab auctore passim prolatae, quae populum כסלחים Gen. X, 14. pro maioribus Breberorum habere suadet, quia hi a Mauris *Schlah* appellantur. Haec duo nomina nimium a se differunt; ipse auctor suae coniecturae non multum fidere videtur. Affert deinde, quae Sallustius et Procopius de origine huius gentis scribunt. Quam faciem terra sub Arabum imperio induerit, qui ibi principes et quibus virtutibus vel vitiis clari vel infames dominati fuerint, ex CARDONNO LEONE Africano, BOULET, SCHLÖZERO, aliisque accurate narratur. Cap. II. inscribitur noua Geographia Mauritaniae (Marókos.) Haec regio nouem partita est hodie prouinciis, 1) Sus, 2) Haha, 3) Gezula, 4) Erhamna, 5) Dukala, 6) Abda, 7) Tedla, 8) Zerrara, 9) Siedma. Vrbes harum prouinciarum praecipuae enumerantur; earumque descriptio adiectis iconibus illustratur. Distantiae locorum adiiciuntur. Cap. III. de hodiernis incolis Mauritaniae, qui sunt 1) Mauri, 2) Arabes, 3) Breberi, 4) Aethiopes, 5) Renegati, 6) Iudaei, 7) Christiani. *Mauri* non tam a veteribus Mauris ortum ducunt, quam posteri

Ara-

Arabum habendi sunt, qui Saracenae vocabantur. Ab ipsis tamen Arabibus moribus et ingenio valde differunt. Coniugia inter iuniores frequentia sunt. Victus enim parabilis, et parcus. Feminae a patre, fratribus vel cognatis in matrimonium sponsis locantur. Nuptiae magna pompa celebrantur. Signum virginitatis requiritur; stragula, cui signum inest, testibus adhibitis patri traditur. Haec consuetudo lucem affundit Deut. XXII, 13-19. Immo tota Maurorum vitae ratio illustrandis moribus, quos Pentateuchus repraesentat, egregie inseruit: quod ab ipso auctore hinc illinc animaduersum a Bibliorum interpretibus facile augeri potest. Mulierem repudiare licet, etiamsi nulla adsit causa sontica. De lecto surgunt ante solis ortum, preeesque fundunt in loco conuentus, (*Shiame,*) postea res suas agunt, si quae agendae sunt. Maxima enim eorum pars nihil agendo bonas horas perdunt. Cibi, potiones, conuiuia, spectacula, musica, saltationes eis parum curae eorundique sunt. Satis diuitiarum habere putant, si mulierem, equum et sclopetum possident. Cetera non curat Maurus scilicet. Ludo schacchico in primis delectantur. In vestitu varias non affectant formas; simplex est et vnus idemque. Pallium *Haik*, quod vestimentis

mentis superinduitur, pauperi stragulae instar est, cui dormiturus incumbit. Feminae etiam vtuntur istiusmodi palliis. Oculis in oris palpebrarum illinunt colorem nigrum, *Kahol* vocatum. Pingues et suffusae ob formositatem laudantur. Praeter comtum et lotionem nihil curant. Prostibula nulla sunt, quod in gente ad libidinem procliui mirandum est. Iudaicae feminae corpore suo quaestum facere dicuntur. Polygamia illis licita est, et praeter quatuor mulieres, quas ducere licet, etiam concubinas in thori sodalitium sumere leges non prohibent. Eadem polygamia procreandae soboli nocet. Cadauera mortuorum die, quo obeunt, in coemeterio extra vrbem humi conduntur. Feminae, non mares, lugent. Vti Mauri in vrbibus, ita *Arabes* campis dispersi in tentoriis degunt. Religio et lingua vtrisque communis est. Tentoria, nigro colore oblita, ad numerum vsque ducentorum iunctim posita speciem referunt pagorum nostrorum. Non pastoritiam tantum vitam agunt, sed terram colunt. Arant mensibus Decembri et Ianuar. metuntque hordeum Aprili, triticum Maio. — *Breberi,* (quod fortasse nomen e *Barbari* ortum est) veteres sunt incolae Mauritaniae a peregrinis gentibus in montanas regiones depulsi. Mauri eos

non ſolum *Berber*, ſed etiam *Schilcha* appellant. (Atque hoc poſtremo nomine adduci credo a SHAWIO, qui in *Travels* 4to p. 223. ait, linguam hominum montana Occidentalis Barbariae incolentium vocari *Shillah.*) De hac gente aliquid certi cognoſcere difficile eſt, quia Chriſtianos odio habent, locaque, ad quae vix aditus patet, nempe montana Atlantica, incolunt. Horum pauci imperio regis Mauritani ſubiecti ſunt; ceteri ſuo parent regi. Domibus vtuntur in figuram quadratam ſtructis, ſeparatim poſitis. Sunt etiam inter illos oppida. Religio eorum eſt Muhammedica; ſed Mauros ignorantia et furore ſuperant. Quum pauci linguam Arabicam calleant, qua Koranus conſignatus eſt; toti a ſcitis et opinionibus cleri ſui pendent. Lingua enim ipſis vernacula praeter literarum ductus nihil commune habet cum Maurica vel Arabica. Fortaſſe ex multis aliis, e. g. antiqua Getulica, Numidica, Phoenicia, Turcica, Aegyptiaca aliisque conſarcinata eſt. Huius linguae vocabula ſat multa protulit HOESTIVS. Numeri ab vnitate ad denarium toto caelo differunt a Mauricis. Sed 20, 30, 40, 50, 60, 70, 80, 90, 100, eadem ſunt vocabula in lingua Brebrica et Maurica. Brebri ſe ipſos appellant *Amazirg*, nomine Geographis hactenus

editis

editis ignoto.— *Aethiopes* (vulgo *Nigri*) hodie Mauritaniam incolentes, vel ex Guinea aduenerunt, vel inde oriundi ſunt. Horum alii ſerui ſunt, alii liberi. Durities et crudelitas iis propria eſt. — *Iudaei* partim inter Breberos viuunt, et ſemet ipſos *Philiſtin* appellant, quia maiores eorum e Palaeſtina huc aduenere, partim inter Mauros, eorumque maiores ex variis Europae nationibus inde a ſeculo XIV. huc migrauere. Mauris ſummo ſunt contemtui ludibrioque; ceterum ab aliis Iudaeis moribus et ingenio non differunt. (Iudaeos Palaeſtina oriundos accuratius noſcere ecquis non cuperet?) — *Renegati*, ſ. homines, qui a Chriſtiana vel Iudaica religione ad Muhamedicam defecere, Aethiopum vel Renegatorum filias ducunt, et vix tertia vel quarta generatione pro Mauris habentur. Horum maxima pars Hiſpani ſunt, dein Galli, tum Itali, tandem Luſitani, Germani, Helueti et Angli. Danos ab hac infamia vindicat auctor. — *Chriſtiani* in Mauritania degentes ſunt conſules, mercatores, artifices et ſerui. Hi poſtremi non tam iniqua ſorte in Mauritania fruuntur, quam in aliis Africae regionibus, quippe regis peculium ſunt, ab illoque contra iniurias incolarum defenduntur. Labor iis impoſitus verſatur in expurgandis hortis, alendis equis,

 ſtruen-

ſtruendis aedificiis etc. Maior ſeruorum pars meliori gaudent conditione, quam in ipſa patria gauiſi ſunt. Quare ipſi nonnunquam Galli, omni exuta humanitate, ferociter ſe gerunt contra ſe inuicem et Iudaeos. Cap. IV. De imperio aulaque. Imperium eſt deſpoticum, nullisque limitibus potentia regis circumſcribitur. Mauri regem appellant *Soltan*, *Sidna*, *Sidi*, *Sidi elkebir*. Regnum haereditarium eſt, ex quo Sheriſae rerum potiti ſunt. Filius natu maximus patrem fatis defunctum excipit. Nullo concilio intimo, quale Turcicus *Diwan*, ſtipatus eſt rex. Bis ſingulis hebdomadibus ſub dio conueniri poteſt a quocunque ſuorum ſubditorum, vel aliquid efflagitante, vel de iniuria ſibi illata conquerente. Redituum regionum ſummam aeſtimat auctor decies centena millia Piaſtr. expenſarum 300000, ita vt ingens ſuperſit pecuniae vis, quae quotannis cumulatur. Cap. V. De re militari. Exercitus tempore pacis conſtat 6000 Aethiopibus totidemque Arabibus. Cap. IV. De Piratica. Claſſis raro ſuperat numerum 12 nauium, quarum fortiſſima 45 tormentis militaribus inſtructa eſt. Naues ſtruuntur in vrbibus Sala et Tetuan a Renegatis et Algerenſibus, ſumtibus regiis. Niſi ab hominibus lucri ſanguinisque auidis impelleretur rex, vix piraticam

exerce-

exerceret. C. VII. De religione. Omnes Mauritaniae incolae Muhamedicae religioni addicti sunt; omnisque cultus diuinus absoluitur lotione, precibus, ieiuniis, eleemosynis, peregrinatione Meccana. Cap. VII. De scientiis. Hae, quatenus a Mauris excoluntur, continentur lingua, Theologia, Iurisprudentia, Medicina, Astronomia, Poesi et Musica, Architectura et opificiis. Scribunt loquunturque Mauri Arabice, quae licet lingua non plane eadem sit cum ea, quam Koranus praefert: tamen nihil vel parum differt a lingua Arabica in aliis regionibus vernacula. Indicem verborum Arabicorum LXXXVII in Iemen, et Kahirae vsitatorum, quem NIEBVHRIVS dedit in descriptione sua Arabiae, considerans HOESTIVS, vix septem inuenit ab iis, quae in Mauritania adhiberi solent, diuersa. Lingua Mauritano-Arabica a Koranica paulum distat. Quod ad pronunciationem literarum attinet, contendit HOESTIVS, literam *Gain* Germanice optime efferri per *rg*, quod tenendum est, quia haec orthographia per totum librum obtinet. (Ceterum HOESTII testimonio lubenter acquiescimus, indeque explicamus, quod ex *Gazal* Arab. formatum sit Chaldaicum אורזיל inserto nempe ר ob pronunciationem τȣ Gain: et ita fit in aliis

aliis vocibus.) Idem putat, literam *Gim* a Germanis (nisi forte hic et quoad literam *Gain* interpres, qui hic illic non satis accurate munere suo functus videtur, Germanicam linguam substituit Danicae, quae ab ipso HOESTIO, credo, memorabatur) per *Sgh* efferendam esse; quare scribit *Sghibraltar*, quod a nostratibus communiter scribitur *Dschibraltar*. Cap. IX. De commercio. Hoc caput mercatoribus commendandum est. Agitur etiam de monetis. C. X. De historia naturali. — Quantopere hic liber ab iis magna cum attentione perlegendus et in vsus conuertendus sit, qui Biblia Hebraica explicant, vno exemplo declarabimus. Narrat HOESTIVS, in vrbibus Meknes et Marokos leonibus, qui in cauernis iussu regis seruantur, a Iudaeis alimenta porrigi, qui virgam manu tenentes in portis cauernarum sedent, neque a leonibus laeduntur. In has cauernas nonnunquam homines, inprimis Iudaei, deiiciuntur. Iudaei illaesi in cauernis noctem transigunt; proximo die priusquam fames leones incesserit, populares eos a rege soluta pecunia redimunt. Quae quidem relatio egregiam, nisi fallimur, lucem capiti Danielis sexto affundit.

Non possumus librum huncce reponere, quin gratissima mente immortalia Danicae

gentis merita de literis Orientalibus, intra paucos annos parta, recolamus et suspiciamus. Eodem tempore, quo NIEBVHRIVS Asiam Africamque sumtibus regis Daniae peragrauit, HOESTIVS ab eodem Rege sustentatus descriptionem Mauritaniae parauit cum orbe erudito aliquando communicandam. Atque nunc doctissimi viri, ADLER et MOLDENHAWER, pariter Daniae regis patrocinio suffulti, Bibliothecarum in Europa pluteos perscrutantur, vt Orientalium literarum thesauros ibi reconditos ab interitu et obscuritate vindicent.

*Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt.*

---

WILHELM FALCONER'S *Bemerkungen über den Einfluß des Himmelsstrichs;* h. e. obseruationes de vi caeli, situs, regionum, multitudinis incolarum, alimentorum, et vitae generis, in hominum mores, ingenia, leges, rerumpublicarum formas et religionem; ex Anglico sermone translatae, et additamentis ab interprete auctae. *Lipsiae* apud Weygandum 1782. pagg. 698. oct.

Dissimilitudinem locorum dissimiles habere

hominum procreationes, et multa, quae in diuersitate ingeniorum, morum, rerum publicarum, et ipsius religionis animaduerti possunt, fieri ex caeli varietate, ac disparili terrarum adspiratione, cum veteres multi viderunt, tum recentiores docuerunt varie, multarumque obseruationum copia luculenter demonstrarunt. Sed quae ad illustrandum hoc argumentum pertinent, ea sparsa sunt per libros multos, et prolata saepe ab auctoribus iis, qui, cum aliud agerent, impetu orationis, vt fit, ad eam rem delati, multa ex eo genere monerent apte, et subtiliter obseruarent. Has dissipatas opes, quae sunt profecto iam satis magnae, nemo adhuc fuit, qui studiose colligeret, et congestas ita disponeret, vt, quid et quantum res externae valeant ad mutanda hominum ingenia, et mores conformandos, commode posset intelligi. Etsi enim fuere, qui vel de varietate terrarum ac caeli, vel de victu et genere viuendi, vel de aliis rebus, extra nos positis, sigillatim agerent, earumque vim in hominum animos subtiliter indagarent: nemo tamen istarum rerum vim et efficaciam omnem ita demonstrauit, vt caussas externas *omnes* legitima disputatione persequeretur. Cuius rei periculum cum fecerit FALCONER, medicus Anglus, in hoc libro: nos vehementer laudan-

laudandum censemus interpretis consilium, qui eam sibi conuertendam scriptionem sumsit, quam lubenter arripient homines nostri vel propterea, quod ex illo genere nihil habemus, quod hisce commentariis possit praeferri. Sed vt intelligatur, quae sint libri dotes, breuiter disputabimus cum de his, quae in ipso FALCONERO vel laudanda putamus, vel vituperanda; tum illa memorabimus ornamenta, quae adiecit interpretis Germanici diligentia.

Igitur non hoc egit FALCONER, vt vim et efficaciam rerum externarum, quam exserunt in mutanda hominum natura, subtiliter exponeret, et in ea re adhiberet ἀκρίβειαν illam, quam postulat artis ac disciplinarum accurata descriptio; istam enim subtilitatem in hoc argumento, fatetur, nimis arduam esse, nec ausum se, infinitas propemodum cum suas, cum aliorum obseruationes ita coniungere atque tractare, vti postulet artis legitima seueritas. Sed hoc, ait, efficere se voluisse, vt sparsae passim ac dissipatae ex hoc genere obseruationes in corpus aliquod coalescerent, quod lustrantibus cum integrum videri posset ac perfectum, tum aliqua partium venusta conspiratione placere. Atque hoc consilium, de quo modeste disputat auctor, (est enim ab

omni vanitate alienissimus) perfecit ita, vt scientiam variamque doctrinam mireris, ingenium facile agnoscas. Habet igitur hoc volumen *libros sex*, quorum *primus* est *de vi caeli* in mentes hominum; *alter* opportunitates et damna ea exponit, quae *a situ et magnitudine terrarum* repetenda sunt; *tertius* persequitur *genera terrarum earumque naturam*, quarum aliae pestilentes, aliae salubres sunt, et vel acuta ingenia gignunt, vel retusa tardaque protrudunt; *quartus* demonstrat, quid *incolarum copia* efficiat, hominumque vna habitantium multitudo; *quintus* docet, quid *victus et ciborum varia genera* possint, quae vel acquirendi modo ac via, vel natura sua et indole varie conformant hominum ingenia, varieque corrumpunt; *sextus* denique habet doctam et copiosam disputationem *de vitae generibus et animorum vario cultu*, qui vulgo solet cum externae conditionis diuersitate coniunctus esse. Liber quisque magnam habet copiam obseruationum, quas vel auctoris ingenium peperit, vel eius diligentia ex aliorum libris decerpsit. Nec amplectitur auctor recentiores tantum scriptores, eorumque monita profert; sed vagatus per omnium paene aetatum spatia, etiam antiquorum auctorum subtiles profecto, et elegantes obserua-

tiones

tiones larga manu depromsit. Sed in tanta copia rerum inueniri passim nonnulla, quae vel incerta sint, vel parum subtiliter conclusa, vel nimis audacter pronuntiata; nemini mirum videbitur, qui cogitauerit, quam ambigua saepe sit omnis illa disputatio de rerum externarum efficacia, in qua vel acutissimi viri saepe sunt ac varie lapsi. Ea tamen haud postrema FALCONERI laus est, quod et eorum temeritatem fugere studuit, qui *omnia* fere referunt ad caeli rerumque externarum vim, atque existimant, humanae naturae conformationem paene totam ex ea pendere; quod e Francogallis fecerunt DUBOSIVS et MONTESQVIEVS — et alienus est ab eorum vanitate, qui caussis externis *vim omnem adimunt*, et, quod vsus rerum manifeste docet, id ratiunculis tollunt; quae fuit HELVETII opinio. Noster hoc egit, vt, quantum fieri posset, vtrumque vitium caueret, teneretque *viam quandam mediam;* a qua vbi interdum deflectit, propius accedit ad eorum sententiam, qui rebus externis nimium tribuunt. Vnde nonnulla illustrat e caussis externis, quae videntur ab alio fonte manare; et lapsus est in ea re maxime propterea, quod incautius secutus est MONTESQVIEI auctoritatem, e cuius libro *de vi et natura legum* hausit plurima. Quasdam

dam libri partes tractauit ieiunius; quod maxime dici potest de his, quorum argumentum est ab arte auctoris remotius. Sic, vt exemplo vtar, libro *primo*, sect. XXII. de *religione* disputat, quae et ipsa vi caeli mutatur varie atque corrumpitur; sed ista commentatio, si vbertatem argumenti et grauitatem spectes, nec satis accurate scripta est, nec apte satis et copiose. In describendis *vitae generibus*, quae solent sectari gentes variae, quamquam et rerum copiam, et subtilitatem in disserendo laudabilem demonstrauit philosophus Anglus: tamen superari videtur ab ISELINO, nostro philosopho, qui in *historia generis humani* eundem locum ita pertractauit, vt ex grauissimarum obseruationum farragine, et recondita exquisitaque naturae humanae cognitione Anglo facile antecellat. Praetermittimus locos alios, in quibus hi, qui voluerint hoc totum argumentum nouo modo illustrare, facile inuenient, quae vel vituperari possint, vel rectius doctiusque constitui.

Maximum vero libri, ceteroquin praestantissimi, vitium inest in eo, quod auctor *in vsurpandis libris aliis*, cum recentioribus, tum vetustis, *versatus est negligentius*, ac saepe testimonia attulit, in quibus, si diligentius examinentur, vis inest nulla. Qua de re vel pro-

pterea quaedam dicenda sunt, quod vtilitati eorum, quae ab auctore traduntur, non parum detrahit illa incuria, et efficit, vt lectores nonnisi difficulter possint de obseruationibus singulis iudicare. Ac primo quidem libri multi, e quibus testimonia petuntur, *excitantur negligentius*, nonnisi indice breuiter indicato. Iam vbi voluerint lectores explorare testimonii fidem et vim: perlegenda sunt spissa volumina, et ingens molestia deuoranda in quaerendo loco, quo auctor vsus est. Deinde legentibus, si non prorsus rudes fuerint, obscurum esse non potest, locos multos ab auctore *perperam excitari*, et peccari vel in numeris, librisque accurate designandis, vel locos ipsos parum recte explicari, et ad rem trahi ab ipsorum argumento saepe prorsus alienam. Ex vtroque genere vel inter legendum obseruauimus errores plurimos, quamquam animus a consilio, examinandi auctoris ἀκρίβειαν in excitandis aliorum scriptorum libris, abhorreret, et rebus ipsis esset intentus. Sed proferamus quaedam ex eo genere, vt intelligatur, nos non temere ea de re conqueri. Docet auctor p. 14. gentes eas, quae magnum patiantur solis calorem, ad iram et vindictam procliuiores esse, et excitat *librum VII. Cyropaidiae Xenophonteae*; in quo libro nihil inest,

est, quod ad demonstrandam eam rem aliquam possit habere vim — P. 39. obseruat ex ARISTOTELE, Graecos ab ipsa natura ita formatos fuisse, vt orbis terrarum domini, et reliquarum gentium optimum esse possent exemplar; quem locum in *Rhetoricis* esse ait. Sed est apud ARISTOTELEM *de Republ.* l. VII. c. 7. nec illud habet, quod FALCONER de Graecis perhibet, *eos a natura gentibus reliquis ad imitandum propositos esse;* τὸ τῶν Ἑλλήνων γένος, inquit ARISTOTELES, ἔνθυμον καὶ διανοητικόν ἐστι — καὶ δυνάμενον ἄρχειν πάντων, μιᾶς τυγχάνων πολιτείας. Et in hac re bis lapsus est auctor; repetit enim hunc errorem p. 96. — P. 43. loci duo afferuntur e LIVIO, ad demonstrandam fraudem Punicam, quorum neuter rite excitatus est; videtur in animo habuisse verba LIVII l. XXIII. c. 5. *Poenus hostis* — *expertem omnis iuris, et conditionis, et linguae prope humanae militem trahit.* — P. 44. scribendum est: LIV. l. XXXVI. c. 17. — Locus DIODORI *Siculi*, qui affertur p. 82. e libro I. c. 17. desumtus est; in quo non videmus, cur DIODORI auctoritate vtatur auctor, ad demonstrandum hoc, Aegyptios gentes reliquas docuisse agriculturam; sed in eo, quod idem scriptor etiam inuenti vini gloriam

ad Aegyptios eodem loco transfert, eum deſerat. Rectius feciſſet auctor, ſi has DIODORI *fabulas* ne tetigiſſet quidem. — Locus ARISTOTELIS, p. 95. allatus, eſt *Problem.* Sect. XIV. — P. 153. vtitur auctor libro VII. hiſtoriae, quam *de Cyro iuniore* ſcripſit XENOPHON; ſed nihil ineſt in toto libro, quod eius ſententiae faueat. — Prorſus oſcitanter laudauit PLVTARCHVM p. 161. e quo demonſtrare voluit, apud Romanos de rebus capitalibus interdum ad portas vrbis iudicia habita eſſe. Quam conſuetudinem, inuitis auctoribus vetuſtis, inuito etiam PLVTARCHO, temere finxit auctor. Locus enim, quem in animo habuit, eſt apud PLVTARCHVM in *Camillo,* Opp. Tom. I. p. 148. vbi traditur, quomodo capitis damnatus ſit Manlius ille, qui Gallos de capitolio deiecerat. Hic accuſatus in foro, hominum animos ad miſericordiam flectere ſolebat, oſtendens Capitolium, ad quod e foro proſpectus patebat, et priſtini decoris memoriam renouans. Ne igitur iudicum animi ea re perturbarentur diutius, Camillus, dictator, *μετήγαγεν ἔξω πύλης τὸ δικαστήριον εἰς τὸ Πετηλῖνον ἄλσος· ὅθεν οὐκ ὄντος τοῦ Καπιτωλίου καταφανοῦς, ὅ, τε διώκων ἐχρήσατο τῇ κατηγορίᾳ κ. λ.* Haec igitur res, vt facile intelligitur, nonniſi *ſemel* accidit,

cidit, nec potuit accidere saepius; atque ne Manlius quidem *ad portam* damnatus est, sed ἔξω πύλης, in nemore Petelino. — Demonstrat p. 289. ex aliquo MAXIMI *Tyrii* loco, qui est in *Dissert.* XIII. Aegyptios veteres fuisse ignauos et timidos. Sed hic locus nullam prorsus habet vim, cum MAXIMVS ipse caussam addat parum idoneam, Aegyptios meticulosos fuisse, quoniam *agricolae fuerint*. Nec loquitur de *vetustis* Aegyptiis, ad quos FALCONER locum traxit; est etiam huius viri auctoritas in ea re fere nulla, cum Sophistarum more in ea oratione disputet, in ea vero declamatione, quae sequitur, contrariam sententiam exornet. P. 471. in laudanda ARISTOTELIS sententia, et FALCONER peccauit, et, qui eum errorem emendare volebat, interpres vernaculus. Etenim ARISTOTELES *Politicor.* l. II. c. 5. aduersus PLATONIS opinionem de communione bonorum in republica disserit; eos vero, qui sellularias artes exercent, ciuium dignitate priuandos esse, minime suadet. P. 517. laudat librum VIII operis, quod *de Cyro iuniore* conscripsit XENOPHON, cum tamen ista scriptio nonnisi *septem* libros habeat, locus vero, quem auctor excitare volebat, manifeste sit *in prooemio Cyropaediae*. — Sed sufficiant haec

pauca,

pauca, quae facile possemus, si iam hoc ageremus, augere multis aliis; iam enim manifestum esse putamus, eos, qui FALCONERI voluerint libro vti, cautos esse debere, ne quid temere credant. Diligenter enim examinandum est vbique, vtrum allata ab ipso testimonia sint satis idonea.

De *interprete Germanico* restat, vt adiiciamus nonnulla. Quis vertendi laborem susceperit, ignoramus; sed vehementer laudanda nobis videtur interpretis diligentia, si discesseris a negligentia in excitandis aliorum libris et vsurpandis, quam reprehendimus in FALCONERO, et in cuius culpae societatem interpres propterea venit, quod non sustulit illa vitia. Ornamenta vero, quibus versionem vernaculam instruxit, cernuntur in adiecta *praefatione*, et adspersis *animaduersionibus* varii generis. Atque illa quidem satis copiosa est, et *cautiones* exponit, quas locus philosophiae, a FALCONERO perpurgatus, habet. Quae super hac re scripsit auctor, docta sunt, et subtiliter obseruata, vt haec praefatio sit non contemnenda ad vtilitatem libri accessio. In animaduersionibus autem multa castigantur ac refinguntur, quae a FALCONERO vel non satis acute obseruata erant, vel temere et audacter pronuntiata. Adiiciuntur etiam

iam paſſim *notae vberiores*, in quibus tractantur nonnulla copioſius, quae ad illuſtrandam FALCONERI diſputationem pertinere videbantur.

---

MATTH. DOBSON *Abhandlung über die medicinischen Kräfte der fixen Luft;* i. e. DOBSONI, M. D. Soc. Reg. Lond. Socii, liber *de vi aeris fixi medica;* ex anglico verſus, annotationibus et additamentis auctus. Lipſ. redemt. Reichio. 1781. 8. pag. 208.

Qui haud ita pridem ab HALESIO detectus, et recentiſſimis temporibus magna experimentorum copia vberius demonſtratus eſt, aer fixus in vſus medicos felici euentu iam adhiberi coepit; id quod exemplis iam plurimis probat Cl. DOBSON. Sect. I. *De diuerſis modis, aerem fixum extricandi et adhibendi* agit, et modum *Ducis de* CHAVLNES, et VENELII prae ceteris commendat, additque illum etiam ſub forma clyſteris, et ad ſuperficiem corporis varia ratione poſſe applicari. Ex inſtitutis experimentis colligit, duabus drachmis ſalis alcalini volatilis ineſſe aeris fixi grana 48, in eadem quantitate cretae gr. 42, et ſalis alcalini vegetabilis gr. 28. Sect. II. *De*

*De aeris fixi a ſanis aſſumti effectibus ſenſu percipiendis.* Si ſali alcalino fixo vel volatili, in aqua ſoluto, ſuperbibatur ſuccus citri; aer fixus in ventriculo extricatus, vt aquae minerales, fere agit, lenis irritantis ad inſtar ventriculum afficit, cuius effectus ad cerebrum neruosque ipſos penetrat, et cordis arteriarumque vim adauget: eiusque aeris modo grana 8-10 absque ſenſibili nauſea aſſumi poſſunt. Sect. III. *Effectus noſtri aeris in morbis putridis;* eiusmodi febre petechiis ſtipata detenti aegri quatuor, ſanitati reſtituebantur ope potionis alcalinae, cui ſuperbibebatur ſuccus citri; eadem methodus ſucceſſu haud deſtituebatur in 4 aegris, variolis et morbillis maligni indolis afflictis. Sal alcalinus volatilis etiam in infuſo peruuiani corticis frigido (*infuſum peruianum mephiticum alcalinum*) ſoluebatur, et febris ſecundaria variolarum confluentium in totum fere videbatur ſuppreſſa. Gangraena in pede, coniuncta cum hydrope contextus pulmonum celluloſi, eadem ratione ſublata eſt. Anginam, quam vocant vlceroſam, ſanauit ſimilis methodus adhibita, vna cum inſpiratione aeris fixi: et quae illam in alio ſequebantur mala, aſthma, diarrhoea et affectus hydropici, eisdem potionibus alcalinis et acidis, et infuſo *malti* fermentantis profli-

gabantur. In phthiſi, vbi pus in pulmonibus effuſum eſt, inſpiratio aeris fixi, et mixtura RIVERII, bis auxilio fuit Cl. DOBSONO: nec eiusdem obſeruationes in ſcorbuto maritimo deſunt, de quo etiam afferuntur nouae, eaeque inſignes a Cel. MACBRIDIO inſtitutae. Sect. IV. *De putredine, exhalationibus putridis, et remediis corrigentibus.* Illae oriuntur ab animalibus viuis et mortuis, et generuntur in primis in noſocomiis, orphanotropheis, ptochiis, carceribus, denique in coemeteriis; quarum vero noxa imminuitur a diſperſione partium putridarum in aere, a plantarum vegetatione, (cuius vtilitatem poſt auctorem vberius docuit Ill. INGENHOVS,) et putredinis tandem peracta euolutione ceſſat. Sect. V. *De effectu aeris fixi in putredinem, et exhalationes putridas:* illa maxime imminuitur noſtro ab aere; ſed minime ab exhalationibus putridis, vti perhibet cl. ALEXANDER, qui ab auctore, experimentis inſtitutis, refutatur. Licet vero aer fixus cohibeat putrefactionem; tamen aer, vaporibus putridis refertus, eo non melior redditur. Sect. VI. *De vtilitate aeris fixi ad cachexias et vlcera phagedaenica.* Cl. Auctor noſtro aere vlcera cancroſa non ſanauit; ſed horum dolores modo imminuit; enimuero in vlceribus antiquis ſerpentibus

pentibus mali moris maxime efficacem se praestitit dolorum imminutione, puris correctione, vlceris emendata conditione, quin et integra eorum sanatione; quorum effectuum quatuor historiae fusius enarrantur, quibus adiunguntur duae persanatarum cachexiarum. Sect. VII. *Vsus aeris fixi in quibusdam ventriculi morbis*, vt: eius debilitate et nimia irritabilitate, anorexia, nausea et vomitu habituali, quatuor exemplis probatur. In genere Cl. DOBSON omnes, quas adduxit, morborum sanationes, partim propriis, quas fusius describit, partim obseruationibus cl. virorum, HAYGARTH, SANDBACH, HENRY, PERCIVAL, WITHERING, HVLME, DAWSON, demonstrat. Sect. VIII. *Aeris fixi vis in calculos renum et vesicae*, qui nimirum hos soluit, et dolores simul sopit; humorum massae aduehitur per aquam mephiticam alcalinam, succum citri, per potum quemcumque aeratum, mel, et cetera. Sect. IX. *De maiori propensione ad affectus calculosos incolarum earum in Anglia regionum, in quibus hydromelum in vsu est, prae ceteris.* Collatis inter se nosocomiorum, in 13 vrbibus valde dissitis exstantium, indicibus, per plures annos subsequentes factis, apparet, calculos varii generis multo frequentiores esse in iis regionibus, qui-

 bus

bus vinum pomatum, idque in primis acidum, pro potu est. Ratio autem dispositionis calculosae nondum penitus nota cl. auctori videtur, qui calculum esse productum animale, non a materie peregrina in corpus allata ortum, censet: illamque itaque a structura corporis pendere, atque hoc modo posse hereditariam esse. Sect. X. *De effectibus noxiis aeris fixi:* qui nimium accumulatus, protinus necat, et quidem non suffocatione, sed mediata in systema neruosum, cuius vim penitus sufflaminat, actione; in cuius rei documentum sex historiae summe noxii effectus adiiciuntur, quem calcariae fornaces edebant, ex quibus vnicam modo personam seruatam esse apparet. — — Sequuntur nunc additamenta cl. interpretis, (qui et notulas non spernendas passim adiecerat) 1) *de effectibus noxiis aeris fixi et aliorum vaporum aereorum,* desumta praeprimis ex cl. LEONHARDI notis, MACQVERII lexico chemico adspersis, et ex cl. BVCQVETO. 2) *De vi aeris varii generis medica:* vt aere alcalino, hepatico, dephlogisticato cet.; ad mentem cel. PRISTLEYI, MACQVERII, BERGMANNI, ACHARDI, FONTANAE. 3) *De effectu salutari aeris fixi,* in febribus putridis, vt et intermittentibus, gangraena, phthisi, hydrope,

drope, ſcorbuto, podagra, calculis bilioſis, iisdemque veſicae, morbis ventriculi, tympanitide, vermibus, morbis ſpaſticis, paralyſi, inflammatione mammarum, tinea capitis, vlceribus, ozaena; de quibus omnibus teſtes fide dignos affert; vt. cl. WITHERING, IANSSENS, PERCIVAL, HEY, WARREN, ROTHERAM, LEE, COLLIN, MAGELLAN, POWER, HVLME, FALCONER, AASKOW, BADENOCK, SAVNDERS, BELLE, IASSOY, CORVINVM, RVSH, CHAMPEAVX, IVSTAMOND, LALOUETTE, et alios. Denique 4) cl. Interpres affert *animaduerſiones quorundam medicorum in vſum aeris fixi ſalutarem*, e. gr. cl. LETTSOM, et THOUVENEL. — Licet nobis videatur, medicum aeri fixo poſſe in omnibus allatis morbis nondum plane fidere; negandum tamen haud eſt, illum ad remedia valde efficacia pertinere. Itaque nec ſperni plane, nec in morbis quibuscunque adhiberi, ſed rite formatis iudiciis in vſum vocari optime meretur.

---

*Von der Wirkung des Mohnſafts in der Luſtſeuche;* i. e. De effectu opii in lue venerea; accedunt alia obſeruata medic.

et phyſ. in America ſeptentr. inſtituta, auctore IO. DAV. SCHÖPFIO, medico caſtrenſi Onoldino in America; edidit et praefatus eſt DELIVS, Conſil. aul. intim. et Profeſſ. Erlang. ap. I. I. Palm. 1781. 8. plag. 4 et dim.

Nouum nunc exſtat in lue venerea remedium, quod quidem caſu detectum eſt. Aegro enim hoc malo peſſime affecto, et pertinaciſſimis vlceribus torto, opium propinabatur ad ſopiendos dolores, ſomnumque arceſſendum. Sumto et per aliquot dies continuato medicamine, omnia meliorem aſſumebant faciem, et aeger, mercurialibus omnis generis remediis fruſtra olim vexatus, ſanitatem recuperabat. Permouit hoc NOOTHIVM, ſummum noſocomiorum militarium inſpectorem in America, vt contra vlcera venerea, mercurio diu reſiſtentia, adhiberet opium in aliis, in aliis continuaret mercurium; quo factum, vt hi in ſuo ſtatu manerent, illi paucis diebus poſt magnam in melius mutationem experirentur, ac breuiori, quam exſpectare fas eſſet, tempore ſalui eſſent. Mirum ſane in hacce methodo eſt, opium aluum obſtipatam, quod alias ſolet, non reddere. Gangraenam in membro genitali pro parte ſphacelato idem ſiſtebat, eiusque reliquias cito conſolidabat.

Narrat

Narrat SCHÖPFIVS, ſe multos vlceribus venereis pluribus vexatos, hoc vno remedio ſanauiſſe, et intra decem menſes, nulli venereo ne vnicum quidem mercurii granum propinaſſe, nec tamen adſuiſſe minimam rationem, cur opii vſum cum illo commutaſſet; teſtem ſe eſſe oculatum, et a medicis Anglicis audiuiſſe, idem opium ſolum in noſocomiis regiis morbis venereis quibuscunque opponi; ſycoſes illud breui tollere, eademque efficacia in ſexu ſequiori eſſe. Cuius ſanationis rationem aliquam cl. auctor ponit in vi opii ſedatiua, antiſpasmodica, irritabilitatem imminuente; ſed ei videtur tamen, ineſſe etiam vis quaedam ſpecifica antiuenerea, quia partim aegri, quamuis cito et iucunde curati, tamen in priſtinum morbum non relabantur; partim Turci Perſaeque, opii amantiſſimi, a morbo venereo prorſus fere immunes ſint. Accedit ad laudes huius medicamenti, quod ab illo non aeque pertimeſcenda ſint damna quaedam, ac a mercurio. — Adiectae ſunt obſeruationes phyſicae de *climate et tempeſtatibus Americae ſeptentrionalis:* illud multo durius eſt, quam in aliis regionibus ſub eadem latitudine ſitis; frigus enim 12° - 15° latit. fortius eſt; calor in aeſtate maxime feruidus, ſaepe ad 92° - 95° Th. Fahr.; in hyeme frigus thermometrum

I 5

metrum saepissime infra o, et quidem 4°-12° gradus, deprimit. Caloris et frigoris huius vicissitudines maxime subitaneae sunt; et soli menses September atque October ceteris sunt suauiores. Frigoris praecipuae caussae videntur immensa fere continentis extensio, vsque ad polum directa, et venti continui fere et vehementes, imprimis ex occidentalibus, borealibusque regionibus prouenientes. — Libello finem imponunt annotata *de morbis Americae septentrionalis*. Incolas multo debiliores Europaeis iudicat auctor, quod maximae tempestatum mutabilitati tribuit; eos quoque minus foecundos esse, illorumque infantes multo copiosius mori, quam in nostris terris. Negat, Americanis indolem animi propriam omniumque communem esse, illiusque fortitudinem singularem e bello, quem in pristinos dominos gerant, satis apparere. Inter morbos istius regionis refert subitaneam mortem in calidissimis diebus, cui inprimis expositi sunt vehementius commoti. Videtur apoplexiae genus esse. In vna pugna (d. 28. Iun. 1778.) 59 protinus decidebant mortui, absque omni vulnere, soloque calore et motu enecti. Singulare quoque grassatur exanthematis genus; (*prickling-heat* vocant) cutis maculis rubellis valde prurientibus

tegitur;

tegitur; quae non eleuantur, et nunc erumpunt, nunc euanescunt, prout calor magis vel minus viget; tandem squamarum instar cutis decidit; oriuntur a maiori appulsu sanguinis ad vasa cutanea, a magno calore relaxata. Catarrhi et Coryzae in ipsa calidissima tempestate valde frequentes sunt. Inter morbos autumnales eminent dysenteriae, cholerae, febres remittentes et intermittentes, symptomatibus biliosis stipatae, febribus Indiae occidentalis valde similes. Numquam vero adhuc morbi contagiosi milites inuaserunt, qui a scorbuto quoque raro vexantur. Frequentior est angina membranosa, et tumor glandularum colli et testiculorum (*Mumps.*) Singularis est obseruatio plurium polyporum in $\frac{2}{7}$ demortuorum, ab auctore dissectorum; quos vero nimio potuum spirituosorum vsui tribuit. Variolarum insitio felicissime cedit, et inter 3000-4000 ne vnus quidem mori dicitur. Noui aduenae aut diarrhoea aut febre vt plurimum afficiuntur.

---

*Vom Geist der Hebräischen Poesie* etc. i. e. De indole Poeseos Hebraicae, dissertatio in vsum admiratorum eius et antiquissimae mentis humanae, auctore I. G.

HER-

HERDER. *P. I.* Dessau. 1782. 8. impensis aerarii imprimendis libris destinati, venal. in bibliopolio eruditorum. pagg. 374.

Qui titulo libri inducti celeberrimum LOWTHIVM ab auctore nostro exscriptum putant, nae illi egregie falluntur. Quantaecunque laudes fuerint, quas LOWTHIVS sibi in hoc disciplinarum genere peperit: HERDERVS tamen documento est, superfuisse hac de re scribendi materiam amplissimam, siue potius Poesin Hebraicam alio plane modo, ac LOWTHIVS fecit, tractandam esse. Iste enim vir doctissimus, quo propius absint Hebraicorum carminum pulchritudines a Graecis Latinisque, eo magis praestantiae laudes iis tribuit. Graeca igitur et Latina carmina ei canonis instar habentur, ad quem ceterarum gentium poemata exigenda sint. Nostras vero in ipsam rerum naturam magis inquirit, et primaeuorum hominum statum, cogitandi percipiendique modum, viuendi rationem, mores, et linguam rimatur, indeque virtutes et laudes Hebraicorum carminum deducit. Dialogis X liber diuisus est, magna cum elegantia conscriptis, quorum argumentum breuiter perstringemus. De indole ipsius linguae Hebraicae primum acutissime agit; hanc

hanc quia verbis inprimis constat, nominaque verborum forma saepe induuntur, pingentem, actiones ipsas repraesentantem, ideoque poesi aptissimam recte appellat. Verba ex radicibus, res sub sensus cadentes referentibus, leniter deriuantur. Tempora licet Aoristi potissimum habenda sint, poesis, quae tota vita et actio est, non respuit: et ob hanc temporum indolem ipsa Hebraeorum historia non tam narrat quam pingit. Parallelismus etiam in carminibus Graecis obtinet; argumentaque carminum eum requirunt. Hebraei numeri rythmique, qualis apud Graecos Latinosque esse solet, ignari pauca verba ore suo proferunt, quae ob mutuam inter se relationem similia sibi sunt, et sono locoque rythmi speciem prae se ferunt. Dial. II. Creatorem sibi repraesentant Hebraei potentissimum et fortissimum. Quod ex Iob. IX. et Ps. CXXXIX. eleganter ab auctore versis (atque eiusmodi versionibus tanquam gemmis aureus ille liber passim distinctus est) probatur. Solent autem parallelismum caeli et terrae inducere, i. e. caelum terramque inter se conferre, immensumque ei, quod infimum est, opponere. Quarum quidem rerum comparatione quid magnum, rectum, sapiens sit, cognoscebant; et imum ope rerum superiorum definiebant,

metie-

metiebantur et numerabant. Dial. III. Locus nondum natorum, nox, aurora, ex Poetarum Hebraeorum mente delineantur. In solem et reliqua obiecta naturae hymni Hebraici non exstant, vt idololatriae quaeuis occasio auferatur. Animalia accurate describuntur, ipseque Deus in libro Iobi de equo et leone aliisque animalibus creatis laetatur. Dial. IV. et V. in illustrando libro Iobi versantur. Inducit auctor primum descriptiones quasdam de Deo, stellarum iudice, orbis conditore, tempestatisque moderatore. Deinde tempestatem, maria, lumen, noctem, mortem, interitum, vno verbo, quicquid naturae proprium est, personarum speciem in hoc libro referre demonstrat: quare de hoc poeseos genere, quod naturam tractat, quatenus sensus ferit, fuse agit eiusque venustatem exponit, et exemplis quibusdam ex OSSIANO petitis illustrat. Ipsum Iobum in Idumaea vixisse putat; librum eius nomine inscriptum Mosis esse negat, sed in Idumaea concinnatum in honorem cuiusdam ex Emiris huius regni antiquioribus fortasse Dauidis temporibus Iudaeis primum innotuisse, putat. Historicam introductionem poemati coaeuam censet, ipsumque poema non drama appellandum esse sensu, quo nos hac voce vtimur, sed consessum potius sapientum, qui de

causa

causa supremi rerum moderatoris in vtramque partem disputent. Dial. VI. de Paradiso agit; huius totam historiam ex traditione antiqua, quae euentu quodam ad humanum genus pertinente nititur, haustam esse arbitratur auctor. Arborem cognitionis boni malique ita explicat. Homini officia iuncta erant, animali nulla. Illi arboris fructu vesci vetitum erat, huic licitum. Sequitur tamen animalis exemplum homo; itaque primum errare, et peruerse imitari didicit. Serpens animal erat ad hominem seducendum aptissimum; promittit vero sapientiam Elohim, quia hae creaturae habebantur superioris ordinis, quae in secreta naturae feliciter penetrabant. Cherubim cl. HERDERO non equi tonantes sunt, sed aliquid ex variis animalibus, inter quae tamen nulli equi, compositum. Hoc ab Ezech. XXVIII, 14. in Eden, in monte sancto collocatur, inter igneos lapides ambulans. Atque hinc recentiores figmenta sua de draconibus, gryphibus aliisque thesaurorum custodibus sumsisse videntur. Dial. VII. locum infernum, Scheol, viuidis coloribus depingit. Iustorum animae ab orco redimuntur Ps. XLIX, 16. XVI, 10. Dial. VIII. ostendit, qualem sibi formauerint Poetae Hebraici notionem de prouidentia diuina ex antiquis

tradi-

traditionibus desumtam. Hinc agitur de homicidio Abelis, diluuio, aliisque euentibus, memoriae posterorum proditis. Historia de iride, finito diluuio a Deo hominibusque hilariter conspecta, ad septentrionales aliasque nationes transiit. Quae de turre Babylonica narrantur, in contumeliam conditorum eius dicta esse putat HERDERVS, et cum Ps. II. confert. Dial. IX. Iudaicam nationem a vitiis vindicat ingenii illiberalis et inhumani, quod carminibus fingendis minime aptum est. Patriarcharum igitur characteres et res gestas defendit, et poeseos Hebraicae proprium esse probat, quod Deum introducat hominibus perquam familiariter vtentem, et Palaestinam quauis data occasione impense laudet. Dial. X. in originem linguae Hebraicae, quam Phoeniciam negat auctor, sed tribus Eberi propriam contendit, inquirit. Illustrat simul Gen. X. quod non pro mappa geographica Mosis habet, sed catalogo tribuum posterorumque, huc illuc migrantium, cui serioribus temporibus glossae accessere. Finitis his dialogis ipsum opus a Mose exorditur, cuius et res gestae et merita de Poesi Hebraica magna cum vbertate et facundia enumerantur. Poesin autem gentis suae Moses optime demeruit, quod et res eius gestae copiosissimam carmina

scri-

scribendi materiam suppeditarunt, et ipse carmina condidit et alios excitauit, Prophetas scilicet, qui eum sequerentur et imitarentur. Elegantem hunc HERDERI librum vt omnes et antiquitatum et Bibliorum amantes assidue legant et manibus terant, cum maxime optamus; iuniores vero, qui theologicis studiis operam nauant, grauioribus argumentis ad eius lectionem excitari non possunt, quam his ab HERDERO ipso in praefatione prolatis: „Fundamentum theologiae Biblia sunt, Nouique Testamenti fundamentum vetus est. Neque fieri potest, vt illud intelligamus, nisi hoc cognitum habemus. Christiana enim religio ex Iudaica exorta est; indolesque linguae in vtroque libro eadem. Indoles linguae optime ex poeticis libris hac conscriptis eruitur. Errant, imponuntque iunioribus Theologis, qui N. T. excluso veteri praedicant. Absque hoc ne illud quidem eruditum in modum intelligi potest.„

---

*Helvetiens berühmte Männer in Bildnissen;* i. e. Pinacotheca Heluetica; concinnata ab HENR. PFEFFINGER, pictore. Adiecit commentarios biographicos LEONH. MEISTER. *Vol. I.* Turic. et *Vol. II.*

terthur. in commiss. ap. Füssli. 1782. 8. 284 pagg.

Magnum profecto et omni laude, plausu, imitatione dignum conamen. Solus enim PFEFFINGER, vir in arte sua dexterrimus, ausus est, ad fumosas maiorum imagines vel ad viua exempla exprimere magna Heluetorum ora, qui toga sagoue clari aliquot abhinc seculis patriae famam et decus conseruarunt, remque ita perfecit, vt, qui talia artis documenta penitius norunt, non possint non boni viri operam magni aestimare, vnde vel in ipsam rem literariam haud leue commodum redundare debeat. Vt enim MEISTERVS, vir cl., vitam cuiusque caelo expressi viri breuiter adumbrauit, ita voluptate maxima perfunditur animus, cum coram intueri licet, qui seculis tribus meritorum et praeclare factorum gloria, patriae amore, literarum studio ceteris longissime antecelluerunt, famamque nominis cum posteritate adaequarunt. Vellemus tamen, cl. MEISTERVM in conscribenda auctorum vita minus parcum et tenacem fuisse; quippe talium cupediarum amantes saepius plura iam cognita habebant, antequam ad lectionem libelli accederent, neque, cum desit praefatio, tantae breuitatis rationem reddere possumus. Continentur hoc volumine

mine vitae ac imagines XXX virorum clarissimorum, quos si nominari audias, hoc artificis honore dignissimos facile reputabis. Sunt enim ordine, quem scriptor secutus est: *Vlr. Zwinglius. Ioach. von Watt, Io. Holbein, Io. Oporinus, Conr. Geßnerus, Lud. Pfyffer, Franc. Le Fort, Sam. Werenfels, Io. Bernoulli, Io. Alph. Turretinus, Io. Iac. Scheuchzer, Io. Car. Hettlinger, Henr. Bullinger, Io. Fr. Osterwald, Io. Iac. Bodmer, Io. Iac. Breitinger, Io. Casp. Füßli, Alb. ab Haller, Io. Geßner, Io. Iac. Rousseau, Lud. Pfyffer, Io. Geo. Sulzer, Car. Bonnet, Io. Casp. Hirzel, Io. Geo. Zimmermann, Isaac Iselin, Necker, Sal. Geßner, Io. Casp. Lauater* et *Iac. Heß.* Post tam praeclarum immensi operis initium quis est, qui secundum volumen non auide desideret?

---

*Erklärung des drei und funfzigsten Kap. Iesaiae etc.* h. e. Iesaiae caput LIII. explicauit M. IO. DAV. RIEPKE, Diac. Schleusingensis. Schleusing. ap. Guntherum. 1781. 8. XII pl.

Sibi nec datum esse, nec propositum, vt *noui quidquam* audeat, scriptor hic non tam modeste, quam audacter, ac quasi nulla amplius

noua luce indigeamus in sacris literis explicandis, profitetur. Et nos, perlecto libello, contestamur, nihil hic deprehendi, nisi quod centies dictum et repetitum sit. E POLI synopsi, CALOVII bibliis illustratis, et eius generis libris omnia hausit interpretationis suae subsidia; ipse angustam domi rem habet. Recentiores interpretes vel ignorare vel contemnere temerario fastu videtur; ne DATHIVM quidem et DOEDERLINVM in vsum suum vocauit. Fusior est in demonstranda *vicaria satisfactione Christi*, quam in expediendo rite et grammatice loco isto, quem sibi sumserat. *Analogiam fidei* vbique ipsum ob oculos habuisse, quod multis gloriatur, nemo negauerit. Socinianos, antiquiores et recentiores, quo nomine per totum libellum omnes designauit, qui cum ipso non consentiunt in omnibus, bene depexos rediddisse sibi videtur. Sed permolesta est arrogantia, garrulitas et impotens sine viribus iracundia, qua homo noster hanc declamatiunculam suam conscripsit, ac desperandum, melioris frugis quidquam prouenturum vmquam esse ab illo, qui tantopere sibi placet in suis laciniis.

---

Archiv

*Archiv Magdeburgischer Rechte;* h. e. Promtuarium iuris Magdeburgici, edidit HENR. FRID. DIEZ. *Vol. I.* 1 Alph. 7 pl. octon. Magdeburgi 1781. sumtibus editoris.

Cum iurium Germaniae prouincialium et statutariorum nec plenam notitiam habeamus, nec iustam eorum compilationem; consultissimus auctor, nonnullorum exemplo, qui indicem eorum dederunt, excitatus, Ducatus Magdeburgici leges, ac potissimum vrbis Magdeburgi statutorum historiam ac fata, opportune exhibet et recenset. Occasionem ei dedit mandatum Regis Borussiae d. XIV Aprilis 1780. quo cuiuslibet prouinciae, quae imperio eius subiectae sunt, iura, statuta et consuetudines in vnum corpus colligi iubentur. In hac prima parte A. historiam rei iudiciariae in Ducatu Magdeburgico tradidit. Nobis res notatu dignissimas ex hac prima parte iam proferre liceat.

Magdeburgum, hodie florentissima vrbs, vicus tempore Caroli M. iam fuit, vbi iam A. 805. commercia floruerunt, vt ex capitularibus Regum Francorum apud BALVZIVM T. I. p. 425. videre licet, vbi inter emporia celebrantur *Bardenwich, Schesla, Magadaburch, Erpesfurt, Forachim, Bremberg* et *Ragins-*

 *burg,*

*burg*, et quamuis A. 932. ab Hunnis vicus iste deuastatus fuerit, tamen A. 940. Otto I. Imperator eum restaurauit, ac moenibus non solum cinxit, sed etiam ibi A. 965. Archiepiscopatum fundauit, et A. 966. Adelbertum, antea monachum, primum Archiepiscopum constituit, quem Iohannes XI. P. R. in concilio Rauennae A. 970. habito confirmauit, simulque honore primatus, seu inspectione in omnes Germaniae Archiepiscopos nouum Archiepiscopatum Magdeburgicum ornauit, quo post reformationem Archiepiscopatus Salisburgensis iam gaudet. Carolus M. Saxonibus iuribus suis patriis vti permisit, quae Otto M. emendauit. Postea inclaruerunt iudicia Magdeburgense et Halense, quorum Scabini non solum ius dixerunt et reddiderunt auctoritate Burggrauiorum Magdeburgensium, verum etiam aliis interrogantibus de iure responderunt, atque hoc modo tantam sibi conciliarunt auctoritatem, vt exteri quoque, Poloni, Bohemi, Silesii, Lusati, horum iudiciorum responsa peterent, et normam haberent litium finiendarum, ita, vt Magdeburgum solum natale iuris antiqui Saxonici iure meritoque appellari possit. Seculo XII exeunte ius Iustinianeum et initio seculi XIII ius pontificium in Ducatu Magdeburgico innotuit; vtriusque receptionem

nem vero defectus legum promouit. Scabini Magdeburgici vlterius adhuc progressi sunt, et cum circa annum 1293. Archiepiscopus Ericus iura Burggrauiorum sibi acquireret, ciuitas autem Magdeburg. etiam nonnulla iura Burggrauii in constitutione Scultesii et Scabinorum ad se trahere studeret, aliud iudicium formare coeperunt, atque auctoritatem, quam hactenus nacti fuerant, in dies adauxerunt, adeo, vt iura huius Scabinatus Magdeburgici tandem circa annum 1394. vel 1400. vt Auctor consult. coniicit, priuata quoque industria sub nomine *iuris Weichbildici* collecta fuerint. Quae vero in hac collectione vituperari merentur, Auctor consult. optime annotauit. Cum vero postea maxima iurium confusio orta esset; saepius de iuribus prouincialibus colligendis atque in ordinem redigendis agitatum fuit, quae tamen res ob lites de coimperio inter Archiepiscopum et Capitulum ortas felici euentu caruit. Interea d. 15 Februarii A. 1555. imperante Sigismundo, Archiepiscopo, ordinatio iudicialis, quae antea perfici non potuit, publicata fuit. Pendente autem tempore, quo Ducatus Magdeburgicus sub Suecorum imperio fuit, ordinatio cancellaria prodiit, quam postea noua ordinatio processus iudiciarii sequebatur; vtraque vero nomi-

ne Axelii ab Oxenstiern, Regni Sueciae Senatoris et Cancellarii, d. 24 Aprilis 1634. promulgata fuit. Tandem A. 1652. sub Augusto, Duce et Archiepiscopatus Magdeburgici administratore, ordinatio politica, destituto iure Saxonico omni auctoritate, adornata fuit, ac deinde omnes constitutiones huius Ducatus duplici collectione compilatae sunt, quarum altera omnia edicta et leges, quae supra laudatum Principem auctorem agnoscunt, complectitur, Lipsiae 1673. prodiit; altera vero Sanctiones Brandenburgicas continet, atque ad A. 1717. pertingit. Cum vero post obitum Augusti Administratoris d. 4. Iunii 1680. Ducatus Magdeburgicus ad domum Brandenburgicam transiret; petitione statuum prouincialium d. 15. Martii 1685. noua ordinatio processus iudiciarii euulgata est, quae d. 16 Maii 1696. emendatior sub titulo: *verbesserte Proceß-Ordnung* prodiit. A. 1713. in terris Brandenburgicis noua reuisio ac emendatio ordinationum cuiuslibet prouinciae instituta, simulque de corpore iuris prouincialis Brandenburgici concinnando deliberatum fuit; quod tamen perfici non potuit. Interea A. 1737. et 1738. de litibus praecidendis et tollendis abusibus, qui procrastinationem litium promouerent, variae promulgatae sunt sanctiones, immo d.

3.

3. Maii 1739. decretum regium publicatum fuit, quod emendationem ordinis iudiciarii in Ducatu Magdeburgico et Principatu Halberstadiensi pro fine habuit. Variae 1740. sub auspiciis regni Augustissimi ac Potentissimi Regis Borussorum et Electoris Brandenburgici FRIDERICI Maximi de re iudiciaria refingenda editae sunt sanctiones, et A. 1749. norma iuris communis prouincialis in vsum terrarum Borussicarum adornata, atque sub titulo: *Project des corporis iuris Fridericiani,* cuius Pars II. 1751. publici iuris facta est; sed opus hoc neque absolutum neque vim legis obtinuit. Tandem d. 14. Aprilis 1780. regium mandatum exiit de noua processus iudiciarii forma componenda, qua in posterum quaelibet prouincia proprium suum corpus iuris habere, ac deinde corpus iuris vniuersale in vsum terrarum Borussicarum adornari debeat, secundum quod in defectu legum prouincialium lites decidantur, adhibito in subsidium iure naturali et Iustinianeo.

His praemissis sequitur p. 60. breuis historia veteris iuris municipalis Magdeburgici, et priuilegiorum, quibus ab Imperatoribus Lothario III. Friderico I. Ludouico Bauaro, Carolo IV. Sigismundo, Friderico III. Carolo V. Ferdinando I. Maximiliano I. haec vrbs exor-

nata fuit, ac quibus vrbis iura confirmata ſunt. Ad ius municipale Magdeburgenſe recentius pertinent *der Stadt Magdeburg reformirte Willkühr und Statuten* de A. 1626. cui addenda ordinatio rei iudiciariae, *die Gerichtsordnung*, quae cum ſtatutis A. 1662. emendatior prodiit. Sed hodie non amplius obſeruatur, poſtquam d. 18. Maii 1749. a Potentiſſimo Boruſſorum Rege Senatui Magdeburgenſi nouus et accuratior lites decidendi modus praeſcriptus fuit. Quod ad reliqua municipia in Ducatu Magdeburgico ſita attinet, nonnulla quidem propriis ſtatutis inſtructa ſunt; ſed hodie in illis ius commune et leges prouinciales recentiores, potiſſimum vero ordinatio politica vigent, et norma ſunt, ſecundum quam controuerſiae in iudiciis dirimi ſolent. Ex quo etiam magna Gallorum pars religionis cauſa poſt ſublatum edictum Nannetenſe e Gallia extorris Magdeburgi domicilium conſtituit, in gratiam coloniarum Gallicarum d. 29. Februar. 1720. lex publicata fuit, qua ſancitum, vt ſecundum iura conſuetudinaria, quae e patria ſua attulerant, lites eorum deciderentur, his vero deficientibus ius prouinciale obſeruaretur. Aduenae vero e Palatinatu, qui religionis cauſa patrios lares relinquere coacti ſunt, ſecundum leges prouinciales iudicantur,

ita tamen, vt iis ratione ſucceſſionis pacta nuptialia ſecundum mores Palatinos ineundi libertas data fuerit. Tandem Auctor conſultiſſimus de iudiciis Magdeburgenſibus nonnulla memoratu digna tradit. Iurisdictionem medio aeuo Burggrauius et Scultetus, qui eius vicarius fuit, cum Scabinis, Senatoribus et tribunis plebis adminiſtrarunt, ita tamen, vt cura rerum, quae ad politiam pertinent, Senatoribus ſeparatim demandata fuerit. Sed hodie alia eſt iurisdictionis vrbanae facies. Siquidem quaedam municipia plane Amtſaſſia ſunt, v. c. Sehuſa: Galli profugi propria ſua iudicia habent, a quibus ad tribunal Gallicum ſuperius, quod Berolini viget, prouocatur. Palatini exſules vi conſtitutionis de 25. Maii 1689. proprium ſuum magiſtratum habent, a quo ad Commiſſarium regium appellationes fiunt. Capitula et monaſteria, quae olim vi vnionis cleri Magdeburgenſis A. 1380. erectae, ſingularem ordinem iudiciarium obſeruarunt, qui A. 1660. emendatus fuit, hodie iurisdictione patrimoniali gaudent. Supremam iurisdictionem per totum Ducatum Magdeburgicum exercet collegium regiminis, quod initio Halae conſtitutum, A. 1714. vero Magdeburgum translocatum fuit. Quaenam res ad illud pertineant, et quaenam perſonae

ei

ei subiectae sint, p. 99. traditur; ab eo vero ad summum regium tribunal, quod Berolini floret, remedium reuisionis interponi potest. Nouam formam autem hoc illustre collegium A. 1748. accepit, ac in duos senatus distributum fuit. — Addidit denique Auctor cap. XLIV. ordinationis politicae Magdeburgensis, quod de successione tam testamentaria quam ab intestato agit, idque annotationibus suis, quibus et variae decisiones selectorum casuum insertae sunt, illustrauit.

---

D. CAROLI GODOFR. HAGEN, *tentamen historiae Lichenum et praesertim Prussicorum, cum iconibus aeri incis. et ad viuum coloratis.* 1782. 8. 9 plagg. Regiomonti sumtu Hartungi.

Cryptogamiae s. cryptostemonum classis plantarum perfectior minusque ambigua in ordines generaque et species dispositio huc vsque desideratur. Quod quidem desiderium leniri, laborque ipse curae plenus ac operae melius succedere nunquam poterit, nisi ordines generaque dictae classis seorsim diligentia omni singulari et egregia botanici complectantur. Rerum enim inuestigandarum latissimus campus, summaque, qua premitur, obserua-

seruationis difficultas, hanc lentam quidem, tutiorem tamen methodum, vt maxime necessariam commendat. Acceptissimus itaque nobis erat de algarum genere, *Lichenibus*, Clar. HAGENII liber, in quo species Lichenum obseruatas exactius in commodum systema dispositas enarrauit, praecipuas botanicorum obseruationes diligenter collegit, propriis experimentis confirmauit vel emendauit, ac praecipue species nouas detegendo historiam naturalem amplificauit. *Sectio prima* de Lichenibus in genere agit. Praemissa recensione librorum de plantis Prussicis §. I. et instituti ratione §. II. et etymologia nominis §. III. circa historiam naturalem Lichenum versatur, ex omnibus, quotquot exstant, de ea scriptis haustam. Algas definire affirmatiue, nec Lichenes cum antecessoribus botanicis conatur ob structurae substantiaeque illorum magnam diuersitatem, §. IV. V. VI. crustam, §. VII. radicem, §. VIII. fructificationem §. IX. demonstrat. An iure plantas lichenibus simillimas saltim ob defectum corpusculorum pro masculis femineisque organis habitorum ab horum familia excluserit LINNAEVS, in suspenso relinquitur. Domicilia §. X. Vigendi tempus. §. XI. Varietates. Aliae earum esse non possunt, nisi quae satis ad con-
spicuam

ſpicuam alicuius ſpeciei ſimilitudinem prope accedunt. Iam leuiſſimae cauſſae lichenum formam externam in aliam mutare poſſunt. Hinc non rarae varietates. §. XII. Familias recenſet §. XIII. in quas lichenum genus ſubdiuiſerunt DILLENIVS, HALLER, SCOPOLI, LINNAEVS, quorum exempla ſequitur, conſtruendo tamen propriam ſubdiuiſionem. Arboribus non detrimento eſſe lichenes, §. XIV. non nutriri a ſuccis arborum praeparatis, ſed aeris humiditate; non eſſe veras paraſiticas plantas; frigus ab arboribus arcere hieme praecipue vigentes et latus arborum ſeptentrionem ſpectans potiſſimum occupantes, hinc arboribus apprime vtiles. Fertilitatem et vegetationem promouent §. XV. Vſum in arte tinctoria, medica, varium §§. XVI. ad XIX. enumerat.

*Sectio ſecunda.* De Lichenibus Pruſſicis. Numerus ante HAGENIVM deſcriptarum ſpecierum 36. et in hoc tentamine 80. absque varietatibus. §. XX. In enumeratione earum §. XXI. praeponit Auctor nomina et characteres LINNAEI, niſi deſunt, quos ſequuntur ſynonyma DILLENII, HALLERI, SCOPOLI al. Species vero nouas propriis nominibus inſignit, earumque characteres conſtruit. Nec omiſſa ſunt nomina pharmaceutica,

centica, et circa locum natale vſumque annotata vtilia. Solum genus Lichenum in ordines ſeu familias decem ſubdiuidit, nimirum ordo I. *Lichenes puluerulenti,* a DILLENIO et LINNAEO adnumerati Byſſis, quibus tamen filamentoſa et fibroſa ſtructura propria eſt, cum e contrario hi lichenes puluerulentae globoſae ſint. Structurae ſimilaris lichenibus reliquis eisque optime reſpondentis, vt puluerulenti hi absque dubio reliquorum lichenum prima ſtamina eſſe videantur, quae in veros lichenes adoleſcant, quum cruſtam exacte referant lichenoſam. Species: 1. Lichen lacteus SCHREBERI, Byſſus lactea *Linn.* 2. L. incanus *Schreb.* Byſſus incanus *Linn.* 3. L. cinereus, Byſſus Saxatilis *Linn.* 4. L. Iolithus *Hagen.* Byſſus Iolithus *Linn.* 5. L. flauus *Schreb.* Byſſus candelaris *Linn.* 6. L. botryoides *Hagen.* Byſſus botryoides *Linn.* 7. L. cinnabarinus *Hagen.* 8. L. *(variegatus,)* puluerulentus, cruſta rubro et albo colore variegata *Hagen.* (noua ſpecies depicta) 9. L. antiquitatis *Schreb.* Byſſus antiquitatis *Linn.* — Ordo II. Lichenes leproſi tuberculati, quorum cruſta habitaculo arctius adhaeret, inſidentque huic corpora plerumque globoſa, aut tubercula. Species: 1. L. ſcriptus *Linn.* 2. geographicus *Linn.* 3. rugoſus *Linn.* 4. L. *(granifor-*

*niformis)* leprosus crusta albescente, granulata, tuberculis atris, *Hagen.* (noua spec. depict.) 5. L. sanguinarius *Linn.* 6. L. (*hemisphaericus*) leprosus, lutescens, tuberculis immersis atris politis *Hagen.* (noua spec.) 7. L. fusco ater *Linn.* 8. L. pertusus *Linn.* Varietas (noua depicta) L. crusta cinerascente scabra, quasi calce obducta, tuberculis perparum eminentibus, numerosis, omnibus minutissime pertusis. *Hagen.* 9. L. calcareus *Linn.* 10. L. rupestris *Scopoli.* 11. L. aeruginosus *Scopoli.* (depict.) 12. L. fagineus *Linn.* c. 3 varietat. *Hagenii.* 13. L. carpinus *Linn.* 14. L. ericetorum *Linn.* — Ordo III. Lichenes leprosi scutellati. Corpuscula supra crustam eleuata sunt rotunda seu oualia, quorum discus in medio depressus, cuius peripheria margine alio colore tincto circumdatur. Species 1. L. candelarius *Linn.* 2. L. tartareus *Linn.* 3. L. (*coerulescens*) crustaceus, ex albido coerulescens, scutellis concoloribus, margine albo. *Hagen.* (noua spec. depicta) 4. L. pallescens *Linn.* 5. L. pallidus *Scopoli.* (depicta.) 6. L. (*minutissimus*) crustaceus flauescens, scutellis vix prominentibus, fuscis, margine albo crassiori cinctis. *Hagen.* (noua depicta sp.) 7. L. subfuscus *Linn.* c. 2 variet. L. rufus et L. luteus *Weis.* 8. L. nigricans *Necker.* — Ordo IV. Lichenes imbri-

imbricati; structura foliacea magis composita et organisata. Species: 1. L. puluerulentus imbricatus *Schreb.* (depict.) 2. L. centrifugus *Linn.* 3. L. laciniatus *Weis.* c. 3 variet. L. saxatilis et arboreus *Weisii*, L. tubulosus *Hagen.* 4. L. omphalodes *Linn.* 5. L. oliuaceus *Linn.* 6. L. pullus *Schreb.* 7. L. parietinus *Linn.* 8. L. physodes *Linn.* 9. stellaris *Linn.* — Ordo V. Lichenes foliacei; ex amplioribus foliis, quae magis vel minus laciniata sunt, componuntur. Species: 1. L. tenellus *Scopoli.* 2. L. ciliaris *Linn.* 3. L. islandicus *Linn.* 4. L. pulmonarius *Linn.* 5. L. furfuraceus *Linn.* 6. L. farinaceus *Linn.* c. 3 variet. 7. L. culicaris *Linn.* c. 3 variet. 8. L. fraxinus *Linn.* 9. L. prunastri *Linn.* — Ordo VI. Lichenes coriacei; foliis latioribus et maioribus, minus et non tam profunde laciniatis, quam praedicti, semper repentibus, terrae radiculis fibrosis adnatis. Species: 1. L. resupinatus *Linn.* 2. L. caninus *Linn.* 3. L. aphtosus *Linn.* 4. L. verrucosus *Weber.* — Ordo VII. Lichenes umbilicati. Nondum copia obseruandi data est. Species: 1. L. deustus *Linn.* — Ordo VIII. Lichenes scyphiferi. Species: 1. L. cornutus *Linn.* c. 7 varietat. 2. L. gracilis *Linn.* 3. L. pyxidatus *Hagen.* c. 2 varietat. 4. L. fimbriatus *Linn.* c. 4 varietat. 5. L. deformis *Linn.*

*niformis)* leprosus crusta albescente, granulata, tuberculis atris, *Hagen.* (noua spec. depict.) 5. L. sanguinarius *Linn.* 6. L. *(haemisphaericus)* leprosus, lutescens, tuberculis immersis atris politis *Hagen.* (noua spec.) 7. L. fusco ater *Linn.* 8. L. pertusus *Linn.* Varietas (noua depicta) L. crusta cinerascente scabra, quasi calce obducta, tuberculis perparum eminentibus, numerosis, omnibus minutissime pertusis. *Hagen.* 9. L. calcareus *Linn.* 10. L. rupestris *Scopoli.* 11. L. aeruginosus *Scopoli.* (depict.) 12. L. fagineus *Linn.* c. 3 varietat. *Hagenii.* 13. L. carpinus *Linn.* 14. L. ericetorum *Linn.* — Ordo III. Lichenes leprosi scutellati. Corpuscula supra crustam eleuata sunt rotunda seu oualia, quorum discus in medio depressus, cuius peripheria margine alio colore tincto circumdatur. Species 1. L. candelarius *Linn.* 2. L. tartareus *Linn.* 3. L. *(coerulescens)* crustaceus, ex albido coerulescens, scutellis concoloribus, margine albo. *Hagen.* (noua spec. depicta) 4. L. pallescens *Linn.* 5. L. pallidus *Scopoli.* (depicta.) 6. L. *(minutissimus)* crustaceus flauescens, scutellis vix prominentibus, fuscis, margine albo crassiori cinctis. *Hagen.* (noua depicta sp.) 7. L. subfuscus *Linn.* c. 2 variet. L. rufus et L. luteus *Weis.* 8. L. nigricans *Necker.* — Ordo IV. Lichenes imbri-

imbricati; structura foliacea magis composita et organisata. Species: 1. L. pulverulentus imbricatus *Schreb.* (depict.) 2. L. centrifugus *Linn.* 3. L. laciniatus *Weis.* c. 3 variet. L. saxatilis et arboreus *Weisii,* L. tubulosus *Hagen.* 4. L. omphalodes *Linn.* 5. L. oliuaceus *Linn.* 6. L. pullus *Schreb.* 7. L. parietinus *Linn.* 8. L. physodes *Linn.* 9. stellaris *Linn.* — Ordo V. Lichenes foliacei; ex amplioribus foliis, quae magis vel minus laciniata sunt, componuntur. Species: 1. L. tenellus *Scopoli.* 2. L. ciliaris *Linn.* 3. L. islandicus *Linn.* 4. L. pulmonarius *Linn.* 5. L. furfuraceus *Linn.* 6. L. farinaceus *Linn.* c. 3 variet. 7. L. culicaris *Linn.* c. 3 variet. 8. L. fraxineus *Linn.* 9. L. prunastri *Linn.* — Ordo VI. Lichenes coriacei; foliis latioribus et maioribus, minus et non tam profunde laciniatis, quam praedicti, semper repentibus, terrae radiculis fibrosis adnatis. Species: 1. L. resupinatus *Linn.* 2. L. caninus *Linn.* 3. L. aphtosus *Linn.* 4. L. verrucosus *Weber.* — Ordo VII. Lichenes umbilicati. Nondum copia obseruandi data est. Species: 1. L. deustus *Linn.* — Ordo VIII. Lichenes scyphiferi. Species: 1. L. cornutus *Linn.* c. 7 varietat. 2. L. gracilis *Linn.* 3. L. pyxidatus *Hagen.* c. 2 varietat. 4. L. fimbriatus *Linn.* c. 4 varietat. 5. L. deformis *Linn.*

 6. L.

6. L. radiatus *Schreber.* 7. L. tuberculatus *Hagen.*, pyxidatus *Linn.* c. 5 varietat. 8. L. cocciferus *Linn.* c. 6 varietat. 9. L. digitatus *Linn.* 10. L. botrytes *Hagen.* (depicta spec.) — Ordo IX. Lichenes fruticulosi, ramoso habitu, hinc fruticulos vel corallia aemulantes, absque scyphis. Species: 1. L. ceratoides *Hagen.* c. 9 varietat. 2. L. vncialis *Linn.* 3. L. subulatus *Linn.* 4. L. furcatus *Hudson.* 5. L. spinosus *Necker.* 6. L. rangiferinus *Linn.* c. 2 varietat. 7. L. paschalis *Linn.* 8. L. fragilis *Linn.* — Ordo X: Lichenes filamentosi; barbas de ramis arborum dependentes ob structuram repraesentant. Species: 1. L. barbatus *Linn.* 2. L. plicatus *Linn.* 3. L. floridus *Linn.* 4. L. hirtus *Linn.* 5. L. chalybeiformis *Linn.* 6. L. iubatus *Linn.* 7. L. articulatus *Linn.* 8. L. radiciformis *Weber.* — Liber sane magnopere commendandus.

***n. 4.

---

*Des P. Labat — Reisen nach Westindien etc.* h. e. peregrinationes in Indiam orientalem, s. insulas in mari Americano sitas; secundum nouissimam editionem Parisiensem translatae, notis et indice auctae a GE. FRID. CAS. SCHAD, cum

cum multis figg. et chartis geograph. Norimbergae ap. Raſpe 1782. 8. pagg. 458.

Erat hoc itinerarium, etſi praeterito ſeculo conſcriptum, non indignum verſione teutonica, praeſertim hac noſtra aetate, qua bellum nauticum hiſce in terris quam crudeliſſime geritur. Quare ſi quis eas rite cognoſcere cupiat, adeat noſtrum auctorem, neque eum lectionis tam gratae poenitebit. In calce ſubiecta eſt *mappa Indiae occidentalis*, quae nouellas publicas lecturis plurimum prodeſſe poterit ad locorum, de quibus ſermo eſt, ſitum perſpiciendum factorumque magnitudinem rite diiudicandam.

---

ANT. MICHELITZ, M. D. Conſil. et Prof. Inſtitut. Prag. — *Scrutinium hypotheſeos ſpirituum animalium.* Pragae ap. Gerle. 1782. 8. pagg. 95.

Ardua profecto et perdifficilis iſta neruorum inueſtigatio eſt, vtrum elaſticitate quadam agant, an ſucco quodam. Poſterius inde ab vetuſtiſſimis temporibus docuerunt et medici, et philoſophi; prius ſtatuunt plurimi recentiorum. Veritas ſine dubio in medio poſita eſt. Quare laudandum cenſemus viri cl. ſtudium, quo hanc grauem quaeſtionem iterum

 ſibi

sibi examinandam sumsit. Res vero omnis eo redit, vt primum potiora, non omnia argumenta, quibus, talem liquorem nerueum dari, comprobari solet, in vnum velut colligat, deinde eam enunciationem precariam non satis conformem sensus motusque phaenomenis esse demonstret. Hinc statuit, copiam sanguinis ad cerebrum delati non docere succi neruei secretionem, neque sanguinis huius diuersam naturam, neque adeo aptum huic secretioni cerebrum esse, neque ferri posse cerebri incrementum, neque valere aliquid analogiam a BOERHAAVIO impensius laudatam, neque probare aliquid neruorum vincula, contra tensionem rigidae fibrae neruis quidem denegandam esse, attamen tremores aliquos pulpae molli dandos, et fallacem esse hanc spirituum animalium hypothesin, magis adoptandam quandam fibrillae nerueae sensibilitatem, ideoque nec electricam quandam indolem suspicandam. Habes ergo, lector, potiora, quae ad infringendam liquidi neruosi praesentiam auctor noster adhibuit. Quam bene atque accurate, viderint alii. Dolendum profecto est, virum cl. praeter BOERHAAVIVM, HALLERVM, MANHERVM, HAMBERGERVM, PROCHASKAM et TORRIVM, adducere

nemi-

neminem, nec vllo loco memorare primarios hac in arena gladiatores, GOELICKIVM et BVRGGRAVIVM, quia inde multum lucis huic disceptationi inferri potuisse videtur. Excitandus ergo etiamnum nouus spirituum animalium inquisitor est, isque nec ab philosophia rudis, sine qua tenebrae nobis circumfusae vix ac ne vix quidem dispelluntur.

---

HENR. AVG. WRISBERGII, Prof. Gott. Experimenta et obseruationes anat. de vtero grauido, tubis, ouariis et corpore luteo quorundam animalium, cum iisdem partibus in homine collatis. Gotting. ap. Dieterich. 1782. 4. pagg. 40.

Redux ab itinere, quod animi relaxandi corporisque firmandi caussa susceperat, Cl. WRISBERG, e re sua esse putauit, libellum mole paruum in vulgus edere, atque viris quibusdam, qui eum non tantum humaniter exceperant, (id enim plures fecerant) sed *lauta coena* exhilararant, puta, WALTERO, IAHN, GERRESHEIM, GEHLERO, LODERO, HVFLAND, BVCHHOLZ, et STOELLERO, *propter innumera in se collata beneuolentiae et amoris testimonia deuota mente consecrare.* Feliciter! Ipse vero libellus dua-

 bus

bus partibus constat, quarum prior a. d. 13. Ian. 1781. posterior a. d. 19. Ian. 1782. in societate Gottingensi recitata est. Multa insunt nota lippis et tonsoribus, quaedam propria vel melius explicata; at etiam vel in ipso limite ingenue profitetur vir cl. nondum dari certam et constantem legem, quam in producenda noua prole natura sequatur. Ait ergo auctor, suilla ouaria scalam inter ouaria animalium ouiparorum et viuiparorum veluti efficere, pulcram ouariorum, tubarum et funiculi vasorum spermaticorum structuram habere, ouaria haec ab humanis, caprillis, equinis differre, vesiculas saepe ad insignem magnitudinem increscere vel indurari, corpora lutea discrepare, scropharum esse nitidissima, aliter comparata esse equina et humana, tubas suillas ceteris longe antistare, alam vespertilionum esse affabre factam, et sub congressu referre ornamentum capitis femineum, quod Carcassen dicunt, dari animalia vtero simplici vel bicorni, cornua pro parte tubarum fallopianarum in maiorem amplitudinem expansarum habenda esse, rarius reperiri vterum humanum bicornem, qualem obseruationem ipse narrat, vterum variis tunicis constare, et ipsam muscularem adesse, quam, etiamsi negante cl. WALTERO, nouis argumentis

corro-

corroborare annifus eft. Quam bene ac vere, ipfe viderit WALTERVS. Certe magnus hic vir amico, qui difputationem quandam LODERI, Prof. Ienenf. ei transmittendam putarat, candide refpondit, *fe in ducentis cadaueribus feminarum grauidarum, parientium et enixarum tales fibras mufculares nunquam reperiffe; hinc nolle fe eas fcite depictas adfpicere.* Vter horum cl. virorum rem acu tetigerit, iam non attinet multis anquirere. Irritabile ac mutabile femper anatomicorum genus eft fcilicet.

---

*Verfuch über die Phyfiocratie;* h. e. De phyfiocratia, eius hiftoria, literatura, ratione et pretio, auctore GE. ANDR. WILL, Prof. Altorf. Accedit libellus celeberrimus Sereniffimi Marchionis Badenfis: *Abrégé des principes de l'Economie Politique.* Norimb. ap. Rafpe. 1782. 8. pagg. 126.

Mirifice adhuc de phyfiocratico fyftemate, quod aiunt, difceptatum eft inter rei peritos et imperitos. Laudatur ab his, culpatur ab illis, et, vt in re ardua, atque futili fieri folet, faepe ex ira, ambitione, partium ftudio vel infcitia. Scribebantur multi libelli huc fpe-

ctantes; at nemo erat, qui *literaturam physiocratiae* ſcriberet. Ecce ergo peropportune Cl. WILLIVM, qui primordia duxit, et praelectiones hanc in artem nouam habuit! Cuius libellus etſi perfectus non eſt, et hinc inde quaedam lacuna, laudanda tamen et voluntas eſt, et libertas ſentiendi, qua hoc ſyſtema ἀδύνατον et in Germania nequaquam introducendum publice profitetur. Ordo, quem vir cl. ſequitur, ita ſe habet. Praeuia *physiocratiae notione*, adumbratur eius *hiſtoria et literatura*, adſeruntúrque auctores, vna cum librorum enumeratione, Quo pertinent, praeter inuentorem FRANC. QVESNAY, medicum regis, TVRGOT, LE TROSNE, LA MERCIER DE LA RIVIERE, MIRABEAV, DU PONT, CONDILLAC in Gallia; ISELIN, SCHLETTWEIN, SPRINGER, MAUVILLON, WEKHRLIN, FÜRSTENAV et WICHMAN in Germania, protectore Marchione Badenſi, CAROLO FRIDERICO; non deficientibus, vt in re noua ſolet accidere, aduerſariis. Sequitur idonea *huius ſyſtematis adumbratio*, et *aeſtimatio*, vera quidem illa, at vero amicis peringrata. Finit opuſculum praeclara *Marchionis Badenſis ſciographin*, quam velim adequat, quorum intereſt, plane perſpicere,

quo

quo demum omnis res, de qua litigatur, redeat.

---

*Ueber die Strafen der Verdammten und deren Dauer;* h. e. De poenis damnatorum, ac duratione illarum. Lipſ. ap. Cruſium 1782. pagg. 102. oct.

Fatetur auctor, magni ſibi ponderis videri dubia iſta philoſophica, quibus *aeterna duratio* poenarum infernalium ſollicitatur, nec tamen ſcire ſe, quomodo illa cum apertis librorum ſacrorum effatis conciliari poſſint. Verum nec dubia iſta, nec effata haec diligenter ſatis aeſtimauit, neque adeo totius quaeſtionis momenta ab vtraque parte rite expoſuit. Interim eo ſuam ſententiam inclinare narrat: homines malos in vita futura malignitatis ſuae poenas daturos eſſe, non tamen ſic, vt miſeria illorum vel *extenſiue* vel *intenſiue* infinita ſit, nec vero ſic, vt aliquando ab omnibus poenis liberentur, vel in eum ſtatum perueniant, quo infecta videantur eſſe malefacta illorum; ſed infelicitatem eorum vere aeternam eſſe futuram eo, quod ratione perfectionis ſuae et facultatis ſentiendi gaudia caeleſtia longis interuallis relinquendi ſint ab hominibus illis, qui in hac vita recto animo

ſpicuam alicuius ſpeciei ſimilitudinem prope accedunt. Iam leuiſſimae cauſſae lichenum formam externam in aliam mutare poſſunt. Hinc non rarae varietates. §. XII. Familias recenſet §. XIII. in quas lichenum genus ſubdiuiſerunt DILLENIVS, HALLER, SCOPOLI, LINNAEVS, quorum exempla ſequitur, conſtruendo tamen propriam ſubdiuiſionem. Arboribus non detrimento eſſe lichenes, §. XIV. non nutriri a ſuccis arborum praeparatis, ſed aeris humiditate; non eſſe veras paraſiticas plantas; frigus ab arboribus arcere hieme praecipue vigentes et latus arborum ſeptentrionem ſpectans potiſſimum occupantes, hinc arboribus apprime vtiles. Fertilitatem et vegetationem promouent §. XV. Vſum in arte tinctoria, medica, varium §§. XVI. ad XIX. enumerat.

*Sectio ſecunda.* De Lichenibus Pruſſicis. Numerus ante HAGENIVM deſcriptarum ſpecierum 36. et in hoc tentamine 80. absque varietatibus. §. XX. In enumeratione earum §. XXI. praeponit Auctor nomina et characteres LINNAEI, niſi deſunt, quos ſequuntur ſynonyma DILLENII, HALLERI, SCOPOLI al. Species vero nouas propriis nominibus inſignit, earumque characteres conſtruit. Nec omiſſa ſunt nomina pharmaceutica,

ceutica, et circa locum natale vſumque annotata vtilia. Solum genus Lichenum in ordines ſeu familias decem ſubdiuidit, nimirum ordo I. *Lichenes puluerulenti,* a DILLENIO et LINNAEO adnumerati Byſſis, quibus tamen filamentoſa et fibroſa ſtructura propria eſt, cum e contrario hi lichenes puluerulentae globoſae ſint. Structurae ſimilaris lichenibus reliquis eisque optime reſpondentis, vt puluerulenti hi absque dubio reliquorum lichenum prima ſtamina eſſe videantur, quae in veros lichenes adoleſcant, quum cruſtam exacte referant lichenoſam. Species: 1. Lichen lacteus SCHREBERI, Byſſus lactea *Linn.* 2. L. incanus *Schreb.* Byſſus incanus *Linn.* 3. L. cinereus, Byſſus Saxatilis *Linn.* 4. L. Iolithus *Hagen.* Byſſus Iolithus *Linn.* 5. L. flauus *Schreb.* Byſſus candelaris *Linn.* 6. L. botryoides *Hagen.* Byſſus botryoides *Linn.* 7. L. cinnabarinus *Hagen.* 8. L. *(variegatus,)* puluerulentus, cruſta rubro et albo colore variegata *Hagen.* (noua ſpecies depicta) 9. L. antiquitatis *Schreb.* Byſſus antiquitatis *Linn.* — Ordo II. Lichenes leproſi tuberculati, quorum cruſta habitaculo arctius adhaeret, inſidentque huic corpora plerumque globoſa, aut tubercula. Species: 1. L. ſcriptus *Linn.* 2. geographicus *Linn.* 3. rugoſus *Linn.* 4. L. *(granifor-*

*niformis)* leprosus crusta albescente, granulata, tuberculis atris, *Hagen.* (noua spec. depict.) 5. L. sanguinarius *Linn.* 6. L. *(haemisphaericus)* leprosus, lutescens, tuberculis immersis atris politis *Hagen.* (noua spec.) 7. L. fusco ater *Linn.* 8. L. pertusus *Linn.* Varietas (noua depicta) L. crusta cinerascente scabra, quasi calce obducta, tuberculis perparum eminentibus, numerosis, omnibus minutissime pertusis. *Hagen.* 9. L. calcareus *Linn.* 10. L. rupestris *Scopoli.* 11. L. aeruginosus *Scopoli.* (depict.) 12. L. fagineus *Linn.* c. 3 varietat. *Hagenii.* 13. L. carpinus *Linn.* 14. L. ericetorum *Linn.* — Ordo III. Lichenes leprosi scutellati. Corpuscula supra crustam eleuata sunt rotunda seu oualia, quorum discus in medio depressus, cuius peripheria margine alio colore tincto circumdatur. Species 1. L. candelarius *Linn.* 2. L. tartareus *Linn.* 3. L. *(coerulescens)* crustaceus, ex albido coerulescens, scutellis concoloribus, margine albo. *Hagen.* (noua spec. depicta) 4. L. pallescens *Linn.* 5. L. pallidus *Scopoli.* (depicta.) 6. L. *(minutissimus)* crustaceus flauescens, scutellis vix prominentibus, fuscis, margine albo crassiori cinctis. *Hagen.* (noua depicta sp.) 7. L. subfuscus *Linn.* c. 2 variet. L. rufus et L. luteus *Weis.* 8. L. nigricans *Necker.* — Ordo IV. Lichenes imbri-

imbricati; structura foliacea magis composita et organisata. Species: 1. L. puluerulentus imbricatus *Schreb.* (depict.) 2. L. centrifugus *Linn.* 3. L. laciniatus *Weis.* c. 3 variet. L. saxatilis et arboreus *Weisii*, L. tubulosus *Hagen.* 4. L. omphalodes *Linn.* 5. L. oliuaceus *Linn.* 6. L. pullus *Schreb.* 7. L. parietinus *Linn.* 8. L. physodes *Linn.* 9. stellaris *Linn.* — Ordo V. Lichenes foliacei; ex amplioribus foliis, quae magis vel minus laciniata sunt, componuntur. Species: 1. L. tenellus *Scopoli.* 2. L. ciliaris *Linn.* 3. L. islandicus *Linn.* 4. L. pulmonarius *Linn.* 5. L. furfuraceus *Linn.* 6. L. farinaceus *Linn.* c. 3 variet. 7. L. culicaris *Linn.* c. 3 variet. 8 L. fraxinus *Linn.* 9. L. prunastri *Linn.* — Ordo VI. Lichenes coriacei; foliis latioribus et maioribus, minus et non tam profunde laciniatis, quam praedicti, semper repentibus, terrae radiculis fibrosis adnatis. Species: 1. L. resupinatus *Linn.* 2. L. caninus *Linn.* 3. L. aphtosus *Linn.* 4. L. verrucosus *Weber.* — Ordo VII. Lichenes umbilicati. Nondum copia obseruandi data est. Species: 1. L. deustus *Linn.* — Ordo VIII. Lichenes scyphiferi. Species: 1. L. cornutus *Linn.* c. 7 varietat. 2. L. gracilis *Linn.* 3. L. pyxidatus *Hagen.* c. 2 varietat. 4. L. fimbriatus *Linn.* c. 4 varietat. 5. L. deformis *Linn.*

6. L. radiatus *Schreber.* 7. L. tuberculatus *Hagen.*, pyxidatus *Linn.* c. 5 varietat. 8. L. cocciferus *Linn.* c. 6 varietat. 9. L. digitatus *Linn.* 10. L. botrytes *Hagen.* (depicta spec.) — Ordo IX. Lichenes fruticulosi, ramoso habitu, hinc fruticulos vel corallia aemulantes, absque scyphis. Species: 1. L. ceratoides *Hagen.* c. 9 varietat. 2. L. vncialis *Linn.* 3. L. subulatus *Linn.* 4. L. furcatus *Hudson.* 5. L. spinosus *Necker.* 6. L. rangiferinus *Linn.* c. 2 varietat. 7. L. paschalis *Linn.* 8. L. fragilis *Linn.* — Ordo X. Lichenes filamentosi; barbas de ramis arborum dependentes ob structuram repraesentant. Species: 1. L. barbatus *Linn.* 2. L. plicatus *Linn.* 3. L. floridus *Linn.* 4. L. hirtus *Linn.* 5. L. chalybeiformis *Linn.* 6. L. iubatus *Linn.* 7. L. articulatus *Linn.* 8. L. radiciformis *Weber.* — Liber sane magnopere commendandus.

***n. 4.

---

*Des P. Labat — Reisen nach Westindien etc.* h. e. peregrinationes in Indiam orientalem, s. insulas in mari Americano sitas; secundum nouissimam editionem Parisiensem translatae, notis et indice auctae a GE. FRID. CAS. SCHAD, cum

cum multis figg. et chartis geograph. Norimbergae ap. Raſpe 1782. 8. pagg. 458.

Erat hoc itinerarium, etſi praeterito ſeculo conſcriptum, non indignum verſione teutonica, praeſertim hac noſtra aetate, qua bellum nauticum hiſce in terris quam crudeliſſime geritur. Quare ſi quis eas rite cognoſcere cupiat, adeat noſtrum auctorem, neque eum lectionis tam gratae poenitebit. In calce ſubiecta eſt *mappa Indiae occidentalis*, quae nouellas publicas lecturis plurimum prodeſſe poterit ad locorum, de quibus ſermo eſt, ſitum perſpiciendum factorumque magnitudinem rite diiudicandam.

---

ANT. MICHELITZ, M. D. Conſil. et Prof. Inſtitut. Prag. — *Scrutinium hypotheſeos ſpirituum animalium.* Pragae ap. Gerle. 1782. 8. pagg. 95.

Ardua profecto et perdifficilis iſta neruorum inueſtigatio eſt, vtrum elaſticitate quadam agant, an ſucco quodam. Poſterius inde ab vetuſtiſſimis temporibus docuerunt et medici, et philoſophi; prius ſtatuunt plurimi recentiorum. Veritas ſine dubio in medio poſita eſt. Quare laudandum cenſemus viri cl. ſtudium, quo hanc grauem quaeſtionem iterum

ſibi examinandam ſumſit. Res vero omnis eo redit, vt primum potiora, non omnia argumenta, quibus, talem liquorem nerueum dari, comprobari ſolet, in vnum velut colligat, deinde eam enunciationem precariam non ſatis conformem ſenſus motusque phaenomenis eſſe demonſtret. Hinc ſtatuit, copiam ſanguinis ad cerebrum delati non docere ſucci neruei ſecretionem, neque ſanguinis huius diuerſam naturam, neque adeo aptum huic ſecretioni cerebrum eſſe, neque ferri poſſe cerebri incrementum, neque valere aliquid analogiam a BOERHAAVIO impenſius laudatam, neque probare aliquid neruorum vincula, contra tenſionem rigidae fibrae neruis quidem denegandam eſſe, attamen tremores aliquos pulpae molli dandos, et fallacem eſſe hanc ſpirituum animalium hypotheſin, magis adoptandam quandam fibrillae nerueae ſenſibilitatem, ideoque nec electricam quandam indolem ſuſpicandam. Habes ergo, lector, potiora, quae ad infringendam liquidi neruoſi praeſentiam auctor noſter adhibuit. Quam bene atque accurate, viderint alii. Dolendum profecto eſt, virum cl. praeter BOERHAAVIVM, HALLERVM, MANHERVM, HAMBERGERVM, PROCHASKAM et TORRIVM, adducere

nemi-

neminem, nec vllo loco memorare primarios hac in arena gladiatores, GOBLICKIVM et BVRGGRAVIVM, quia inde multum lucis huic disceptationi inferri potuisse videtur. Excitandus ergo etiamnum nouus spirituum animalium inquisitor est, isque nec ab philosophia rudis, sine qua tenebrae nobis circumfusae vix ac ne vix quidem dispelluntur.

---

HENR. AVG. WRISBERGII, Prof. Gott. Experimenta et obseruationes anat. de vtero grauido, tubis, ouariis et corpore luteo quorundam animalium, cum iisdem partibus in homine collatis. Gotting. ap. Dieterich. 1782. 4. pagg. 40.

Redux ab itinere, quod animi relaxandi corporisque firmandi caussa susceperat, Cl. WRISBERG, e re sua esse putauit, libellum mole paruum in vulgus edere, atque viris quibusdam, qui eum non tantum humaniter exceperant, (id enim plures fecerant) sed *lauta coena* exhilararant, puta, WALTERO, IAHN, GERRESHEIM, GEHLERO, LODERO, HVFLAND, BVCHHOLZ, et STOELLERO, *propter innumera in se collata beneuolentiae et amoris testimonia deuota mente consecrare.* Feliciter! Ipse vero libellus dua-

 bus

bus partibus conſtat, quarum prior a. d. 13. Ian. 1781. poſterior a. d. 19. Ian. 1782. in ſocietate Gottingenſi recitata eſt. Multa inſunt nota lippis et tonſoribus, quaedam propria vel melius explicata; at etiam vel in ipſo limite ingenue profitetur vir cl. nondum dari certam et conſtantem legem, quam in producenda noua prole natura ſequatur. Ait ergo auctor, ſuilla ouaria ſcalam inter ouaria animalium ouiparorum et viuiparorum veluti efficere, pulcram ouariorum, tubarum et funiculi vaſorum ſpermaticorum ſtructuram habere, ouaria haec ab humanis, caprillis, equinis differre, veſiculas ſaepe ad inſignem magnitudinem increſcere vel indurari, corpora lutea diſcrepare, ſcropharum eſſe nitidiſſima, aliter comparata eſſe equina et humana, tubas ſuillas ceteris longe antiſtare, alam veſpertilionum eſſe affabre factam, et ſub congreſſu referre ornamentum capitis femineum, quod Carcaſſen dicunt, dari animalia vtero ſimplici vel bicorni, cornua pro parte tubarum fallopianarum in maiorem amplitudinem expanſarum habenda eſſe, rarius reperiri vterum humanum bicornem, qualem obſeruationem ipſe narrat, vterum variis tunicis conſtare, et ipſam muſcularem adeſſe, quam, etiamſi negante cl. WALTERO, nouis argumentis

corro-

corroborare annisus est. Quam bene ac vere, ipse viderit WALTERVS. Certe magnus hic vir amico, qui disputationem quandam LODERI, Prof. Ienens. ei transmittendam putarat, candide respondit, *se in ducentis cadaueribus feminarum grauidarum, parientium et enixarum tales fibras musculares nunquam reperisse; hinc nolle se eas scite depictas adspicere.* Vter horum cl. virorum rem acu tetigerit, iam non attinet multis anquirere. Irritabile ac mutabile semper anatomicorum genus est scilicet.

---

*Versuch über die Physiocratie;* h. e. De physiocratia, eius historia, literatura, ratione et pretio, auctore GE. ANDR. WILL, Prof. Altorf. Accedit libellus celeberrimus Serenissimi Marchionis Badensis: *Abrégé des principes de l'Economie Politique.* Norimb. ap. Raspe. 1782. 8. pagg. 126.

Mirifice adhuc de physiocratico systemate, quod aiunt, disceptatum est inter rei peritos et imperitos. Laudatur ab his, culpatur ab illis, et, vt in re ardua, atque futili fieri solet, saepe ex ira, ambitione, partium studio vel inscitia. Scribebantur multi libelli huc spectantes,

ctantes; at nemo erat, qui *literaturam physiocratiae* scriberet. Ecce ergo peropportune Cl. WILLIVM, qui primordia duxit, et praelectiones hanc in artem nouam habuit! Cuius libellus etsi perfectus non est, et hinc inde quaedam lacuna, laudanda tamen et voluntas est, et libertas sentiendi, qua hoc systema ἀδύνατον et in Germania nequaquam introducendum publice profitetur. Ordo, quem vir cl. sequitur, ita se habet. Praeuia *physiocratiae notione*, adumbratur eius *historia et literatura*, adferunturque auctores, vna cum librorum enumeratione, Quo pertinent, praeter inuentorem FRANC. QVESNAY, medicum regis, TVRGOT, LE TROSNE, LA MERCIER DE LA RIVIERE, MIRABEAU, DU PONT, CONDILLAC in Gallia; ISELIN, SCHLETTWEIN, SPRINGER, MAUVILLON, WEKHRLIN, FÜRSTENAV et WICHMAN in Germania, protectore Marchione Badensi, CAROLO FRIDERICO; non deficientibus, vt in re noua solet accidere, aduersariis. Sequitur idonea *huius systematis adumbratio*, et *aestimatio*, vera quidem illa, at vero amicis peringrata. Finit opusculum praeclara *Marchionis Badensis sciagraphia*, quam velim adeant, quorum interest, plane perspicere, quo

quo demum omnis res, de qua litigatur, redeat.

---

*Ueber die Strafen der Verdammten und deren Dauer;* h. e. De poenis damnatorum, ac duratione illarum. Lipſ. ap. Cruſium 1782. pagg. 102. oct.

Fatetur auctor, magni ſibi ponderis videri dubia iſta philoſophica, quibus *aeterna duratio* poenarum infernalium ſollicitatur, nec tamen ſcire ſe, quomodo illa cum apertis librorum ſacrorum effatis conciliari poſſint. Verum nec dubia iſta, nec effata haec diligenter ſatis aeſtimauit, neque adeo totius quaeſtionis momenta ab vtraque parte rite expoſuit. Interim eo ſuam ſententiam inclinare narrat; homines malos in vita futura malignitatis ſuae poenas daturos eſſe, non tamen ſic, vt miſeria illorum vel *extenſiue* vel *intenſiue* infinita ſit, nec vero ſic, vt aliquando ab omnibus poenis liberentur, vel in eum ſtatum perueniant, quo infecta videantur eſſe malefacta illorum; ſed infelicitatem eorum vere aeternam eſſe futuram eo, quod ratione perfectionis ſuae et facultatis ſentiendi gaudia caeleſtia longis interuallis relinquendi ſint ab hominibus illis, qui in hac vita recto animo

 recte-

recteque factis ad felicitatem futuram contendissent, et quod per multorum seculorum seriem demum animi corruptissimi sordes abiecturi, atque ad eam conditionem tardiori processu emersuri, qua compotes fiant felicitatis alicuius, vitamque igitur in sempiternum, pro ratione improbitatis suae, miserrimam acturi sint, si status ipsorum comparetur cum statu piorum, quippe qui citatissimo gressu ad altiores gradus perfectionis ac beatitatis eniti possint. Satis facunde auctor hanc suam sententiam exposuit et exornauit; modo et profundius veritatem eius inuestigasset et solidius demonstrasset, vindicassetque aduersus illos, qui forte existimauerint *felicitatem gradu minorem*, quamquam aeternam, nondum appellandam esse *miseriam aeternam*, aut qui negauerint, huic poenarum infernalium notioni conuenire illam, quam auctor in sacris libris reperiri fatetur. Ceterum poterat auctor spem suam de futura damnatorum ad meliorem frugem sensim redeundi facultate cum colore quodam efferre, ipsoque consensu S. S. corroborare, si prouocasset ad parabolam istam de diuite helluone, inter cruciatus tartari vehementissimos de salute quinque fratrum suorum curioso, et cum aegritudine quadam humana, cuius in hac vita plane expers

pers fuerat, follicito. — Quod autem huncce modum conciliandi repugnantiam (fi qua eft omnino) oraculorum diuinorum cum rationis affertis, plane nouum et a fe inuentum putat, egregie fallitur. Et facile poterat, etiamfi nefciiffet, fufpicari certe, fore, vt in hanc nodi iftius foluendi rationem alii iam inciderint. Re vera enim illorum plerique, qui docuerunt futuras poenas non duraturas effe perpetuo, eodem modo prouide circumfepferunt fuam fententiam. Ita LEIBNITIVS, et in primis EBERHARDVS, aliique. Nec poterant fane fentire aliter, quicunque et de Dei iuftitia, et de naturali effectu propenfionum hominis, diuturno vfu corruptarum, cogitarent. Cf. omnino LESSINGII commentatio hac de re fcripta, in *Symbolis ad hift. et lit. e biblioth. Wolfenbutt. thefauris.* P. I. p. 199.

---

THEOPHILI CHRISTOPH. HARLES *Introductio in notitiam literaturae Romanae, in primis fcriptorum Romanorum. Pars II.* Norimbergae in offic. Felfeckeriana 1781. 1 Alph. 9 pl. 8 mai.

Pergratum Romanarum literarum cultoribus facit Auctor Celeb. quod opus inceptum ftrenue continuare et librum perfcribere allaborat,

borat, quo literaturae Romanae opes et copiae exponuntur, et ſcriptorum Latinorum notitia, quae continua ſtudiis eruditorum incrementa capit, poſt ſimiles aliorum labores, egregie amplificatur. Equidem propoſitum Auctori eſt, nouam veluti *Bibliothecam Latinam,* ad exemplar Fabricianae, condere; ſed inſpecto opere apparet, latius eius conſilium patere, et poſtquam prima parte ſcriptores omnes, qui ante eum in ſimili argumento elaborarunt, item collectiones plurium eiusdem generis ſcriptorum Latinorum enarrauit, tum etiam origines linguae et literaturae Romanae expoſuit; ſubiicit commemorationem ſcriptorum Romanorum omnium, quorum vel ipſa monumenta ingenii, vel alia bene merita, a veteribus celebrata, ad noſtram memoriam peruenerunt, ita quidem, vt non ſolum vitas auctorum et libros, eorumque varias editiones enarret, ſed et ingenia eorum, ſtudia et mores depingat, argumenta librorum et conſpicuas in iis animi et ſtili virtutes exponat, denique alios ſcriptores multos percenſeat, qui in aliqua parte vel vitae vel libri auctoris illuſtranda, et antiquitus, et noſtra memoria, elaborarunt. Auctoribus claſſicis, quorum ſcripta hodie verſamus, admiſcentur complures alii, quorum hodie ſcripta nulla, ſed fragmen-

ta tantum, aut sola fama restat. Proinde multo plura hic liber, quam FABRICII *Bibliotheca*, exsequitur, et affirmari potest, quae in similibus libris VOSSII, HANKII, BORRICHII, FABRICII, FVNCCII legantur, hic fere collecta, quoad instituti ratio permisit, et recentioribus eruditorum disquisitionibus multum aucta reperiri. Praecipua libri dos videtur esse in recensione editionum, quae sane, saltem in classicis et praecipuis auctoribus, locupletissima est, vetustiores multas et parum visas, nec FABRICIO memoratas, producit, nobiliorum integros plerumque titulos ponit, virtutes earum et naeuos indicat, multas denique singularium librorum vnius auctoris separatas editiones, quas FABRICIVS parcius attingere solet, curiose recenset. Etiam illud peculiare huic libro est, quod dissertationes et minores libelli, quibus singularia argumenta, ad vitam, ingenium, doctrinam cuiusque auctoris pertinentia, vel etiam loca scriptorum memorabilia exponuntur, quorumque magna vis prodit assidue, loco opportuno diligenter memorantur. In quibus etsi sunt haud raro dissertatiunculae satis exiles, et immatura rudis ingenii tentamina, quibus alias aetatem et diuturnam memoriam vix promiseris; laudanda tamen est tum libe-

ralitas

ralitas Cl. Auctoris, qui nec his inuidere suum locum voluerit, tum in primis sollertia in colligendo, qua praecipuis magnarum bibliothecarum catalogis, diariis, et relationibus eruditorum quam plurimis excussis, tantam nubem editionum, commentariorum, dissertationum et libellorum ad singulos scriptores congessit, vt his in conspectu positis facile intelligi queat, quid in singulis Romanis scriptoribus edendis et illustrandis eruditorum cura ad nostra vsque tempora tentatum praestitumque sit.

Equidem HARLESIVS ita animo conceperat descriptionem sui operis, vt putaret, vniuersam literaturae Romanae historiam commode a se posse duobus voluminibus exponi. Sed cum procedente labore ita succrescere siluam rerum dicendarum sentiret, vt, quae primo alteriue tomo destinata erat materia, neutiquam eorum limitibus concludenda videretur; statuit tertium volumen addere, atque omnia, quae restant, in vnum hoc se coactu rum sperat. Nos vero, neque hoc fieri sine detrimento ipsarum rerum posse, credimus, neque, vt Ill. Auctor tam arctis se finibus constringi patiatur, optamus. Volumen secundum in scriptoribus Rom. enarrandis non vltra saeculum Augusteum procedit, et restant

igitur

igitur a Tiberii imperio ad nouissima latinitatis tempora enarrandi scriptores, qui licet leuiores sint, neque tam ampla descriptione digni, quam illi superiores, numero tamen istos longissime superant, et magnam partem etiam tot eruditorum curis frequentati sunt, vt eorum lustratio minime videatur in vnum volumen posse compingi. Videmur exspectare a sollertia literatissimi A. posse, vt telam inceptam aequali labore pertexat, et vberrimae materiae, plures tomos impleturae, suum locum ne deneget. Quin etiam hoc, licet paullo improbius votum, addimus, vt operam, quam ERNESTVS ad supplementum Bibliothecae Lat. Fabricianae promiserat, sed fato praeuentus destituit, exponendam scilicet historiam latinitatis nouae et ecclesiasticae, sumat, quae e versionibus Sacri Codicis latinis nata, et per Christianos ad gentiles propagata, scriptores a priscis Latinis multum diuersos dedit, et parum adhuc declarata a Philologis est.

Sed redimus ad librum Harlesianum, qui, vbi Pars I. in Cornelio Nepote desierat, reliquos aureae aetatis scriptores persequitur, et a Cicerone incipiens in Caesare Germanico et Vestritio Spurinna desinit. Vbi quidem miramur, Spurinnam additum Caesari Germanico,

manico, qui cum Traiano imperante obierit, tot interiectis nobilibus scriptoribus aetatis argenteae, minime referendus ad aeuum Augusteum erat. Caeterum scriptores, qui eo tractu temporum floruerunt, magna cura et diligentia percensentur, et auctoribus classicis et primariis, quorum scripta hodie leguntur, multi interferuntur alii, quorum monumenta perierunt. Sola de Cicerone eiusque libris narratio paginas 163. implet, illa de Virgilio 64. et sic de Iulio Caesare, Sallustio, Horatio, Liuio, Ouidio diligentissime copiosissimeque agitur. In secundariis scriptoribus vti minore labore perfungi licuit, ita vellemus tamen, quae ad eorum notitiam et scripta cognoscenda pertinent, paullo plenius accuratiusque esse tradita. Valerium Catonem, Iulium Florum, Cassium Parmensem, Alphium Auitum, poetas, L. Aelium Grammaticum, Antistium Labeonem, Ictum Augustei aeui, in serie auctorum plane praeteritos, nec tamen indignos memoria, desideramus. Quorundam scripta omissa, aut minus accurate notata videmus. Sic inter Varronis Atacini scripta, pag. 177. memorata, non apparent eius *libri nauales*, item *de littoralibus, de ora maritima*, et *chorographia*, qui tamen vel praecipui eius librorum sunt, ob quos *velinoli maris vates* dicitur

Ouidio,

Ouidio, quosque Varroni Atacino, non Romano, tribuendos demonstrauit WERNSDORFIVS in Prooemio ad Halieutica, Tomo I. Poet. min. — P. 242. producitur C. Cassius Seuerus, isque Parmensis, et vnus percussorum Caesaris, et versificator fuisse dicitur. In quo, nisi nos omnia fallunt, tres omnino Cassii videntur confundi. Ille quidem Caesaris percussor, qui post aciem Philippensem liberto suo se occidendum praebuit, fuit C. Cassius Longinus. De quo si agere hoc loco, vt par erat, volebat Cl. Auctor, multo plura de eius vita et rebus gestis referri poterant. Sed is neque Parmensis erat, neque versificator, et praeter epistolas, quae inter Ciceronianas reperiuntur, nihil eius scriptorum, quod exstet, memorari potest. Alius Cassius Parmensis poeta fuit, cuius opuscula Horatius et promtum in scribendo carmine ingenium memorat. Qui easdem quidem partes bello ciuili secutus est, sed alio fato periit, Athenis, quo se Cassio et Bruto et Antonio victis contulerat, a Q. Varo, iussu Augusti, interemtus. Denique T. Cassius Seuerus, celebris orator, extremis Augusti temporibus vixit, et propter acerbitatem et maledicentiam in exsilium eiectus misere periit: de quo M. Seneca, Quintilianus, Tacitus. Si qua igitur Cassii carmi-

na hodie exstent, in Collectione veterum epigramm. PITHOEI reperiunda, ea quidem non alii, quam Cassio Parmensi, possunt tribui; sed nulla ibi exstare meminimus, praeter *idyllium de Orpheo*, quod ipsum dubium est. Multo minus ad Cassium pertinent, quos HARLESIVS, nescimus qua ratione, quoue auctore adductus, ei tribuit, versus *de ambiguis siue hybridis animalibus*, qui in calce Petronii edi solent. Certum enim est, illos versus nusquam Cassii nomen habere praescriptum, et Euantii, recentissimi scriptoris esse. — De Cornelii Seueri vita et scriptis pag. 403. paullo plenius agi poterat, excussis Ouidii, Senecae vtriusque, et Quinctiliani locis, si quidem *carmen regale* ei tribuit, et *magnorum regum vatem* appellat Ouidius, quibus quidem verbis tragoediarum scriptorem intelligere volunt plurimi, nos simpliciter res gestas magnorum regum, vt Cyri, Alexandri, cet. carmine a Seuero celebratas putamus. Et declamationes ab eo scriptas, e quibusdam Senecae et Prisciani locis potest colligi. Contra Aetna carmen an ei recte tribuatur, loco Senecae, e quo haec opinio ducta est, attentius considerato, valde dubium videri potest. Editionibus Aetnae p. 281. addi potest, quam I. ACCARIAS DE SERIONNE cum versione Gallica, notis

notis et dissertationibus criticis et historicis, Parisiis 1736. 8. et CONR. ARN. SCHMIDIVS V. C. cum Germanica versione Brunsuigae 1769. 8. dedit. — Similiter ad editiones Virgilio-Centonum Probae Falconiae, p. 330 seq. memoratas, referri meretur *Henrici Hannerii Stemeciani in Probae Valeriae Centonum opus perquam familiaris commentarius: Brunsuici impressum apud diuum Martinum anno 1516. 4.* quem etiam FABRICIVS ignorauit. Eodem loco, vbi de Centonibus Virgilianis agitur, occasio erat insignis symbolae ad supplendam Bibliothecae Fabricianae relationem conferendae. In hac enim p. 381. vbi Tertulliani locus affertur, quo *Hosidius Geta* dicitur *Medeam tragoediam ex Virgilio plenissime exsuxisse*, in subiecta annotatione narratur, fragmentum insigne eius tragoediae a P. SCRIVERIO in fragmentis Tragicorum vet. editum esse; sed omittitur, quod addi in recentissima Bibliothecae illius editione omnino debebat, Medeam tragoediam nunc integram a P. BVRMANNO Anthologiae lat. libro I. n. 178. publicatam esse. Quod exemplum Centonis antiquissimi, quo reperto egregia accessio ad historiam scriptorum Latinorum facta est, sane dignissimum erat, quod vel cum Ausonii et Falconiae Centonibus, vel alio lo-

eo, occasione Medeae Ouidianae, memoraretur. — Aemilii Macri de virtutibas herbarum editionibus, quae p. 350. recensentur, nescimus, an addi mereatur, quae ab HENR. RANZOVIO Lipsiae 1590. vulgata prodiit, et ad manus est. Equidem huius titulus idem est, qui Ranzouianae editionis a FABRICIO memoratae, quae tamen, quoniam Hamburgi 1596. impressa dicitur, conferri cum altera, si forte rebus nonnullis differat, meretur. — Possent fortasse, si quis hoc agere curiosius vellet, obseruata et asserta Ill. HARLESII pluribus locis vel corrigi, vel locupletari, vt est eiusmodi liber plurimarum animaduersionum et emendationum capax; quaecunque tamen errata forte inueniantur, facile ea tot aliis egregiis et accuratis obseruationibus pensantur, quibus notitiam auctorum Latinorum et literaturae Romanae scientiam auxit, vt, qui eam instructissimam habere cupiant, praeter Bibliothecam Lat. Fabric. hunc in primis consulere librum debeant. Atque his ipsis annis, postquam nouissima Bibliothecae Fabricianae editio prodiit, plurium eruditorum cura memorabiles accessiones ad historiam auctorum, qui hoc volumine recensentur, factae sunt, quas ab HARLESIO suo loco expositas iucundum est legere. Referimus huc commenta-

tatio-

ſtationes et operas, quas illuſtrando Ciceroni, Virgilio, Ouidio, tum maxime Horatio adhuc dicarunt docti viri, quae ſane apparent numeroſiſſimae, vbi cum relatis in Bibl. Fabric. comparentur. Referimus in primis inuentos nuper Faſtos a Verrio Flacco ordinatos, detectumque eorum diſcrimen a Faſtis, qui Capitolini nominantur. Quos cum olim ONVFRIVS PANVINIVS ſub *Verrii Flacci* nomine edidiſſet, plerique eruditi eos ipſos eſſe crediderunt, quos a Verrio olim compoſitos Suetonius memorat. Nunc Faſtorum Verrii Flacci reliquiae e marmorearum tabularum fragmentis, Praeneſte nuper effoſſis, edidit et illuſtrauit F. F. FOGGINIVS, Romae 1779. cuius libri cauſſa HARLESIVS de Verrio Flacco et de Faſtis Capitolinis ſingularibus capitibus egit. Memorabilis etiam acceſſio ad libros Liuii adhuc cognitos facta eſt, fragmento libri XCI reperto, quod BRVNSIVS noſter V. C. primus e codice Vaticano eruit. In quo edendo, illuſtrando, vertendo cum paſſim certauerint eruditorum ſtudia, HARLESIVS his referendis p. 428. ſeq. non exiguam hiſtoriae Liuii ornandae occaſionem habuit. Cum non minore induſtria viri docti adhuc ad ornandos ſcriptores ſequioris aeui Latinos incubuerint, optamus quam maxime,

vt Cel. HARLESIVS in iis proximo tomo recensendis parem diligentiam adhibeat, atque opus hoc literarium, quam primum id caeterae eius occupationes permiserint, absolutum emittat in publicum.

W.

---

*Volumen XII. Operum Plutarchi,*

quae olim a REISKIO edi coepta, post eius decessum copiis et subsidiis ab eo relictis instrui et continuari curauit Georgius, bibliopola Lipsiensis, superioribus nundinis Lipsiensibus tandem prodiit. Quod volumen solos Indices in scripta Plutarchi moralia et philosophica, quemadmodum praecedens XI. in vitas parallelas, continet, et quidem tres: vnum verborum notabiliorum vel Graecitatis, alterum rerum in iis occurrentium, tertium auctorum a Plutarcho citatorum. Nomen eius, qui confecerit, nusquam editur, neque enim praefatio addita; sed minime dubitamus, auctorem esse HESLERVM, iuuenem industrium et Graecarum literarum probe peritum, cui REISKIVS viuus operam secundariam in edendis Graecis scriptoribus ad expurganda paginarum exempla typographica et conficiendos indices delegaue-

legauerat, et pleraque ſubſidia eo ſpectantia commiſerat. Neque vero in his indicibus editoris vel eruditionem vel diligentiam deſideramus. Vberes ſunt et accurati, quales in prioribus Plutarchi editionibus non inueniuntur, praeſertim ille Graecitatis ad lectionem et intelligentiam auctoris perquam accommodatus, qui verbis fere omnibus interpretationem Latinam, et varias eorum ſignificationes, phraſes item notabiliores, a Plutarcho vſurpatas, ſubiicit. Sed his indicibus ſummopere vellemus adiectum eſſe alium, qui titulos et ordinem opuſculorum per plures tomos diſtributorum exhiberet, ne ſcilicet vnum eorum euoluere cupientes neceſſe haberent, ſingulos tomos quaerendi cauſſa perluſtrare. Optandum et illud erat, vt editor ſcripta quaedam Plutarchi recentius edita, nec in priſtinis editionibus inuenienda, huic nouae, ad meliorem eius perfectionem et commendationem, adiunxiſſet, quemadmodum volumini X. duo fragmenta Plutarchi de differentiis quibusdam metri heroici, verſuumque formis, adiuncta ſunt, e codice Regio Pariſienſi a Celeb. VILLOISONO deſcripta. Etenim alia Plutarchi fragmenta, eaque maioris momenti, reſtabant, ſcriptis eius philoſophicis adiicienda. Quale eſt opuſculum Plutarchi ὑπὲρ εὐγενείας, ſiue

*pro nobilitate*, cuius partem quidem FABRICIVS Bibl. Gr. Vol. XII. p. 268. seqq. integrum vero, quantum scilicet in codice msf. exstabat, IO. CHRISTOPH. WOLFIVS Tomo IV. Anecd. Graec. p. 173. seqq. vulgauit. Referenda huc etiam duo fragmenta Plutarchi ex libris *de anima*, quae primum a THOMA THIRWITTO Londini 1772. post a I. G. SCHNEIDERO cum Plutarchi libro *περὶ παίδων ἀγωγῆς* Argentorati 1775. sunt edita. Caeterum lubentes fatemur, editione hac Plutarchi, scriptoris primarii et inter Graecos doctissimi, plurium interpretum annotationibus et copiosis indicibus instructa, studiosis Graecarum literarum haud parum consultum esse.

---

*Des Hrn. Abt Millot — Universalhistorie etc.* h. e. MILLOTI historiae vniuersalis, additamentis et emendationibus instructae a GVIL. ERN. CHRISTIANI — *Tomus VI.* Lipf. ap. Crusium. 1782. 1 Alph. 10 pl. oct.

Pergratam historiae amatoribus hanc libri et curate et eleganter admodum scripti editionem esse, dubitare non licet. Nondum enim, si verum fateri velimus, historicis libris,

qui

qui prodesse simul et delectare possent, dignamque haberent historiae ipsius dulcedine eloquentiam, abundamus Germani. In primis vero libri isti, qui historiam *vniuersam* complexi fuerant, vel nimiae molis vel moduli minoris erant. MILLOTIANI autem operis apta quaedam est magnitudo, quae neque obruere ac deterrere legentem, nec fallere possit et inanem remittere primis rudimentis iam instructum. — Continet hic tom. VI. centuriae annorum a Christo vndecimae, a *Gregorio VII.* P. R. vsque ad decimam quartam s. potius vsque ad Basileense concilium, historiam. *Epocha quarta* enim, aeui nimirum medii, ex dispositione auctori recepta, comprehendit bellorum in primis *inter imperium et sacerdotium* a pontificatu Hildebrandino vsque ad medium sec. XIII. inde gestorum, expeditionumque cruciatarum, narrationem, non praetermissis, quae de aliis Europae regnis memoratu digna fuerint. *Epocha quinta* vsque ad sec. XII. finem procedit, insignis maxime, eo, quod per illam summa fastigia adsecuta est tyrannis papalis. *Epocha sexta* continuatur ad a. 1300. nobilitata maxime *Philippi pulchri*, et *Bonifacii VIII.* diffidiis, aliisque euentibus, qui inclinandae mox potestatis Paparum, spem facerent, quam denique *Epo-*

*cha septima* impletam vidit Europa. — Scriptoris huius fidem et curam rarissima est copia notandi, et sicubi est, eam occupauit sollertia editoris, cui debetur quoque succincta historia regnorum Europae septentrionalium medii aeui, inserta p. 118 - 143. et appendix, qua historia ecclesiae Christianae a sec. VI - XV suppeditatur, e MOSHEMIO fere, vt videtur, excerpta.

---

*Neueste Religionsgeschichte etc.* i. e. Ad nouissimam religionis historiam collectanea, editore CHR. WILH. FRANC. WALCHIO etc. *Tom. VIII.* Lemgou. 1781. 1 Alph. et dimid.

Insunt: I. Narratio de inquisitione, aduersus IOH. LAVR. ISENBIEHLIVM facta. Sine dubio illam composuit ipse clarissimus editor, WALCHIVS, idque ex genuinae fidei documentis, luculento ordine, sine omni partium studio. — Vtinam haec fuisset postrema tragoedia, quam ignorantia, superstitio et inhumanitas in ecclesia Romanensi lusit! II. Narratio de controuersia, quam EDVARD. GIBBON excitauit, de propagatione et statu religionis Christianae intra trecentos fere a Christo nato annos.

Vide-

Videtur eiusdem eſſe auctoris. Traditur primum ſumma libri celeberrimi, quo multorum odia ſibi peperit GIBBONVS, et in primis diſputationis, quam ei intexuit de cauſis propagatae in imperio Romano religionis Chriſtianae; deinde ſcriptorum, qui aduerſus illum inſurrexerunt, notitia ſuppeditatur. Sapienter iudicat auctor, quamquam GIBBONI ſumta Chriſtianae veritati inimica ſint; controuerſiis tamen cum illo agitandis nihil effici, optimamque viam illius confutandi, aut certe aduerſus illius arma praemuniendi animos, futuram eſſe fidam eiusdem hiſtoriae, quam GIBBONVS tantopere deformauit, narrationem. III. *Eiusdem* relatio de controuerſia ſuper libello SAM. IENYNSII de claritate doctrinae Chriſtianae interna, qui in ſuſpicionem malae fidei atque hoſtilis aduerſus religionem conſilii vocatus a multis eſt. IV. Narratio de vita et ſcriptis DAV. HVMII. V. Ven. SPANGENBERGII commentarii de ſuſceptis Fratrum euangelic. inter Gentiles, fuſius iam a nobis recenſiti, m. Febr. p. 176. VI. Rev. MVTZENBECHERI origines eccleſiae Lutheranae in promont. Bonae Spei erectae. VII. Locuples deſcriptio hodierni ſtatus *Baptiſtarum* ſ. *Mennonitarum.* VIII. De conciliatione eccleſiarum Proteſtantium

dum in Polonia etc. IX. Spicilegium alterum historiae de turbis Febronianis.

---

## *III. Noua literaria.*

*Romae* nunc tandem quam proxime in lucem publicam prodibit liber criticae sacrae studiosis perquam vtilis futurus atque acceptus, cuius inscriptio erit fere haec: *Specimen variarum lectionum sacri textus et Chaldaica Estheris additamenta, ex pontificio codice edidit, variisque dissertationibus illustrauit* IO. BERN. DE ROSSI. Vniuersa libri huius ratio haec est. Caput I. agit de codice pontificio eiusque conditione et praestantia, II. exhibet specimen variarum lectionum sacri textus pontificii codicis, historico criticis obseruationibus illustratum, III. agit de Chaldaica Paraphrasi pontificii codicis, variisque eius lectionibus et vsu in explicando potissimum celeberrimo loco 1 Sam. VI, 19. IV. de Estheris additamentis eorumque fide, auctore ac primigeniis variisque codicibus, V. exhibet haec ipsa Chaldaica Estheris additamenta, cum latina versione variisque lectionibus codicis Vaticani et Ambrosiani, quibus VI. accedit de celeberrimo codice Samaritano tritaplo bibliothecae Barbe-

Barberinae, vbi multa de hoc codice eiusque aetate ab aliis antea minus recte tradita emendantur. Iunctum huic opusculo est aliud „Censoris theologi diatribe, qua bibliographiae antiquariae et sacrae critices aliquot capita illustrantur;„ cuius pauca aliquot exempla amicis potissimum distribuenda hoc insigniuntur titulo: GABRIELIS FABRICY S. T. D. ordinis praedicatorum collegii Casanatensis theologi, *diatribe, qua bibliographiae antiquariae et Sacrae Critices capita aliquot illustrantur.* 8vo.

---

Communicata est cum CRELLIO nostro ab ill. SCOPOLI epistola, quam perill. Comes DE SALVCES miserat ad celeberr. viros, MACQVERVM, et CIGNA, in qua acidum nitrosum, (quod antea, analysi instituta, contenderat compositum esse ab acido empyreumatico sale alcalino volatili, terra calcarea, et silicea) nunc per synthesin componere docet. Terra nempe metallica deiicienda est ex vitriolo martiali a sale alcalino volatili (qui separandus est e sale ammoniaco ope olei tartari (per deliquium) vel lixiuii saponariorum, vel liquoris silicum): omniaque postea combinanda sunt cum sale alcalino fixo, et tandem euaporanda, aut destillanda.

Totum

Totum artificium pendere affirmat perill. Comes, a partium accuratissima quadam proportione, quam vero palam indicare, alii occasioni reseruat; additque, ex iisdem partibus, mutata solummodo partium relatione, posse quoque salis acidum produci. Noua certe est haecce nitrum generandi methodus; de cuius vero pretio, tempus vlteriorque experientia statuent.

---

Denuo prodierunt *Bremae* apud Cramerum: GATTI meletemata noua de ratione, qua variolarum insitio peragenda est, in Germanicum sermonem e Gallico conuersa ab E. G. WAGLERO. (1782. pagg. 224.) Editio noua est, si annum spectes, vetus si materiam. Ex asse enim respondet editioni Hamburgensi a. 1772 — Idem valet de libris duobus HIER. DAV. GAVBII, nimirum *institutionibus pathologiae medicinalis*, quae Lipsiae apud Kraussium prodierunt (a. 1781. pagg. 512.) et *libello de methodo concinnandi formulas medicamentorum*, qui Basileae apud Schweighäuserum lucem vidit (a. 1782. pagg. 439. 8.)

---

Clariss. REISKIA vitam mariti sui, quam LESSINGIVS ex schedis ipsius REISKII concinnandam receperat, nunc ipsa descriptam

destinat

destinat edere, eoque eruditos, qui memoriam REISKII eiusque meritorum caram habent, voluntque libri promissi emtores esse, inuitat, vt nomina sua apud se, vel apud bibliopolii Dessauiensis curatores profiteantur. Liber ipse praeter vitam viri continebit recensionem accuratam commentationum, quas ille manu sua scriptas reliquit, tum seriem epistolarum, a viris doctissimis, videlicet *Reimaro, Doruillio, Meermanno, Wesselingio, Abreschio, Schoepflino, Gesnero,* aliis, ad eum scriptarum. Subscriptionis tempus ad exitum huius anni prorogatum est, quod qui obseruauerint, alphabetum quodque libri pretio 12 groſſ. redimenti.

---

*Basileae* d. XV Iul. e vita discessit celeberr. ISAACVS ISELINVS.

---

*Helmstadii* Cl. WERNSDORF, A. M. denominatus est a Duce nostro Serenissimo Adiunctus facultatis philosophicae. — Linguae Gallicae publice docendi munus et Professoris extraordinarii honores nactus est LVDOV. COLLAS; lectoris linguae Anglicanae et Ital. FRID. THEOD. KÜHNE.

---

# INDEX.

## *II. De libris nouis.*

# ANNALES LITERARII.

## SEPTEMBER
## ANNI MDCCLXXXII.

### I. *Anecdota.*

*De fragmentis codicis corticei Bibliothecae Helmstadiensis.*

Papyrum et corticem materiis, quibus veteres libros suos inscribebant, accensendos esse abunde constat ex MONTFAVCONII Palaeographia Graeca et *Noveaux Traité de Diplomatique* T. I. p. 503. etc. Perpauca codicum in alterutra harum materiarum scriptorum fragmenta aetatem tulerunt, cimelia bibliothecarum, vbi asseruantur, iure optimo habita. Anceps vero res est, quibus signis codices papyracei a corticeis distinguantur: quae quum non satis accurate animaduersa videret MAFFEVS, eo processit, vt chartam corticeam vnquam extitisse negaret. Sed literatissimi auctores operis diplomatici ante citati p. 512. comparato Msto San-Germanensi, quem corticeum habent, cum papyraceis, egregie

gie diuerſitates nonnullas expiſcati ſunt, ad quas qui attendunt, vix fallentur, iudicium de huiuscemodi Mſtis laturi. His viris ducibus vſus, ſatis tuto affirmare auſim, fragmenta illa, de quibus in praeſens ago, in cortice ſcripta eſſe. Nam et facile rumpitur charta haec corticea (papyracea vero ſolida eſt neque adeo fragilis) et, prima ſuperficie euulſa, quod reliquum eſt chartae, literis hic illic vacat, et craſſior eſt atque ſordidior. Superficies etiam chartarum hic illic euanuit: quod in cortice pariter accidit. Ipſa haec fragmenta, quae dudum Bibliothecam Academicam ornarunt, licet, vnde illata ſint, ignoretur, conſtant quatuor tabulis nunc conuolutis, formae octonae ab vtraque parte inſcriptis. In altera enim leguntur vocabula Graeca, in altera Latina, vt haec fragmenta ad Gloſſarium Graeco-Latinum pertinere videantur. Vocabula Graeca charactere, quem vocant vncialem, exarata ſunt. Latina ad characterem Saxonicum, a MABILLONIO de re diplom. p. 350. ex codice Corbeienſi no. 660. prolatum, quam proxime accedunt. Scriptura tum Graeca tum Latina ſeculum prodere videtur octauum vel nonum. Praeter has quatuor tabulas ſunt alia minora fruſtula eiusdem codicis. Omnia fragmenta licet argumenti digni-

dignitate se parum commendent, eximia tamen raritate, et eo, quod in suo genere vnica sunt, vel celeberrimis codicibus anteponenda sunt.

---

## II. *De libris nouis.*

D. IOH. SAL. SEMLERS *theologische Briefe: Erste Sammlung.* i. e. theologicarum epistolarum fasciculus I. Lipsiae apud Weygand 1781. fascic. II. ibid. 1782. fasc. III. ibid. eod.

Missis iis, quae contra auctorem obseruationum ingenuarum super Christianismo de auctoritate librorum symbolicorum duplicique doctrina, quarum altera doctorum, altera plebis est, et deinde contra censorem Berolinensem, ad purgandum se in controuersia Bahrdtiana disputauit, referemus tantum, quae de origine Pseudepigraphorum Vet. Test. docte et subtiliter protulit. Haec cum graeca V. T. versione nexum quendam habere, negari nequit: sed num eo tempore, quo versio concinnata fuerit, an iam antea prodierint, dubitari potest. Deinde quaestio oritur, num haec scripta extiterint, priusquam historia Iesu Apostolorumque scripta nota fuerint.

 Tan-

Tandem, num aliquid certi de auctoribus horum librorum coniici possit. SEMLERO verisimile non videtur, postquam versio Bibliorum diu in hominum manibus fuerit, pseudepigrapha fingi et auctoritatem fidemque nancisci potuisse. Quare origo versionis et horum scriptorum in eadem tempora ipsi in idere videtur. Sed vti pseudepigrapha Nc T. centum vel ducentis annis post genuina .N. T. scripta plausum apud Christianos ferre potuerunt; ita non video, quid caussae sit, quod versionem Graecam et pseudepigrapha V. T. sub idem tempus in vulgus exiisse arbitremur. Rectius auctores suspicatur fuisse Iudaeos Alexandrinos, qui coniunctis viribus eiusmodi scripta ediderunt, vt horum ope Iudaeos vbique dispersos a communione cum Ethnicis, inter quos viuebant, arcerent, et fabulis fanaticis vaticiniisque arctius inter se coniungere studerent. Hoc in primis libri Esdrae quarti propositum fuisse vberius ostendit. Talibus etiam scriptis odium Iudaeorum in gentiles immanem in modum augebatur; et quum haec ad Christianos ex Iudaeis transirent: origo multarum opinionum et exspectationum, quas Christiani iam Apostolorum temporibus fouebant, facile perspicitur. Immo putat SEMLERVS, in epi-

stolis

stolis Pauli, Petri, Iudae et Iohannis haec pseudepigrapha notari, atque auctores eorum tanquam impostores et homines fanaticos vituperari. Quod exemplis variis ingeniose illustratur.

In *fasciculo secundo* praesertim noua Apocalypseos defensio sub examen reuocatur. Antea autem pergit cel. auctor contra auctorem liberarum obseruationum super religione Christiana disputare. Defendit enim nunc SEMLERVS auctoritatem et vtilitatem librorum symbolicorum. De inspiratione librorum sacrorum ita agit, vt monstret, notionem huius rei recentioribus temporibus magis dilatatam et mutatam fuisse. Maxima vero epistolarum pars versatur in diiudicanda apologia Apocalypseos. Quae auctor apologiae ingeniose excogitauerat ad tuendam Apocalypsin, parum probabilia esse demonstrat SEMLERVS. Praecipue quod cap. I - XVI. prologi loco habenda sint, neque ad primarium libri argumentum pertineant. Sumit etiam auctor apologiae, Apocalypsin Neronis temporibus scriptam esse: quae hypothesis veteribus interpretibus aduersatur. Fuse praeterea probat SEMLERVS, euersionem Iudaicae regionis, et propagationem regni Christi spiritualis per terrarum orbem, minime

praecipuum libri argumentum conficere. Tandem demonſtrat, Caii teſtimonium apud Euſebium, quod Apocalypſin quandam Cerintho tribuit, de hac, quam hodie Chriſtiani inter canonicos libros recipiunt, Apocalypſi valere.

*Faſciculi tertii* epiſtolae priores refutationem concludunt noui defenſoris Apocalypſeos, oſtenduntque locos ex Caio, Dionyſio, Euſebio adductos, qui Apocalypſin memorant, minime ita interpretandos eſſe, vt ſtatuit defenſor ille, cui ingenii et eruditionis laudem non detrahit SEMLERVS. Caium de noſtra Apocalypſi locutum eſſe contendit SEMLERVS, eamque tanquam Cerinthi foetum fabularum impietatumque plenum reieciſſe. Deinde ne ipſius quidem Euſebii iudicio Apoſtolum Iohannem Apocalypſeos auctorem habendum eſſe demonſtrat. Tandem quicquid veteres de loco Caii, qui de Apocalypſi agit, ſenſerint, nobis liberum de eo iudicium relictum eſſe, veterumque ſententiam neutiquam veram et firmam habendam. Sequuntur epiſtolae ſuper diuerſis fontibus religionis Chriſtianae apud diuerſas ſectas. Erant horum primarii Epiſtolae Apoſtolorum, data quadam occaſione conſcriptae, quae tum a Chriſtianis ex rigidis Iudaeis ori-

ginem

ginem ducentibus, tum a discipulis Pauli colligebantur. Vtraque vero collectio primum suae tantum ecclesiae s. sectae propria erat. Paulus enim Christianis non scripserat, qui Petrum, Iacobum, Iohannem duces suos venerabantur, neque hi ad discipulos Pauli epistolas miserant. Deinde verisimile est, iam ante elapsum seculum primum plures adfuisse historicas narrationes, titulo Euangeliorum insignitas; fortasse 30 - 40 annis post Christi mortem exaratas. Saltem in epistolis Apostolorum nulla reperiuntur indicia, tum temporis iam exstitisse Euangelia nostra: quorum quidem origo et occasio a patribus Ecclesiasticis plane ignoratur. Vix ante finem seculi II. haec quatuor in manibus doctoris cuiusdam iunctim sumta aderant. Ceterorum Euangeliorum nonnulla his quatuor tempore vel priora fuerunt vel aequalia. Notum est, ea iam seculo II. late diffusa fuisse, e. g. Marcionis Euangelium etc. Scripta vero, quae iuxta et praeter Nouum Testam. inde a seculo secundo et tertio in manibus Christianorum fuerunt, non impostoribus omnia tribuenda sunt; neque suis carent meritis. De multis tamen secus sentiendum est. Satis enim aperte se produnt ab hominibus fraudulentis conscripta. Ab vtroque horum scri-

ptorum ge
guit genus
nentium,
editorum,
bolis et fal
uebant hom
ligionem,
bantur.
gitandum
ſuper lib
Agitur de
religionis
tus ad no
nem ſiue
ſecioribus
RVS iteru
quae recen
libertatem

*Peter C*

PET
med
tural
nacu
tioni
mun
M. H
1782.

25

ext
ora
n el
nore
ope
do

ptorum genere SEMLERVS tertium distinguit genus librorum, multa falsa et fictitia continentium, eum tamen in finem ab auctoribus editorum, vt aequales suos emendent. Parabolis et fabulis comparari possunt. Permouebant hominum animos ad Christianam religionem, et mythologiae ethnicae aduersabantur. Hic non de artificiis Clericorum cogitandum est. Claudit fasciculum tractatio super libera origine religionis Christianae. Agitur de cognitione, qua Iudaei ante ortum religionis Christianae imbuti erant, quaque aditus ad nouam doctrinam patefiebat. Canonem siue collectionem scriptorum sacrorum serioribus temporibus factam esse SEMLERVS iterum inculcat. Transit tandem ad ea, quae recentissimis temporibus Christianorum libertatem coercuerunt.

---

*Peter Campers kleinere Schriften etc.* i. e. PETRI CAMPERI opusculorum ad medicinam et praesertim historiam naturalem spectantium ex holland. in vernaculam versorum multis auctoris additionibus locupletatorum Tomum primum cum annotationibus edidit S. F. M. HERBELL. Lipsiae ap. Crusium, 1782. plagg. 10. forma 8ua cum 4 tab. aen.

In

In variis variorum scriptorum collectionibus libelli hi Camperiani, hollandico idiomate conscripti, distributi sunt, vt plerisque Germaniae eruditis historiae naturalis cultoribus latuissent, nisi studio HERBELLI collecti et translati apud nos introducerentur. Ob argumentorum dignitatem adeo et haec opuscula maxime aestumanda sunt, vt sine magno damno eis carere nequeamus. Atque haec versio antecellit primas tractatuum editiones eo magis, quo diligentius ipse CAMPERVS eos locupletari curauit variis emendationibus et accessionibus. Praeter clar. editoris literas, meletemata circa pudoris ideam apud diuersas nationes proferentes, complectitur hic tomus I. *excerpta e duabus* CAMPERI *praelectionibus* in academia pictorum Amstelodami habitis, *de regulis capita humana pro diuersitate aetatis et nationum pingendi et de eorum pulchritudine.* Ex diligenti obseruatione anatomica has regulas inuenit, quae multo facilius docent, imagines capitum pingere naturae longe magis conuenientes, quam illae hucusque in arte pictoria assumtae circa hanc rem leges plane arbitrariae ac falsae. — II. *Orationem de origine et nigritie Afrorum,* in theatro anatomico Groningensi habitam. Et nigrum Afrum et album Europaeum ab vno

Adamo originem duxisse, nec ob colorem cutis diuersum his diuersum genitorem fingi debere, demonstratur, *quoniam omnibus nationibus communis sit nigredo*, licet apud reliquas non aeque conspicua, ac apud Africae incolas, quorum quidem infantes neonati nulla nigritie tincti sint. Amstelodami tali neonato tertio a natiuitate die partes genitales et areola circa papillas mammarum, cutisque ad vngues nigrescebant. Quinto autem sextoue die totum corpus nigredine obducebatur, licet infans semper fasciis inuolutus fuisset, solique nondum expositus. — Epidermidi decolori pellucenti subiacet reticulum nigrum, fuscum, aut flauum, cuti albae impositum. Quod in qualicunque homine praesens caussam coloris exhibet nigri Afrorum, fusci Itali nautici cuiusdam; imo albissimae mulieris particula cutis ex mamma secta reticulum fuscum monstrabat. Rarissime reticulo color deest. Plurimorum Europaeorum loca obscoena semper contecta vestibus ex nigro fusca sunt ob huius coloris ibi latens reticulum. Colorem vero hunc adeps in cellulosa copiose collectus extendendo reticulum diluit valde, vt color abesse videatur, et nullus ceu albus restet. — III. *Sectionem elephantis maris iunioris.* Errores multos aliorum Auctor emen-

dat,

dat, obſeruationes confirmat et contradictiones conciliat. Ore elephas ſugit, nec proboſcide. Neque mas retro mingit, neque retro coit. In vrethra Veromontanum non deeſt. Proboſcidis tota ſubſtantia carnoſa, muſculis mouetur fronti inſertis et oſſi iugali, vaſtis latisque. In corde neque oſſa, neque cartilagines, quae erant exſpectandae, quodſi ex naturae lege oſſa cordi innaſci deberent. Nulla pericardii foramina. Veſica fellea non talis, qualis quadrupedibus aliis in hepate ſita; ſed vltimo in fine ductus hepatici intra duodenum eſt ſaccus ſatis amplus, figura ouatus, valuulis transuerſis in quatuor cauitates diſtinctus, interne rugoſus, glandulisque obſeſſus, ad axin per omnes valuulas perforatus, vt cauitates inter ſe et cum ductu hepatico et tandem cum duodeni cauo communicent, vbi in duodeno illam notabilem papillam magnitudine nucis iuglandis *Perautii* format, quam hic vero non diligenter ſatis inquiſiuit, ne diſſecauit quidem. In totum inteſtinorum tractum cibus deglutitus diſtribuitur; in craſſis adhuc erat ſoenu integrum. Renes in octo vel decem partes diuiſi, quarum ductibus combinatis peluis formatur in vreterem anguſtatus. Cerebrum paruum ratione capitis, cuius magnum ambitum ſinus efficiunt intra tabulas

tabulas osseas siti, supra cerebrum anterius et ad latera extensi, aerem proboscide haustum suscipientes. Ligamentum capitis eleuans a spinis vertebrarum dorsi colliqne oriens ad spinam capitis inseritur. Cerebrum per se maius, quam alii aestumarunt, cuius tentorium perpendiculari situ positum est. Partes cerebri apprime similes humanis. cet. IV. *De formatione ossium magnorum eorumque diuersitate in diuersis auium generibus.* Auium multum diuque volitantium ossa maiora fistulosa, inania et foraminibus perforata sunt, quae intrat ac replet ipse aer per pulmones inspiratus, et respiratione renouatus. Eadem contra ossa auium nunquam vel raro et difficulter volantium praedictis minus capacia sunt, nec perforata, et medulla scatent, vt femoris, brachii, sterni et clauicularum ossa. Vnde illis magna facilitas volatus, hisque difficultas. V. *Circa eandem rem litteras* ad editores ephemeridum Hedendaagsche Vaderlandsche Letteroeffeningen inscript. Se tres annos ante HVNTERVM cauitates aereas in ossibus auium detexisse, CAMPERVS comprobat. Illi autem contradicit, easdem cauitates pro aeris receptaculis et pulmonum appendicibus habendas esse, contendenti. Per cellulosam ad ossa aer penetrat. VI. *De duratio-*

*m chalybis.* Ex rubro candens chalybs in oleo coquente exstinctus iustam duritiem et elasticitatem nanciscitur; in aqua vero frigida nimiam duritiem, eaque cocta, nullam. VII. *De generatione Pipae, bufonis Americani.* Partes generationi dicatae Pipae adeo similes sunt illis bufonis Europaei, vt generationis ouorum et exclusionis ratione nullum discrimen probabile concipi possit. Pipae saltim oua exclusa in dorso suo rugoso, tanquam nido, secum ferunt, quo foetus etiam hospitatur, vsque dum ad nutrimentum sponte capiendum adoleuit. VIII. Obseruationes *de cantu ranarum masculorum.* Accuratissima descriptio vesicularum aerearum, quae, rana coaxante, ex vtroque latere maxillarum retro tympanum in conspectum veniunt, a SWAMMERDAMIO haud recte delineatae. IX. Additionem ad tractatum *de ossibus auium* cet. Descriptio femoris Struthiocameli, Otis Linn. spec. 1. Columbae spec. 17. Plataleae spec. 1. maxillae inferioris Struthiocameli, Buceros spec 3. et 4. Cornicis spec. 5. Ardeae spec. 12. (edit. X. Syftem. Linn.) Recapitulatio viarum aeri in ossa totius corporis transeunti paratarum. Continuationem huius collectionis quilibet naturae curiosus nobiscum vehementer exspectabit. ***n. 2.

---

Ueber

*Ueber den jüngsten epidemischen Katarr*; i. e. de nouissimo Catarrho epidemico, auctore D. PHILIPPO LVDOVICO WITTWER, Academ. Caesar. Natur. Curiosf. Socio. Norimberg. redemt. E. Chr. Grattenauer. 1782. 8 min. pag. 88.

Ordinem eorum, qui morbi illius historiam et naturam absque dubio gregatim describent, ducit hoc suo elegantissimo libello cl. WITTWERVS. Natales ille videbatur m. Februario h. a. de improuiso ducere Petropoli; inde migrabat, littora maris baltici prosequendo, in Poloniam et Daniam; Germaniam postea vniuersam m. Aprili, Maio et Iunio, a Viadro ad Rhenum, ab Albi ad Danubium vsque permeabat, eodemque tempore per Hollandiam transibat in Angliam, mira sane celeritate, pesti vix cedens; ceterum sibi semper fere similis, mitis, rariusque letifer. Cl. Auctor primo de tempestatis ratione, quae Norimbergae erat, agit. Mirae erant, sicuti in vniuersa fere Europa, frigoris cum calore et pluuiis vicissitudines; calor tamen frigore plerumque superior, ventis ex occidente et meridie saepius quam ex septentrione et oriente spirantibus. Inde igitur morbi rheumatici et vniuersales et topici, febresque intermittentes, quae illic admodum rarae sunt. Vterque

mor-

morbis sub ingressum catarrhi epidemici et postea perdurabat. Illorum indoles rheumatica, fomite in primis viis impuro iuncta, excitabat quoque pleuritidem, minime inflammatoriam, vt et similes anginas, catarrhos, diarrhoeas; et serius eadem cum febre intermittente simplici duplici complicata erat. Scarlatina et variolae, quae iam per menses fere XVIII. in vrbe grassabantur, nunc atrocius saeuiebant, magnamque stragem edebant. Haec erat vrbis constitutio morbosa, cum epidemia eam circa d. 11. 12. Maii, vti videtur, inuaderet, passimque se proderet; hebdomade autem sequente iam celerrime per vrbem vagabatur et quotidie fere vlterius progrediebatur, per XIV dies grassabatur, nunc sensim, sed tardius, abibat, quam accesserat. Ne quartae quidem incolarum parti, nulli sexui, aetati, vitae generi, sanitatis conditioni perpercerat; tamen iuuentuti, aetati consistenti, et sexui sequiori praecipue inimica; infantibus autem propitia; senibus et morbo chronico laborantibus periculum, atque, vti e maiori in hac epidemiae regnantis periodo mortuorum numero concludere licet, etiam letum afferebat. Morbi decursus in pluribus sibi similis erat, maiori vel minori febris, interdum plane deficientis, gradu solummodo differebat; exceptis

ceptis quibusdam symptomatibus rarioribus, ab illius laruata indole procedentibus. Eius aduentum nuntiabat vertiginosa capitis grauitas, eiusque dolor, oblique super oculis situs; subitum virium decrementum, ita, vt artus, praecipue pedes, subtusi viderentur; dolores ad spinam dorsi, ingrataeque in suris tensionis; quibus praegressis ingruebant horripilationes, ardores volatici, praecipue vesperam versus; tussis sicca, vel coryza, vehementi sternutationi iuncta; vel vtraque sociata; interdum quoque faucium aderat inflammatio cum raucedine. Accedebant in plurimis facies rubicunda, tumida, vel pallida cum genarum rubore circumscripto; oculi protuberantes, vel collapsi, vitrei; nasus vel os pustulis obsitum; appetitus aut plene prostratus, aut imminutus, rarissime adauctus; os amarum, siccum, absque magna siti; puncturae in pectore sub accedente tussi, in veram pleuritidem in quibusdam transeuntes; in aliis sputum modo sanguinolentum erat; pressio in hypochondriis, nausea, aluus obstructa, rarius laxa; manus siccae calidae cum frigidis alternantes: noctes aut irrequietae, aut phantasmatis turbatae; prorumpente interdum sudore infructuoso; pulsus mollis, plenus, celer; vrina decolor, pallida, rarius saturata, numquam

verum

verum sedimentum edens; lingua crusta ex flauo albo tecta. Quae quidem omnia per tres ad quatuor dies perstabant; postea aut protinus aut successu disparebant, aut diebus aliquot interiectis recurrebant. In plurimis licet haec esset rerum facies; multi tamen ex improuiso corripiebantur horrore concutiente, vehementi vomitu aut aluo fluida stipato; quem sequebatur calor ardens, cephalaea vix toleranda, leuis somnus phantasiis conturbatus; prorumpens vero fortis sudor omnia, praeter tussim, tollebat: interdum tamen tertio die eadem, sed leuiora recurrebant symptomata. Paucissimi a morbo nostro nil patiebantur, nisi cephalalgiam obtusam, aut lassitudinem, quam insequebatur modo leuis coryza aut tussis. In infantibus morbus subito ingruebat, (eodem modo, vt superius descriptus); solemnis vero quoque iis erat epistaxis et somnolentia, quae autem saepe admodum leuis erat. Senibus ille periculosus erat, ob maximam virium prostrationem, et febrem lentam vespertinam cum pulsu intermittente, inaequali, paruo frigore, extremitates solummodo minori gradu afficiente. Subsequebatur vero magnus calor, deliria excitans. Letalem videbat cl. Auctor modo in vnico aegro phthisico. Differentem adhuc faciem assumebat morbus in

quibusdam, quum a diſpoſitione corporis antecedente varias mutationes pati videretur: cui itaque haemorrhoides protuberantes, diarrhoeae cum tenesmo, dolores rheumatici topici, oculorum affectiones, peripneumoniae, colicae, iungebantur; aut absque morbi ſuetis ſymptomatibus incedebant. Ille etiam complicatus erat cum affectibus conſtitutionis morboſae, antea in vrbe regnantis, praecipue cum febribus intermittentibus, aut rheumaticis, aut vtrisque. Simplici morbo natura ſola ſaepe medebatur; aegris nimirum, qui ſub initium vomitu iterato afficiebantur, aut aluo laxabantur, ſubiunctis ſudoribus, cito et tuto ſanitas redibat: leuioris morbi prodromis transſpiratio, vino, thea, motu adaucta, obſcem ponebat. Tardiſſime omnium illi ad ſanitatem redibant, qui lentius a morbo, (vt in primi illius generis deſcriptione,) afficiebantur et frequentius in illum relabebantur; ſiue natura aut plane non, aut peruerſo modo, ab arte adiuuaretur. — Multi quidem huic morbo opponebant remedia domeſtica ſudorem promouentia, pulueres abſorbentes, ſpecies pectorales, flores et roob ſambuci, nitrum et oxymel ſcilliticum; omiſſis venaeſectione nociua, et euacuantibus, hac occaſione maxime vtilibus. Cl. WITTWERUS vero, nullo

nullo praeiudicio, nec auctoritate deceptus, animum ad ea potissimum vertebat, quae a natura ipsa indicari videbantur. Febris itaque domandae caussa propinabat mixturas cum nitro aut alio sale medio, cremore tartari, roob sambuci, spiritu nitri dulci, oxymelle; aut pulueres praescribebat e magnesia, nitro vel alio sale; adiecto extracto liquiritiae vrgente tussi. Appetitus imminutus, os amarum, lingua impura, aluus inordinata, interdum pressionis in epigastrio sensus, indicabant euacuationes, quae excitabantur altero mane aut per infusum laxatiuum Viennense, aut aliud mannatum, cum sale *Seign.* et nitro: aut per salem *Glauber.* vel Seign. solos, aut per Rheum cum cremore tartari. Emeticis vix opus erat: et in aliquot modo casibus ipecacuanha, aut per se, aut emetico tartaro adiuta, adhibebatur, quae citissime leuamen afferebat. Tussi opponebantur pulueres e sulphure aurato antimonii, vel *Kerm. miner.*, liquiritia, iride Flor. et oleosaccharo foeniculi aut anisi; aut mixturae ex oxymelle scillitico, Syr. Alth. vel Diacod.: aut species pectorales cum arnica; superstes denique tussis sicca, et debilitata digestio profligabantur a solutione extractorum amarorum cum laudano *Sydenh.*, aut cortice cascarillae cum opii tantillo. Euacuationes

 infan-

infantum affectibus comatosis mox finem imponebant, et senibus conducebant, suffultis simul remediis roborantibus, C. P. et ceter. quae quidem euacuantia hystericae quoque bene ferebant, inprimis si remedia neruina, camphora, valeriana his sociarentur. Hac ratione cl. auctor morbum cito, et tuto, et absque eius recursu sanabat, cum e contrario, ille minus bene tractatus, in 3 - 4 hebdomadem protraharetur; qui tunc stipatus erat magna virium debilitate, facie pallida, pressione in cardia, tensionibus in abdomine, nausea, conatu vomendi, vomituque ipso frustraneo, aluo obstructa, lingua impura, pulsu celeri parco. Qua quidem rerum facie, praemisso remedio digestiuo, propinabatur emeticum, bis vel ter repetendum; cortex chinae morbum denique superabat. Quod ad morbi caussam attinet, videtur illa cl. auctori pendere non ab vniuersali aeris in omnibus regionibus mutatione, sed a specifica quadam, in borealibus orta, et inde per ventos, homines, naues, merecedes vlterius propagata, curatius aegre desinienda: cuius nociua in corpus actio omnia ista mala producebat. Impugnat cl. vir hac occasione opinionem istorum, qui omnes morbos catarrhales a suppressa modo transspiratione deducere allaborant. Procedit denique

tiique ad descriptiones epidemiarum omnium morbi nostri, quae ab anno 1510. in scriptis medicis obseruatae prostant, quarum genium nobis ex ipsis auctoribus bene notum reddit. — — Non possumus non maxime probare rationem, qua de hocce catarrho epidemico nobis retulit cl. WITTWERVS, plurimis modis de re medica praeclare meritus, eiusque medendi methodo calculum nostrum adiicere. Sed plura hac de re addere limitum, quibus circumscripti sumus, vetat angustia; in primis cum nobis animus sit, vberius de eodem morbo epidemico alio loco verba facere.

---

*Bibliotheca historica*, instructa a B. BVRCARDO GOTTHELF STRVVIO, aucta a B. CHRISTI. GOTTLIEB BVDERO, nunc vero a IO. GEORG. MEVSELIO ita digesta, amplificata et emendata, vt paene nouum opus videri possit. *Voluminis I. Pars I.* Lips. ap. heredes Weidmanni et Reichium. 1782. oct. mai.

Vehementer exspectabant hunc librum litteraturae historicae amatores. Neque immerito; ab illo enim viro, qui nunc manum

admouit ad persequendum et conficiendum propositum, quod BVDERVS conceperat tantum animo de bibliotheca historica Struuiana, sperare fas erat vbertatem pariter atque curam et ἀκρίβειαν maiorem in hoc genere, quam nec STRVVIVS nec BVDERVS probauerant. Vterque enim alias literaturae historicae partes penitus neglexerant; alias tantum attigerant; alias sine omni ordine elaborarant; praetermissi etiam saepius alto silentio libri praestantissimi, mali vero atque inutiles passim adscripti, quid? quod praeconiis condecorati erant immeritis. Iam vero ita sibi dissimilis facta est haec bibliotheca historica, vt modeste magis quam vere ab Ill. MEVSELIO in titulo dicatur *paene nouum opus videri posse.* Est enim plane nouum potius, in quo vix adhuc agnoscitur STRVVII ac BVDERI diligentia.

Ordinem in digerenda infinita librorum historicorum copia percommodum seruauit. *Caput primum* scriptores comprehendit de historia historiae, historiographia, historiomathia, bibliothecis historicis, vitis historicorum celeberrimorum etc. (Pag. 11. legitur: DAV. HVMIVS *quoque de historiae studio disseruit in* — nec additur, vbi. Pag. 14. LACKMANNI scriptum, quod laudatur, non

Kiliae,

Kiliae, sed Hamburgi prodiit. Pag. 35. valde manca est relatio de vitis historicorum celebriorum; e Graecis antiquis, praeter Plutarchum, nullus adducitur; recentiorum etiam quam plurimi praetermissi sunt. Pag. 37. SEMLERO tribuitur laus versionis Theotiscae NICERONI, quae praeter duumuiros h. l. nominatos RAMBACHIO debetur. Sed haec parua sunt.) *Capite secundo* enumerantur scriptores historiae vniuersalis, et quidem sect. I. scriptores de cultura hist. vniuers. sect. II. vetustiores hist. vniu. scriptores, sect. III. scriptores hist. vniu. ex primis seculis sex post C. N. sect. IV. scriptores hist. vniu. sec. VII-XI. sect. V-XI. scriptores hist. vniu. sec. XII-XVIII. sect. XII. scriptores hist. vniu. sui certique tantum temporis, sect. XIII. compendia hist. vniu. sect. XIV. tabulae chronolog. synchronisticae et synopticae hist. vniu. sect. XV. Kalendaria s. diaria hist. vniu. sect. XVI. Lexica historica vniuersalia. *Capite tertio* recensentur historiae vniuersalis miscellanea, collectiones, dissertationes, opera et opuscula historica iunctim edita; *capite quarto* scriptores de originibus et migrationibus gentium. Hactenus haec prima pars procedit, historiae nimirum literaturam generalem complectens; specialia partibus sequentibus reseruata sunt.

In his vero enumerandis scriptoribus curatus admodum versatus est MEVSELIVS. Namque et auctorum et librorum satis amplam pro operis huius consilio notitiam dedit. Auctorum nomina in margine apposita tantum non vbique sunt; in contextu simul, saepissime certe, dignitates illorum et anni emortuales notantur. Librorum inscriptiones satis plene suppeditantur; diuersae editiones enumerantur; praestantiora opera diiudicantur; vt plurimum etiam docetur, vbi vberior inueniatur de illis relatio. — In tanta vero silua librorum diuersissimi pretii quis talem faciat delectum, vt omnium omnino lectorum desideriis satisfiat? Ipse praeuidit Cl. M. fore, qui velint, bibliothecam hanc magis critice instruxisset et *selectam* fecisset, quamquam noluisset vocabulum hoc e biblioth. Struv. in fronte libri sui retinere. Qui ita iudicauerint, his ita respondet: „Delectus in libris historicis cum per se difficilis, paucaque disciplinae nostrae scripta tam praua sint, quin aliqua ratione iis vti possis; id praecipue cauendum videtur, ne plane abiectos pessimosque libros, piperi vendendo destinatos, excitemus. His igitur exceptis, omnes alios scriptores historicos, quantum fieri poterit, consignare atque enumerare liceat. Rarum enim propemo-

dum

dum fuerit, offendere in illo genere aucto-rem, qui errores, nonnumquam ſatis graues atque peccata hinc inde commiſſa, non inſi-gniore quadam dote compenſet. *In poetis*, ait Cicero, *non Homero ſoli locus eſt, aut So-phocli aut Pindaro; ſed horum vel ſecundis, vel etiam infra ſecundos.* Tanto minus hiſto-ricae literae dedecoris conſequentur, quod viris conſpicuis et in orcheſtra eminentibus humiles ex vltima cauea nonnulli homines interponuntur; querelae potius et accuſatio-nis non poteris non plurimum excitare, ſi in contrarium tuopte arbitratu iueris. Neque enim in ſiluis arbores natura facit ad eamdem proceritatem excreſcere; quid? quod earum-dem ſub vmbra luxuriantes perſaepe frutices virgultaque internata, et myricae humiles ob-ſeruantur. Facit ad hortorum amoenitatem, quod non idem vbique nitor conſpiciatur in floribus, quippe quorum multiplex varietas diuerſique pulchritudinis gradus multo magis blandiuntur oculis. Ne pluribus morer; ea-dem librorum hiſtoricorum ratio ac metallo-rum eſt numorumque. Quis enim vel plum-bum abiiceret, tanti in aedificiis et ad varia in vita communi inſtrumenta vſus? quis nu-morum auidus, etiamſi ex auro fabricatus plu-ris aeſtimat, idcirco non aereos ſuo relinquat

pretio aut carere illis velit gratuito? Libri adeo interdum peiores, cum adulterini etiam numi, iisque iure ſuo, notentur, curioſius paullo atque apertius notandi omnino ſunt, monendique lectores, vt ſibi ab eorum lectione aut vſu caueant, vel ſaltem iis caute vtantur.„ Sed ſimilitudinibus his nos quidem non mouemur, vt credamus, non valde prouido et ſollicito delectu in huius generis enumeratione librorum opus eſſe. Praeſtaret enim ſine dubio, exiles plane libellos omittere, quam indicare et obelo notare. Nam quis finis eſſet, et quae vtilitas, ſi quis tot epitomas hiſtoricas, quod noſtra in primis gens protulit, tot ſcriptiunculas adoleſcentibus pueriſque deſtinatas, tot diſſertationes, programmatia, declamatiunculas, quae intra vnius ſaepe menſis ſpatium naſcuntur et pereunt, recenſere atque in vitam quaſi reducere velit? Et veremur ſane, ne in perluſtranda hac prima parte, multi facilius magnam copiam librorum, quos non exſpectaſſent, inueniri mirentur, quam quosdam iure ſuo deſiderent. In primis vero, ſi omnes, qui de eodem argumento proſtarent, libros commemorandi fuiſſent, opus erat, vt ſignis quibusdam luculentis vbique dignoſcerentur claſſici a proletariis, praeſtantiores a vilioribus, fontes a riuulis.

uulis. Quis enim ferat, hos omnes interdum promiscua serie recenseri, ratione tantum habita temporis, quo prodierint impressi? Neo fieri potest, quin in tanta vbertate scriptorum desiderentur quoque non pauci, qui vel eiusdem vel maioris dignitatis esse videantur, quam illi, qui in hunc catalogum relati sunt. Hunc vero defectum aliquo modo explebunt *Analecta*, quae accedent operi absoluto. Quare et rogat atque obtestatur MEVSELIVS omnes Musarum sacerdotes, extra Germaniam nostram etiam viuentes, vt, quae manca aut minus recte scripta viderint, secum communicent, vt ea imposterum ad maiorem bibliothecae huius perfectionem publico vsui offerre possit. Nec dubitamus, quin futuri sint, qui hoc modo bene mereantur de libro hoc vtilissimo. Et superesse quidem omnino accessionum et emendationum multarum copiam, quis male ferat, nec potius admiretur istam notitiae literariae et librariae fertilitatem, quam in auctore esse liber hic luculentissime testatur?

---

*Von dem Einflusse des Mönchswesens auf Staat und Religion;* h. e. de efficacia, quam res monastica habet in re publica et religione 1782. pagg. 64.

Non

Non contemnenda est haec declamatio. Nondum enim veritas suum ius obtinuit, quamdiu supersunt, qui illam vel non agnoscunt vel supprimunt. Inter nostros quidem dudum conuenit de illis omnibus, quae anonymus auctor liberaliter docet. Nos enim vsu experti sumus, Deum nobis non iratum esse, quum otiosos et sanctulos non alamus homines, immo feliciorem et florentiorem esse statum nostrum, ex quo destituti illis sumus; et reliqua omnia, quae ab auctore commemorantur, incommoda et mala, quorum fomes est monachorum disciplina, abesse a nobis laetamur — etc quid enim opus, vt centies dicta repetantur! At vereor, ne, quamquam hae: in aprico sint omnia, quae disputat acriter et facunde, nihilo minus surdis quam plurimis locutus sit. Vellemus tamen, quo luculentius pateat, quam perniciosa ciuitatibus instituta sint monastica, scriptores, qui hoc sibi probare sumunt et quorum numerus indies maior euadit, rem illam in primis *historia duce ac teste* exploratam facere studerent. Argumentis enim *a priori*, vt aiunt, in huius generis quaestione vix satis magna inest persuadendi et conuincendi potestas.

---

Was

*Was hielte Mohammed von der christlichen Religion? etc.* i. e. Quid iudicauerit Mohammedes de religione Christiana eiusque conditore? Ex archetypo respondet M. GEORG. LAVRENT. BAVER. Norimbergae in typogr. Stiebn. 1782. pag. 94. 8vo.

Vtilem sane operam nauauit cl. BAVER, quod ex Corano omnes locos diligenter collegerit, qui ad Christianam religionem spectant, germanico idiomate donauerit, et doctis obseruationibus illustrauerit. Neque eiusmodi labor ab aliis nondum tentatus fuit. Confer, vt alios taceamus, DAVID. MILLIVM, qui in Dissert. decima inter dissertat. eius selectas Trai. ad Rhen. 1724. editas, de Mohammedismo ante Mohammedem studiose annotauit, quae impostor ille ex N. T. furatus est. In primis, quantum Mohammedes debeat Iudaicis traditionibus, idoneis exemplis demonstrat MILLIVS, inter quae, nisi egregie fallimur, illud etiam deprehenderemus, quod cl. BAVER in dissert. sua inaugurali expositum esse asserit. Quum dissertat. Baueriana nobis ad manus non sit; ipse auctor suum opus cum Milliano conferat. — Locos ipsos auctor noster ita congerit, vt primum eos, qui de Iesu agunt, percenseat. Hunc

Hunc et legem Mosaicam confirmasse et Euangelium praedicasse, et de Mohammede vaticinatum esse, neque ipsum cruci affixum esse, sed phantasma ipsius, et tandem die resurrectionis in terram rediturum esse, Mohammedes contendit. Deinde quid de S. Scriptura Christianorum docuerit, cl. BAVER animaduertit; scilicet vetus nouumque Testamentum a Deo aeque ac Coranum reuelata esse, sed a Iudaeis et Christianis corrupta, praecipee in locis, qui Mohammedem praedicerent. Tertia sectio sistit Christianorum doctrinas, quas Mohammedes approbabat, suoque fidei systemati inserebat. Hic occurrunt doctrinae de Deo et prouidentia, creatione mundi, lapsu hominis, angelis bonis malisque (quorum dux in Corano modo *Satan* modo *Eblis* vocatur, nomine vtroque, vt putamus, biblico. Scilicet Eblis ex *diabolus* corruptum est) poenitentia resurrectione mortuorum, iudicio extremo, vita futura, quae et pios et impios manet. Quarta sectione iudicia Mohammedis de Christianis hominibusque nonnullis inter Christianos celebribus enarrantur. Corollaria hinc quaedam diducuntur, inter quae illud eminet, Mohammedismum, cuius placita plus septies centena millia hominum amplectuntur, ad Christianam religionem forte

tasse

taſſe viam ſtruere, neque ab ea tantopere diſcrepare, quam vulgus arbitratur. Mohammedani certe ad vnum omnes Ieſum legatum Dei venerantur. — Initio libelli ſui refert auctor, ſe animum induxiſſe, Abulpharagii hiſtoriam dynaſtiarum Germanice vertere, locumque de Mohammede agentem ex verſione ſua deſcripſit. Videtur cl. BAVER ad corrigenda et addenda, quae POCOCKIVS operi ſuo adiecit, animum non aduertiſſe. Haec ne praetereat in verſione ſua adornanda, omnino auctores ſuaſoresque ſumus. Sed ingenue fatemur, nobis non pateſcere, quem in vſum haec verſio Germanica conficiatur. Qui enim ex hoc opere proficere volunt, ſine dubio linguam Latinam callent. Quare ſi opus deſideratur, egregia POCOCKII editio potius repetenda videtur, quam verſio vernacula conficienda. Optamus omnino, vt cl. BAVERI labor in vertendo quodam auctore Arabico necdum edito verſetur. Ceterum quum quae ad Mohammedis vitam ſpectant, ex Abulpharagio Germanice deſcripſerit cl. BAVER, lectori fortaſſe non iniucundum erit, ſcire, quae idem auctor in Chronico ſuo Syriaco Mſto, quod penes nos eſt, de celebri hoc homine narrat. En igitur fragmentum *de Mohammedis vita* fideliter a nobis verſum.

„Quum

„Quum Mohamed adhuc iuuenis esset, mortuus est pater eius *Abdallah*, et *Abutaleb*, patruus eius, educauit eum. Vxorem duxit viduam quandam nomine *Chadijah*, quia diues erat. Huius facultatibus et camelis mercaturam exercuit, atque *Tathrebo* (Medina) patria sua in Palaestinam abiit. Quum vero videret Palaestinam variis bonis praeditam esse, et ex Iudaeis, quibuscum conuersabatur, disceret, potentia vnius Dei, et reiecto idolorum cultu terram hanc promissam iis obtigisse: etiam ipse eandem doctrinam desiderauit et popularibus suis persuasit. Quum annos 40 natus esset, et principibus Meccanis allatum fuisset, nouam ab eo doctrinam spargi; persecuti eum sunt, quin mortem minati, nisi ab ea desisteret. Aufugit igitur illinc aliamque vrbem petiit nomine *Yathrebum*, cuius quidem incolae ei obuiam facti et receperunt eum, et auxilium in quacunque re promiserunt. Quare appellati sunt Anzar siue auxiliatores. Hos doctrinam vnius Dei edocuit, hortatusque est, vt vanos Deos relinquerent; simulque puritatem corporum praecepit et loturam, quia tunc Arabes abominabiles erant. Ex illis auxilium sibi parauit, et exploratores in Palaestinam misit. Quumque aliquoties eo duce superiores euasissent, et diuitiis facul-

tatibus-

tibusque onusti feliciter reuersi essent; integro corde ei adhaeserunt. Etiam multi alii, qui de victoria et diuitiis audiuerant, lubenter sese ei subiecerunt. Quum vero multi cum eo coniuncti essent, non ipse amplius ad praedandum egressus est, sed alios copiarum praefectos misit, ipso honorifice in vrbe sua commorante. Qui vero doctrinam eius non recipiebat, illum non argumento sed vi adducebat. Assectis autem ipsius non solum cupiditates carnales et polygamiam cum mulieribus ingenuis et concubinis, et libertatem vxorem repudiandi, quotiescunque vellent, aliamque ducendi, et ieiunium vnius diei vno tantum anni mense, ita, vt totam noctem comederent, concessit, sed etiam affirmauit, in mundo, post resurrectionem futuro, Deum iis, qui doctrinam eius amplecterentur, parauisse flumina mellis, lactis et vini plena, arbores fructibus desiderabilibus onustas, accubitus super lectis aureis et stratis aeneis atque cypressinis, et coniugia cum mulieribus, quae solem ipsum pulcritudine superarent. Quum vero X annos et II menses, postquam vaticinatus esset, vixisset; regnum ipsius ab alio ad alium transiit, creuit, extensum fuit, et comprehendit multas regiones Graecorum, to-

 tumque

tumque regnum Perſicum. Orti ſunt in illis Philoſophi, Mathematici, Medici etc.„

---

D. MARC. ELIES. BLOCH'S, *Arzt zu Berlin — Abhandl. von der Erzeugung der Eingeweidewürmer;* h. e. Commentatio de generatione vermium inteſtinalium ac remediis aduerſus illos, a Soc. reg. ſcient. Haſnienſi coronata. Cum X tabb. aen. Berolin. apud Heſſium, 1782. 4. pagg. 54.

Tandem aliquando incipiunt naturae ſcrutatores a ludicris ad ſeria deflectere, atque luſus ingenii ſui nouaturientis ad vſum vitae accommodare. Quam bene in naturae ſtudio verſatus ſit Cl. BLOCH, conſtat inter omnes. Plaudimus ergo ei ob tam praeclare collocatam operam. Vermes enim inteſtinis hominum et animantium infeſtiſſimi nec ſatis noti ſunt, nec remedia apta tantis tamque variis inde oriundis malis inuenta. Tribus partibus opuſculum doctiſſimum conſtat. Prior fere horum vermium familiam et naturam oſtendit, qui et *lati*, et *rotundi* ſunt. Ad illos refert *ligulam piſcium et auium; faſciolam hepaticam et ſ. collo cylindrico productiori, taeniam,* quam iterum eſſe dicit aut *inarmatam,* con-

constantem XVI. speciebus, aut *armatam*, IIII species complectentem; ad *rotundos* vero pertinent *vermes vesiculares*, (3. sp.) *echinorynchi*, (2. sp.) *ascaris intestinalis*, (4.) *trichuris*, (1.) *gordius*, (3.) *chariophyllus*, (1.) *cuculanus*, (2.) *chaos intestinalis*, (2) quos omnino omnes et figuris nitidis expressit, et vberiori descriptione explicauit, in qua, dubium est, vtrum ingenii vim et diligentiam, an veritatis amorem pluris habeas. — Altera libelli pars in *generatione vermium intestinalium* versatur, qua ostendere annititur, eosdem illos esse non aliunde illatos, sed congenitos, hisce quidem argumentis vsus: quia nunquam extra corpora animantium reperiuntur, immo vero in recens vel nondum natis infantibus, quidam in abdomine, hepate, quo non facile peruenire possent; quia a digestione non destruuntur, sed lacte viuunt ibique augentur, contra extra corpus illico moriuntur; quia singula animantia proprium quoddam vermium genus alunt; quia sine oculis aliisque instrumentis tactus fabrefacti sunt, incredibilem ouulorum copiam continent, plures feminas quam mares referunt, ~~neque in alia animantia~~ se propagari sinunt, neque semper morbos inferunt. Ex his colligitur, hosce vermes intestinales propriam quandam regni animalis classem

[illegible] propofi-
[illegible] quia omnia fem-
per [illegible] materia
[illegible] cibimento
[illegible] genera oftende-
re [illegible] vermibus
[illegible] accommodata do-
[illegible] primo vt vi-
[illegible] potum, cibos
[illegible] et acorem,
[illegible] nec dra-
[illegible] hinc ad incidendam
[illegible] inprimis fal
[illegible] rad. Jalappae co-
[illegible] aquae potus, ad abigendos
vermes [illegible] cum draftico mi-
[illegible] fpecifica remedia, mer-
[illegible] vel eius decoctum aquam, fe-
men [illegible], SVFFERTI, HERRENI,
SCHWANDI et WAGLERI arcana, parum
vel nihil proficere. Bonus ergo GOEZII
praecurfor C. BLOCH eft, eiusque liber a
bibliothecis practicorum abesse nullo modo
poteft.

---

M. VAN PHELSVM *Naturgefchichte der Springwürmer etc.* i. e. hiftoria Afcaridum,

dum, edita a IOH. WEISE, D. medico Altenburg. c. figg. *I. Tom.* Gothae ap. Ettingerum. 1781. 8. pagg. 158. *II Tom.* 1782. pagg. 330.

Nota est, sed rarior, *historia physiologica Ascaridum* (c. fig. aen.) auct. *M. van Phelsum, Med. Doct.* Leouard. 1762. 8. Ei. *historia Ascaridum pathologica*, auct. *M. v. Ph.* Leov. 1769. hinc versio vtilissimi libelli nequaquam superflua. Id vnum dolemus, versionem hanc nec vbiuis fidam, nec lectu facilem, et hinc inde operarum vitiis plenam esse, (id quod tamen ex parte et obscuro scribendi generi, quo auctor vsus est, et argumenti grauitati debetur) deinde nuspiam subiecta esse recentiorum inuenta et correctiones, quas et naturalis ascaridum historia, et pathologica illo abhinc tempore certissime requirit. Mancum ergo et imperfectum opus est, cui supplementa quaeras. Desinat vero in posterum Sosiorum nostrorum vulgus sibi soli sapere, et ex naturae prudentibus ante sciscitentur, quam tale opus aggrediantur, quid factu opus sit.

---

FRANC. MILMAN *Bemerkungen über die Natur und Heilart der Wassersucht;*

constituere, et ita ad quaestionem propositam satis recte respondetur, quia ouula semper ibi inueniantur, vbi nutritionis materia suppetit, et animantia, quae vno cibimento vescuntur, diuersa vermium genera ostendere. — Restat tertia pars, qua *remedia* vermibus profligandis et occidendis accommodata docentur. Haec fere eo redeunt, primo vt vitent homines nimis calidum potum, cibos pituitosos et difficilis materiae, et acorem, deinde vt iterato dentur euacuantia nec drastica, nec iusto leniora. Hinc ad incidendam pituitam commendantur salia, inprimis sal ammoniacus cum rheo vel rad. Ialappae copulatus et copiosus aquae potus, ad abigendos vermes stannum anglicum cum drastico mistum, contra sic dicta specifica remedia, mercurium dulcem vel eius decoctam aquam, semen sabadillae, NVFFERTI, HERRENSCHWANDI et WAGLERI arcana, parum vel nihil proficere. Bonus ergo GOEZII praecursor Cl. BLOCH est, eiusque liber a bibliothecis practicorum abesse nullo modo potest.

---

M. VAN PHELSVM *Naturgeschichte der Springwürmer etc.* i. e. historia Ascaridum,

dum, edita a IOH. WEISE, D. medico Altenburg. c. figg. *I. Tom.* Gothae ap. Ettingerum. 1781. 8. pagg. 158. *II Tom.* 1782. pagg. 330.

Nota est, sed rarior, *historia physiologica Ascaridum* (c. fig. aen.) auct. *M. van Phelsum, Med. Doct.* Leouard. 1762. 8. Ei. *historia Ascaridum pathologica*, auct. *M. v. Ph.* Leov. 1769. hinc versio vtilissimi libelli nequaquam superflua. Id vnum dolemus, versionem hanc nec vbiuis fidam, nec lectu facilem, et hinc inde operarum vitiis plenam esse, (id quod tamen ex parte et obscuro scribendi generi, quo auctor vsus est, et argumenti grauitati debetur) deinde nuspiam subiecta esse recentiorum inuenta et correctiones, quas et naturalis ascaridum historia, et pathologica illo abhinc tempore certissime requirit. Mancum ergo et imperfectum opus est, cui supplementa quaeras. Desinat vero in posterum Sosiorum nostrorum vulgus sibi soli sapere, et ex naturae prudentibus ante sciscitentur, quam tale opus aggrediantur, quid factu opus sit.

---

FRANC. MILMAN *Bemerkungen über die Natur und Heilart der Wassersucht;*

h. e. obſeruata de natura et medela hydropis; vertit e Lat. L. C. SEGER, A. M. D. Brunouici ex off. orphanotroph. 1782. 8. 134 pagg.

Latine prodiit iſte doctus ac vtilis libellus praeterito anno, nec indignus erat verſione theotiſca. Eſt enim auctor noſter, ſi quis alius, praeco non vltimus medendi viae, quam hydropi aptiſſimam dixerat BACHERVS, i. e. per potulenta attenuantia et copioſe data cum diureticis et pilulis tonicis copulata. Inuenient ergo lectores, quae cum ad naturam morbi diri perſpiciendam, tum ad cauſarum recenſum rite aeſtimandum et ad curationem dextre abſoluendam vllo modo pertinere videantur. Praeter haec vero docte oſtendit auctor noſter, quam male auctores noſtri HIPPOCRATEM explicarint, quaſi vero is humectantibus prorſum interdixiſſet. Solebat enim diuus ſenex hydropi mederi duplici via, aut medicamentis, aut victu. Hic exſiccantia ſuadet; ibi attenuantia et ptiſanas iubet, vt corpus bene praeparatum ad medicinae potionem ſit. Ex his intelligitur, non male agere noſtros medicos, ſi vel ipſum ſenem eiusque ſequaces adeant, quia iſta lectio, (expertus dico) multum vtilitatis parere ſolet, certe acuere iudicium, ſine quo felix

forta-

fortunatusque practicus nemo esse potest. Sub finem addita est formula *pilularum tonicarum* BACHERI, quae extracto hellebori nigri, myrrha et carduo benedicto puluerif. constant, et salutares effectus hoc in morbo debellando edidisse dicuntur.

---

*Versuch über den Plan, den der Stifter der christlichen Religion zum Besten der Menschen entwarf;* h. e. de consilio, quod pro salute humani generis auctor religionis Christianae cepit. Wittebergae et Seruestae, sumtu Zimmermanni, pagg. 167. 8. 1782.

Auctor libri huius memorabilis est V. Cl. FRANC. VOLKM. REINHARD, Philos. Prof. apud Witebergenses, qui ante annum hoc argumentum libello academico, latine scripto, tractauit, quod nunc, precibus multorum commotus, maioris vtilitatis gratia lingua patria donauit. Nouum plane genus apologiae pro christiana religione est, quod auctor tradit, et quia quodlibet verum, quo magis illustratur, eo certius perspicitur, non tenue profecto meritum videri debet, quod sibi adquisiuit. Quum enim peruulgata esset hucusque ratio, auctoritatem religionis Christianae,

vel ex indole animi, qua Iesus erat, vel ex operibus, quae efficiebat, vel ex vtilitate doctrinae ipsius, quam proponebat, vel ex felicitate, quae inde in orbem terrarum redundauit, demonstrandi; A. noster aliud ingressus est iter ostendendo, *finem* illum, quem Iesus intenderet, eum a Deo missum, Deique inter homines esse interpretem, testari. Namque ille finis non vnum et alterum hominem, vel vnum aut alterum ordinem hominum, vel vnicum terrae tractum, vel hoc et aliud tempus spectabat; sed erat, si quis alius, generalis et infinitus; homines omnino omnes complectebatur, et felicitati omnium per omnia secula promouendae prospiciebat. Atque tale quidem consilium quum ingenti vim plane infinitam, eximiam animi magnitudinem et sapientiam, beneuolentiam vere diuinam, admirandam fortitudinem et constantiam in illo fuisse, testetur: Iesum sane hominum maximum et vere diuinum habendum esse, planissimum est. — Auctor multa mentis perspicacia, multaque interdum eloquentia hoc argumentum persequitur. Demonstrat primo, qualis fuerit scopus ille vniuersalis, quem Iesus sibi proposuerit, scilicet homines omnes virtute ab ipsis exercenda ad summam felicitatem perducendi, atque propterea mentem illorum

doctrina diuina, de Deo, eiusque prouidentia, de vita futura cet., illuminandi, recti studium inculcandi, et mutuum inter illos amorem accendendi. Docet porro, neminem ante Iesum tale quid sibi excogitasse; omnes enim populos tum aut rudes et barbaros fuisse, aut patriae tantum amore affectos, verae humanitatis autem plane ignaros et expertes, adeoque et viros illos magnos, qui inter eos floruissent praeclare meritorum gloria, de popularibus tantum suis bene mereri studuisse aut vtcumque meritos esse. Recenset hic sigillatim antiquos ciuitatum statores, legumlatores, patriae vindices, imperatores, reges et philosophos, quorum nullus tam vniuersim, tam benigne, tamque e longinquo prodesse studuit, quam Iesus. Comparat igitur cum eo omnes hos nominatim, atque haec fere libri pars praecipua est, eruditionemque pariter atque acumen et aequitatem amabilem Auctoris comprobat. Perlecta autem hac inductione nihil apertius est, quam quod inde infertur, Iesum nempe virum sine exemplo, et legatum coelitus missum esse. Namque illud consilium eius, quod nulli mortalium in mentem venit, non cogitatione modo conceptum, sed etiam re vera inchoatum, et magna sui parte iam perfectum est; animi etiam virtu-

 tes

Hunc et legem Mosaicam confirmasse et Euangelium praedicasse, et de Mohammede vaticinatum esse, neque ipsum cruci affixum esse, sed phantasma ipsius, et tandem die resurrectionis in terram rediturum esse, Mohammedes contendit. Deinde quid de S. Scriptura Christianorum docuerit, cl. BAVER animaduertit; scilicet vetus nouumque Testamentum a Deo aeque ac Coranum reuelata esse, sed a Iudaeis et Christianis corrupta, praecipee in locis, qui Mohammedem praedicerent. Tertia sectio sistit Christianorum doctrinas, quas Mohammedes approbabat, suoque fidei systemati inserebat. Hic occurrunt doctrinae de Deo et prouidentia, creatione mundi, lapsu hominis, angelis bonis malisque (quorum dux in Corano modo *Satan* modo *Eblis* vocatur, nomine vtroque, vt putamus, biblico. Scilicet Eblis ex *diabolus* corruptum est) poenitentia resurrectione mortuorum, iudicio extremo, vita futura, quae et pios et impios manet. Quarta sectione iudicia Mohammedis de Christianis hominibusque nonnullis inter Christianos celebribus enarrantur. Corollaria hinc quaedam diducuntur, inter quae illud eminet, Mohammedismum, cuius placita plus septies centena millia hominum amplectuntur, ad Christianam religionem fortasse

tasse viam struere, neque ab ea tantopere discrepare, quam vulgus arbitratur. Mohammedani certe ad vnum omnes Iesum legatum Dei venerantur. — Initio libelli sui refert auctor, se animum induxisse, Abulpharagii historiam dynastiarum Germanice vertere, locumque de Mohammede agentem ex versione sua descripsit. Videtur cl. BAVER ad corrigenda et addenda, quae POCOCKIVS operi suo adiecit, animum non aduertisse. Haec ne praetereat in versione sua adornanda, omnino auctores suasoresque sumus. Sed ingenue fatemur, nobis non patescere, quem in vsum haec versio Germanica conficiatur. Qui enim ex hoc opere proficere volunt, sine dubio linguam Latinam callent. Quare si opus desideratur, egregia POCOCKII editio potius repetenda videtur, quam versio vernacula conficienda. Optamus omnino, vt cl. BAVERI labor in vertendo quodam auctore Arabico necdum edito versetur. Ceterum quum quae ad Mohammedis vitam spectant, ex Abulpharagio Germanice descripserit cl. BAVER, lectori fortasse non iniucundum erit, scire, quae idem auctor in Chronico suo Syriaco Msto, quod penes nos est, de celebri hoc homine narrat. En igitur fragmentum *de Mohammedis vita* fideliter a nobis versum.

„Quum

Hunc et legem Mosaicam confirmasse et Euangelium praedicasse, et de Mohammede vaticinatum esse, neque ipsum cruci affixum esse, sed phantasma ipsius, et tandem die resurrectionis in terram rediturum esse, Mohammedes contendit. Deinde quid de S. Scriptura Christianorum docuerit, cl. BAVER animaduertit; scilicet vetus nouumque Testamentum a Deo aeque ac Coranum reuelata esse, sed a Iudaeis et Christianis corrupta, praecipee in locis, qui Mohammedem praedicerent. Tertia sectio sistit Christianorum doctrinas, quas Mohammedes approbabat, suoque fidei systemati inserebat. Hic occurrunt doctrinae de Deo et prouidentia, creatione mundi, lapsu hominis, angelis bonis malisque (quorum dux in Corano modo *Satan* modo *Eblis* vocatur, nomine vtroque, vt putamus, biblico. Scilicet Eblis ex *diabolus* corruptum est) poenitentia resurrectione mortuorum, iudicio extremo, vita futura, quae et pios et impios manet. Quarta sectione iudicia Mohammedis de Christianis hominibusque nonnullis inter Christianos celebribus enarrantur. Corollaria hinc quaedam diducuntur, inter quae illud eminet, Mohammedismum, cuius placita plus septies centena millia hominum amplectuntur, ad Christianam religionem forsan

tasse

tasse viam struere, neque ab ea tantopere discrepare, quam vulgus arbitratur. Mohammedani certe ad vnum omnes Iesum legatum Dei venerantur. — Initio libelli sui refert auctor, se animum induxisse, Abulpharagii historiam dynastiarum Germanice vertere, locumque de Mohammede agentem ex versione sua descripsit. Videtur cl. BAVER ad corrigenda et addenda, quae POCOCKIVS operi suo adiecit, animum non aduertisse. Haec ne praetereat in versione sua adornanda, omnino auctores suasoresque sumus. Sed ingenue fatemur, nobis non patescere, quem in vsum haec versio Germanica conficiatur. Qui enim ex hoc opere proficere volunt, sine dubio linguam Latinam callent. Quare si opus desideratur, egregia POCOCKII editio potius repetenda videtur, quam versio vernacula conficienda. Optamus omnino, vt cl. BAVERI labor in vertendo quodam auctore Arabico necdum edito versetur. Ceterum quum quae ad Mohammedis vitam spectant, ex Abulpharagio Germanice descripserit cl. BAVER, lectori fortasse non iniucundum erit, scire, quae idem auctor in Chronico suo Syriaco Msto, quod penes nos est, de celebri hoc homine narrat. En igitur fragmentum *de Mohammedis vita* fideliter a nobis versum.

„Quum

„Quum Mohamed adhuc iuuenis esset, mortuus est pater eius *Abdallah*, et *Abutaleb*, patruus eius, educauit eum. Vxorem duxit viduam quandam nomine *Chadijah*, quia diues erat. Huius facultatibus et camelis mercaturam exercuit, atque *Tathrebo* (Medina) patria sua in Palaestinam abiit. Quum vero videret Palaestinam variis bonis praeditam esse, et ex Iudaeis, quibuscum conuersabatur, disceret, potentia vnius Dei, et reiecto idolorum cultu terram hanc promissam iis obtigisse: etiam ipse eandem doctrinam desiderauit et popularibus suis persuasit. Quum annos 40 natus esset, et principibus Meccanis allatum fuisset, nouam ab eo doctrinam spargi: persecuti eum sunt, quin mortem minati, nisi ab ea desisteret. Aufugit igitur illinc aliamque vrbem petiit nomine *Tathrebum*, cuius quidem incolae ei obuiam facti et receperunt eum, et auxilium in quacunque re promiserunt. Quare appellati sunt Anzar siue auxiliatores. Hos doctrinam vnius Dei edocuit, hortatusque est, vt vanos Deos relinquerent; simulque puritatem corporum praecepit et loturam, quia tunc Arabes abominabiles erant. Ex illis auxilium sibi parauit, et exploratores in Palaestinam misit. Quumque aliquoties eo duce superiores euasissent, et diuitiis facultatibus-

tatibusque onusti feliciter reuersi essent; integro corde ei adhaeserunt. Etiam multi alii, qui de victoria et diuitiis audiuerant, lubenter sese ei subiecerunt. Quum vero multi cum eo coniuncti essent, non ipse amplius ad praedandum egressus est, sed alios copiarum praefectos misit, ipso honorifice in vrbe sua commorante. Qui vero doctrinam eius non recipiebat, illum non argumento sed vi adducebat. Asseclis autem ipsius non solum cupiditates carnales et polygamiam cum mulieribus ingenuis et concubinis, et libertatem vxorem repudiandi, quotiescunque vellent, aliamque ducendi, et ieiunium valus diei vno tantum anni mense, ita, vt totam noctem comederent, concessit, sed etiam affirmauit, in mundo, post resurrectionem futuro, Deum iis, qui doctrinam eius amplecterentur, parauisse flumina mellis, lactis et vini plena, arbores fructibus desiderabilibus onustas, accubitus super lectis aureis et stratis aeneis atque cypressinis, et coniugia cum mulieribus, quae solem ipsum pulcritudine superarent. Quum vero X annos et II menses, postquam vaticinatus esset, vixisset; regnum ipsius ab alio ad alium transiit, creuit, extensum fuit, et comprehendit multas regiones Graecorum, to-

conſtituere, et ita ad quaeſtionem propoſitam ſatis recte reſpondetur, quia ouula ſemper ibi inueniantur, vbi nutritionis materia ſuppetit, et animantia, quae vno cibimento veſcuntur, diuerſa vermium genera oſtendere. — Reſtat tertia pars, qua *remedia* vermibus profligandis et occidendis accommodata docentur. Haec fere eo redeunt, primo vt vitent homines nimis calidum potum, cibos pituitoſos et difficilis materiae, et acorem, deinde vt iterato dentur euacuantia nec draſtica, nec iuſto leniora. Hinc ad incidendam pituitam commendantur ſalia, inprimis ſal ammoniacus cum rheo vel rad. Ialappae copulatus et copioſus aquae potus, ad abigendos vermes ſtannum anglicum cum draſtico mixtum, contra ſic dicta ſpecifica remedia, mercurium dulcem vel eius decoctam aquam, ſemen ſabadillae, NVFFERTI, HERREN, SCHWANDI et WAGLERI arcana, parum vel nihil proficere. Bonus ergo GOEZII praecurſor Cl. BLOCH eſt, eiusque liber a bibliothecis practicorum abeſſe nullo modo poteſt.

---

M. VAN PHELSUM *Naturgeſchichte der Springwürmer etc.* i. e. hiſtoria Aſcaridum,

dum, edita a IOH. WEISE, D. medico Altenburg. c. figg. *I. Tom.* Gothae ap. Ettingerum. 1781. 8. pagg. 158. *II Tom.* 1782. pagg. 330.

Nota est, sed rarior, *historia physiologica Ascaridum* (c. fig. aen.) auct. *M. van Phelsum, Med. Doct.* Leouard. 1762. 8. Ei. *historia Ascaridum pathologica*, auct. *M. v. Ph.* Leov. 1769. hinc versio vtilissimi libelli nequaquam superflua. Id vnum dolemus, versionem hanc nec vbiuis fidam, nec lectu facilem, et hinc inde operarum vitiis plenam esse, (id quod tamen ex parte et obscuro scribendi generi, quo auctor vsus est, et argumenti grauitati debetur) deinde nuspiam subiecta esse recentiorum inuenta et correctiones, quas et naturalis ascaridum historia, et pathologica illo abhinc tempore certissime requirit. Mancum ergo et imperfectum opus est, cui supplementa quaeras. Desinat vero in posterum Sosiorum nostrorum vulgus sibi soli sapere, et ex naturae prudentibus ante scitcitentur, quam tale opus aggrediantur, quid factu opus sit.

---

FRANC. MILMAN *Bemerkungen über die Natur und Heilart der Wassersucht;*

h. e. obseruata de natura et medela hydropis; vertit e Lat. L. C. SEGER, A. M. D. Brunouici ex off. orphanotroph. 1782. 8. 134 pagg.

Latine prodiit iste doctus ac vtilis libellus praeterito anno, nec indignus erat versione theotisca. Est enim auctor noster, si quis alius, praeco non vltimus medendi viae, quam hydropi aptissimam dixerat BACHERVS, i. e. per potulenta attenuantia et copiose data cum diureticis et pilulis tonicis copulata. Inuenient ergo lectores, quae cum ad naturam morbi diri perspiciendam, tum ad causarum recensum rite aestimandum et ad curationem dextre absoluendam vllo modo pertinere videantur. Praeter haec vero docte ostendit auctor noster, quam male auctores nostri HIPPOCRATEM explicarint, quasi vero is humectantibus prorsum interdixisset. Solebat enim diuus senex hydropi mederi duplici via; aut medicamentis, aut victu. Hic exsiccantia suadet; ibi attenuantia et ptisanas iubet, vt corpus bene praeparatum ad medicinae potionem sit. Ex his intelligitur, non male agere nostros medicos, si vel ipsum senem eiusque sequaces adeant, quia ista lectio, (expertus dico) multum vtilitatis parere solet, certe acuere iudicium, sine quo felix

fortu-

fortunatusque practicus nemo esse potest. Sub finem addita est formula *pilularum tonicarum* BACHERI, quae extracto hellebori nigri, myrrha et carduo benedicto puluerisl. constant, et salutares effectus hoc in morbo debellando edidisse dicuntur.

---

*Versuch über den Plan, den der Stifter der christlichen Religion zum Besten der Menschen entwarf;* h. e. de consilio, quod pro salute humani generis auctor religionis Christianae cepit. Wittebergae et Seruestae, sumtu Zimmermanni, pagg. 167. 8. 1782.

Auctor libri huius memorabilis est V. Cl. FRANC. VOLKM. REINHARD, Philos. Prof. apud Witebergenses, qui ante annum hoc argumentum libello academico, latine scripto, tractauit, quod nunc, precibus multorum commotus, maioris vtilitatis gratia lingua patria donauit. Nouum plane genus apologiae pro christiana religione est, quod auctor tradit, et quia quodlibet verum, quo magis illustratur, eo certius perspicitur, non tenue profecto meritum videri debet, quod sibi adquisiuit. Quum enim peruulgata esset hucusque ratio, auctoritatem religionis Christianae,

vel ex indole animi, qua Iesus erat, vel ex operibus, quae efficiebat, vel ex vtilitate doctrinae ipsius, quam proponebat, vel ex felicitate, quae inde in orbem terrarum redundauit, demonstrandi; A. noster aliud ingressus est iter ostendendo, *finem* illum, quem Iesus intenderet, eum a Deo missum, Deique inter homines esse interpretem, testari. Namque ille finis non vnum et alterum hominem, vel vnum aut alterum ordinem hominum, vel vnicum terrae tractum, vel hoc et aliud tempus spectabat; sed erat, si quis alius, generalis et infinitus; homines omnino omnes complectebatur, et felicitati omnium per omnia secula promouendae prospiciebat. Atque tale quidem consilium quum ingenii vim plane infinitam, eximiam animi magnitudinem et sapientiam, beneuolentiam vere diuinam, admirandam fortitudinem et constantiam in illo fuisse, testetur: Iesum sane hominum maximum et vere diuinum habendum esse, planissimum est. — Auctor multa mentis perspicacia, multaque interdum eloquentia hoc argumentum persequitur. Demonstrat primo, qualis fuerit scopus ille vniuersalis, quem Iesus sibi proposuerit, scilicet homines omnes virtute ab ipsis exercenda ad summam felicitatem perducendi, atque propterea mentem illorum

doctrina diuina, de Deo, eiusque prouidentia, de vita futura cet., illuminandi, recti studium inculcandi, et mutuum inter illos amorem accendendi. Docet porro, neminem ante Iesum tale quid sibi excogitasse; omnes enim populos tum aut rudes et barbaros fuisse, aut patriae tantum amore affectos, verae humanitatis autem plane ignaros et expertes, adeoque et viros illos magnos, qui inter eos floruissent praeclare meritorum gloria, de popularibus tantum suis bene mereri studuisse aut vtcumque meritos esse. Recenset hic sigillatim antiquos ciuitatum statores, legumlatores, patriae vindices, imperatores, reges et philosophos, quorum nullus tam vniuersim, tam benigne, tamque e longinquo prodesse studuit, quam Iesus. Comparat igitur cum eo omnes hos nominatim, atque haec fere libri pars praecipua est, eruditionemque pariter atque acumen et aequitatem amabilem Auctoris comprobat. Perlecta autem hac inductione nihil apertius est, quam quod inde infertur, Iesum nempe virum sine exemplo, et legatum coelitus missum esse. Namque illud consilium eius, quod nulli mortalium in mentem venit, non cogitatione modo conceptum, sed etiam re vera inchoatum, et magna sui parte iam perfectum est; animi etiam virtu-

tes ſupponit, quae humanam facultatem plane ſuperant; neque ab vllo vmquam homine, e nulla ſapientiae ſchola hauriri, vnice a Deo ipſo proficiſci potuit. — Nemo facile erit, quin magnam ex hoc libro capiat voluptatem, ſcilicet aptiſſime ac venuſte ſcripto; nemo etiam, niſi plane durus et pertinax veri oſor, quin hoc vno libello perlecto amare diſcat et venerari Chriſti diſciplinam.

H. B.

---

*Symbolae ad interpretationem ſacri codicis Vol. I. Faſcic. I. qui continet obſeruationes in Cantic. Cantic.* auctore GEO. ALEX. RVPERTI, Gymn. Stadenſis Conr. Gottingae ap. Io. Chriſt. Dieterich. 1782. 8. p. 114.

In hac penuria iuuenum academicorum, qui grauioribus literis operam nauant ſtrenuam, ſumma cum animi voluptate incidimus in egregium hunc et excellentem diſciplinae Heynianae alumnum, qui, quantos in literis politioribus, praecipue Orientalibus, progreſſus fecerit, quot et quam vtiles libros diligenti manu verſauerit, quantum ab eo in poſterum exſpectandum ſit, erudito hoc ſpecimine declarauit. Syrum interpretem, quem ceteri

Cantici

Cantici Canticor. commentatores fere neglexerant, sollerter contulit; atque ex IONESII, doctissimi Angli, nunquam satis admirandis commentariis Poes. Asiat. tum Arabum tum Persarum poemata ad Hebraicum hoc Idyllium, vel potius Idylliorum syllogen illustrandam adhibet; vt de multis aliis subsidiis, quae in vsus suos vocauit, taceamus. Quam pag. 88. profert punctorum emendationem in voce אַפִּיקֵי, pro qua efferre suadet אֲפִיקֵי, *scaturigo aquae* a נפק *egressus est*, iam inuenies apud summum MICHAELEM Orient. Bibl. T. XII. p. 150. Bis spe excidisse se, quam de Bibliis Kennicottian. conceperat, queretur auctor. Nam VI, 11. pro אגוז codicum nullus prae se fert גוז; neque id mirum. Quum גוז nullibi in sacro codice exstet; אגוז et גוז a scribis permutari non potuerunt. Deinde הסתר non repertum fuit in codicum quopiam pro הַסְתָר, licet haec varia vocis lectio in Pentateucho obtineat.

---

D'ANVILLE *Handbuch der mittlern Erdbeschreibung;* i. e. liber manualis Geographiae medii aeui, siue eorum statuum, qui post interitum regni Romani orti sunt, cum mappa geograph. Norimber-

rimbergae in taberna Schneideriana. 1782. 8. p. 260.

Tuetur Norimberga laudem, quam sibi dudum apud eruditos peperit, quod nempe bonarum mapparum librorumque ad Geographiam spectantium officinas habet instructissimas. Mappis Danuillianis, orbis antiqui faciem describentibus, quas vna cum commentariis ibi prodiisse constat, nunc peropportune accessit hic, in quo, qualis postea facta sit terrarum conditio, exstincto nempe imperio Romano, conditio, et sermone enarratur et in tabula picta ob oculos ponitur. Non opus est dotes et virtutes libri archetypi fuse persequi; illae enim dudum eruditis innotuerunt. Prodierat primum a. 1771. ita inscriptus: *Etats formés en Europe après la chute de l'empire Romain en Occident.* Quare et versionis huius Germanicae inscriptio latior est, et plura promittit, quam ipse liber continet. Non enim omnem aeui medii geographiam, neque adeo omnium regnorum, quae post Romanum orta sunt, notitiam dedit, sed prouinciae, quarum descriptio datur, sequentes sunt: Germania, Francia, Italia, Hispania, Britannia. Hae quibus finibus inclusae, quibus populis cultae, quos rectores et quam rei publicae rationem nactae, quas expertae sint

successu

successu temporis mutationes et conuersiones rerum, vt haec, quae nunc est, illarum forma emergeret, hoc potissimum ex historicis illorum temporum disquisiuit auctor. Interpres officio suo bene satisfecisse videtur, nisi quod vellemus, accuratius paullo laudasset scriptorum testimonia, quam Francogallus fecerat. Haec enim per totum librum vage admodum, nominatis in vniuersum scriptoribus, adducuntur; saepe etiam ad monumenta et diplomata prouocatur, et incertus remittitur lector, vbi demum illa deprehendere possit. Nec magni momenti sunt notulae, passim ab interprete adiectae. Bene autem fecit quod DANVILLII scriptum: *Considerations generales a l'etude et les connoissances, que demande la composition des ouvrages de Geographie à Paris 1777.* in compendium redegit, et instar praefationis auctoris libro praemisit. Promittit tandem, se duo alia eiusdem summi Geographi opuscula, quae de Turcico et Russico regno agunt, et pariter ad Geographiam medii aeui pertinent, tanquam alteram huius operis partem, editurum esse.

---

D. CHRISTPH. GOTTWALDTS *physicalisch - anatomische Bemerkungen über*

*die*

*die Schildkröten;* h. e. de testudinibus, obseruata physico-anatomica. Norimb. ap. Raspium. 1781. 4. pagg. 32.

EIVSDEM *phys. anat. Bemerkungen über den Biber;* h. e. de castore, obs. phys. anatom. ib. ap. eund. 1782. 4. pagg. 31.

Gratissimos fore hosce libellos historiae naturalis scrutatoribus, certissima spes est. Etsi enim ab medico Gedanensi praeteriti seculi profecti sunt; continent tamen multa et oculis subiiciunt, quae ad penitiorem horum animalium fabricam perspiciendam. Sistuntur enim testudinis et castoris partes externae et internae, vt facile inde colligere possis, multum horum libellorum lectionem figurarumque perlustrationem conferre debere cum ad sapientiam creatoris admirandam, tum ad laetiores progressus intelligendos, quos fecimus inde ab obitu auctoris in naturae inuestigatione. Restant reliquiae conchyliologicae, quae, vt breui cum cupidis talium rerum communicentur, sine dubio optandum, praesertim si Cl. SCHROETER, vt spes est, hac in parte recentiorum inuenta addiderit.

---

*Der Arzt für Liebhaber der Schönheit;* h. e. Medicus femellarum pulchritudini consu-

consulens. Heidelberg. ap. Pfählerum. 1781. 8. pagg. 248.

Piaculum meruisse viderer, si sicco, quod aiunt, pede tam elegantem opellam transire vellem. Insunt enim haud spernenda praecepta pulchritudinis et conseruandae, et restituendae medicinis non insalubribus, ideoque de pulchritudinis sensu generatim, de statura iusta, cute, pilis, oculis atque supercilio, naso, ore animaeque foetore, dentibus, habitu corporis externo, vnguibus manuum et pedum, suauiter, haud raro affectate, disseritur. Quae medici iunioris (talis enim auctor esse videtur) monita si cognita sibi reddere ac sequi velint virgines et vxores, iuuenes atque mariti, habebunt fortasse, vnde aliquando sibi plaudant. Nimis enim huius ornamenti vel negligentes, vel curiosae sunt femellae, et magis illicita sanitatique aduersa remedia adhibere gestiunt. Ecquid vero magis ore minio tincto et dentium carie ridiculum est?

---

*Opera omnia Sanctorum Patrum Graecorum graece et latine. Volumen XI.* Wirceb. ex offic. Stahel. 1783. pagg. 482.

*Opera omnia Sanctorum Patrum Latinorum. Volumen IV.* ib. 1782. pagg. 604.

Prius

Prius horum voluminum exhibet *Origenis* operum *tomum quintum*, nimirum Commentaria, Selecta et Homilias in Genesin, et in Exodum, latine; posterius *Cypriani* operum *tomum secundum*, in quo primum comparent reliqua, quae huic scriptori tribuuntur, deinde quatuor appendices. In illis *testimoniorum libros tres* excipit *exhortatio ad poenitentiam*, in Cypriani editionibus antea nondum repertus liber, huc vero relatus ex IO. CHRYSOST. TROMBELLII anecdotis Patrum Latinorum opusculis. (Vol. II. Bonon. 1751.) Videtur et nobis haec *exhortatio* Cypriani esse, ob insignem cum *testimoniorum* libris similitudinem, adeoque cum his plane vnum opus efficere. Neque illa contemnenda est prorsus, quippe vetustae versionis portionem sistens non tenuem. — Prima appendix comprehendit ea, quae RIGALTIVS et MARANVS cum Cypriani operibus vulgarunt; secunda Cypriani Antiocheni, quae putantur; tertia Nouatiani opuscula duo; quarta denique Minucii Felicis Octauium. Adiecta est praecipua lectionis varietas. Proxime, vt accepimus, insequentur Eusebii et Athanasii e Graecis, Arnobii et Lactantii e Latinis Patribus opera. Spem quoque facit editor, Ven. OBERTHÜR, recudendae *Conciliorum* coll. Mansian.

Die

*Die neuesten Entdeckungen in der Chemie;* h. e. Nouissime inuenta chemica, collecta a D. LAVRENTIO CRELL etc. *T. IIII. et V.* Lipsiae apud Weygandum. 1782. cum tabula aenea.

Continentur in *quarto* volumine I. KOESTLINI descriptio follis ad experimenta chemica vtilis, quem tabula adiecta exhibet. II. Cel. LICHTENSTEINII additamenta ad historiam salis, ex gummi benzoino parati. Enarratur, qua ratione in hoc sal agunt ignis, aer, aqua, sal acidum vitrioli, nitri, salis communis, plantarum, acidum pinguedinis et formicarum, sal succini, acidum sulphuris volatile et phosphori, spiritus vini, sal alcalinum fixum plantarum et fossile, sal alcalinum volatile, et quomodo sal benzoinum agat in terram calcis, terram salis amari, aluminis, syrupum violarum et pigmentum, quod laccam musicam vocant. III. ILSEMANNI experimenta cum magnesia vitriariorum pura, radiata et splendente Ilfeldensi capta, et ex ea parata materia metallica. Ex quatuor vnciis huius magnesiae cum vncia et dimidia calcis totidemque spati ignis ope in vitrum abeuntis, vncia vna pulueris carbonum et quatuor vnciis salis communis igne forti per horam et dimidiam fusis, septuaginta sex grana metalli

coloris cuprei, sex grana metalli coloris ferrei, et vtriusque huius materiae metallicae ex centum et decem libris magnesiae, libras quatuor et dimidiam obtinuit. Maxima pars prioris metalli cuprum erat, et posterius ferrum continebat. IIII. V. VI. HEYERI experimenta cum Anemone Pulsatilla L. Lepidio satiuo L. et Teucrio Maro L. capta. Ex priori planta materia camphorae similis separata est. VII. WESTRVMIVS, pharmacopoeus Hamelensis, ex sale communi, magnesia vitriariorum, spiritu vini et oleo vitrioli aliquot guttas naphthae salis parauit. Auctor sibi persuadet, acidum salis ideo haud facile cum spiritu vini in naphtham mutari posse, quia multum φλογιςου contineret. At enim vero, non perpendet, acidum nitri multo maiorem modum illius continere, et facillime cum spiritu vini in naphtham abire. Non maior φλογιςου, sed aquae modus in acido salis contentus caussa est, cur difficile cum spiritu vini intime misceri queat. VIII. HAGEMANNI, pharmacopolae Bremensis, obseruationes de colore caeruleo gummi guaiaci. Puluerem huius gummi vitro inclusum et lucis radiis expositum ad caeruleum colorem quodammodo accessisse, obseruauit. Tota obseruatio demonstrat, eius auctorem nec in physica, nec

in

in chemia esse versatum, et plura ad chemicum pertinere, quam res miscere, et ea, quae sensibus se obtulerunt, notare, vti sibi hodie multi persuadent. Iam non lubet ea repetere, quae in Commentariis literariis anni 1781. pag. 588 seq. exposui, ex quibus adparet, cur bonum et acido nitri caustico non inquinatum spiritum nitri dulcem obtinere non potuerit. Eiusmodi purus spiritus nitri dulcis, id quod me et auditores meos experientia saepius repetita docuit, a resina guaiacana non fit caeruleus. Color itaque caeruleus admixto spiritu nitri dulci exoriens certe testatur, acidum nitri causticum ei inesse, nam de hoc solo, non de quouis nitri acido sermo fuit, id quod ex experimento in Commentariis liter. anni 1779. p. 746. et in diarii chemici parte quarta p. 248. in medium promto, cuiuis chemico patebit. VIIII. TILEBEINIVS in aqua destillata seminis Apii Petroselini L. post quinque hebdomades crystallos virides minores reperit. FABITZKIVS iam anno 1754. eiusmodi crystallos floribus benzoes similes durante destillatione sublimari obseruauit. X. III. ABICHIVS e duabus vnciis zinci, ter per aliquot horas in igne retentis, duas vncias et dimidiam calcis eius obtinuit. — Sequuntur excerpta ex literis ad Ill. Editorem datis, ex

commentariis societatis regiae Suecicae, Harlemensis et medicorum Parisiensium, nec non recensiones librorum chemici argumenti. Ad caussam incrementi ponderis nonnullarum calcium metallicarum inquirendam III. Editor zinci calcem acido salis φλογιςῳ priuato soluere, et ea, quae durante solutione adscendunt, colligere suadet.

In eiusdem libri parte *quinta* occurrunt I. WIGLEBII inquisitio chemica halosachnes. In vncia vna eius, terrae siliceae drachmas quatuor et viginti grana, et quatuor drachmas et octo grana terrae salis amari reperit. II. Epitome orationis Cel. STORRII de commodis, quae ex chemica illustratione naturae ignis et aeris in medicinam redundant. III. HERMSTADII inquisitio chemica sacchari lactis, quod ex acido sacchari, pauca terra calcarea et φλογιςῳ mixtum esse, docet. IIII. Modus naphtham nitri secundum methodum Fischerianam seu Blackianam parandi. Commendat hanc methodum pharmacopoeis auctor anonymus. Sed obseruent medicinam facientes, an cunctas vires, quibus altera, absque aquae admissione parata naphtha nitri, praedita est, habeat. Ego saepe differentiam efficacitatis, in primis in spasmis leniendis, saepius obseruaui, cuius caussam

che-

chemici facile perspicient. V. BINDHEIMIVS nonnulla experimenta, quae cum magnesia vitriariorum cum nitro igne liquata cepit, descripsit. VI. BERNIGAVII, concionatoris Megapolitani, experimenta ad acidum in aere reperiundum spectantia. Sal lixiuum plantarum purum in aere exposuit, et ex eo, adfuso oleo vitrioli acidum separauit, in quo ferrum soluit, et hoc admista lixiuia sanguinis caustica, non caeruleo sed fusco colore praecipitauit. VII. Eiusdem inquisitio salis medii, quod in cineribus clauellatis reperiri solet. Hoc sal medium boraci simile esse putat, ex quo adhibitis acidis sal fere insipidum extraxit, quod ad naturam salis Hombergiani quodammodo accedit. VIII. ILSEMANNVS pyrophorum ex alumine, sale tartari et puluere carbonum parare docet, et si ignem concipere nolit, aliquot guttas acidi nitri, vel flores sulphuris, vel puluerem pyrium admiscere suadet. VIIII. Ill. Editoris experimenta cum spiritu salis dulci WESTRVMII capta. Periculi expers esse remedium, easdemque vires medicas habere, perhibet. Praeter excerpta ex literis chemicorum et monumentis societatis medicorum Parisiensium atque academiae Parisiensis, nec non

recensiones librorum chemicorum, consilia nonnulla et noua chemica adiecta sunt.

Bo.

---

*Vorstellung der Gestirne auf XXXIV Kupfertafeln, nach der Pariser Ausgabe des Flamsteadischen Himmelsatlas;* h. e. Noua et aucta editio Atlantis coelestis Flamsteadiani, auctore Cel. BODIO, Astronomo Berolinensi. Berolini et Stalsundii redemtore Langio. XI plagulae forma quaterna oblonga maiori, tabb. XXXIV aeri incisae, 9 pollices rhenol. fere longae, 7 fere latae.

Atlas coelestis Flamsteadianus, qui a. 1729. Londini 28 plagg. formae maximae prodiit, praestantissimus quidem erat, sed ob pretium non omnibus parabilis; vnde bono consilio FORTINVS Parisiis a. 1776. nouam editionem forma minori parauit, in qua simul loca fixarum ad a. 1780. accommodauit, et delineationem stellarum australium, a DELACALLIO obseruatarum, aliamque addidit, in qua stellae praecipuae lineis coniunctae exhibentur. Has tabulas omnes, insigniter correctas et auctas iam prodire iussit solertissimus BODIVS. Catalogus Flamsteadianus continet

2919

2919 ſtellas, Grenouici conſpicuas. Harum numerum ex obſeruationibus HEVELII, T. MAYERI, DELACALLII, MONNIERI, MESSIERI, C. MAYERI, DARQVIERI plus quam 2100 ſtellis auxit editor huius Atlantis. Siſtunt nempe hae tabulae

| | |
|---|---|
| in aſteriſmis borealibus ſtellas | 2073 |
| in Zodiaco - - - | 1746 |
| in aſteriſmis auſtralibus, vsque ad 37 ½ gradum declin. auſtr. | 959 |
| in auſtralibus, infra horizontem Berolinenſem latitantes | 280 |
| Summa | 5058 |

Catalogus Ptolemaei continet tantum ſtellas 1022; vnde patet, quanta incrementa Aſtrognoſia noſtris praeſertim temporibus ceperit. Stellarum, quae ſupra horizontem Berolinenſem non aſſurgunt, praecipuae tantum ſunt appoſitae. DELACALLIVS ad caput bonae ſpei incredibili labore decem mille ſtellas in catalogum retulit. Tabulae manu clar. DAN. BERGERI nitidiſſime ſunt exſculptae; in aliquot figuris accuratam deſcriptionem animalium ad ſimilitudinem naturae deſideres; excuſandus tamen eſt artifex; qui figuras ſtellis accommodare coactus erat. Aſteriſmi maiores tabulam peculiarem occupant, mi-

nores vel istis fociantur, vel commode sibi iunguntur. Vicini asterismi lineis expressi sunt, illi, quibus tabula quaeuis dicata est, vmbris sunt distincti. Limites cuiusuis asterismi lineis subtilibus commodissime designauit BODIVS. Idem loca fixarum omnium in tabulis Fortinianis examinauit, nouasque, quas adiecit, accurate notauit. Addidit etiam tabulas quatuor, quarum duae exhibent delineationes completas Plejadum, Hyadum, Praesepis, etc. porro stellas nebulosas notabiliores et aceruulos stellarum (reperiuntur enim plurimis locis stellae minimae proxime sibi iunctae, nebula saepe inuolutae, quemadmodum etiam maculae nebulosae absque stellis), denique stellas variabiles et duplices. Reliquae duae tabulae, quod gratissimum fore arbitramur, sistunt delineationem planam sphaerae antiquae, cuius figurae desumtae sunt e globo antiquo marmoreo, qui hodie in palatio Farnesiano Romae asseruatur. BENTLEIVS in editione sua Manilii depingi eum curauit. Horum planiglobiorum vsus eximius est in explicandis locis astronomicis veterum scriptorum, nec non in comparandis positionibus stellarum respectu aequatoris, nostris temporibus et ante bis mille annos.

Prae-

Praemissa breui expositione constructionis harum chartarum coelestium, BODIVS asterismos sigillatim et breuiter describit, et positionem praecipuarum stellarum respectu vicinarum demonstrat, ita vt hinc non difficile sit, eas in coelo inuenire, dummodo aliquot notabiliores cognitas habeas. De origine asterismorum pauca tradit, sed quae sufficere possunt; addit simul, quae de stellis variabilibus, maculis nebulosis etc. memoranda occurrunt. Hanc descriptionem excipiunt tabulae astronomicae quaedam vtiliores, nec non manuductio ad vsum chartarum coelestium, in resoluendis problematibus astronomicis, e. g. stellas inuenire, quae sub data poli altitudine nunquam oriuntur, vel nunquam occidunt; lineam meridianam ope stellarum ducere; solis locum in chartis inuenire; etc. praecipue autem, quomodo data altitudine poli, pro momento temporis dato, positio omnium stellarum respectu horizontis istius loci, tempus, ortus culminationis et occasus inueniri possit, tum in planisphaeriis, quae coelum nostro aeuo spectandum exhibent, tum in iis, quae, vt antea dictum est, aeuo antiquo accommodata sunt.

Haec quidem in prima parte textus, qui chartis coelestibus adiunctus est. Altera pars

continet catalogum fixarum pleniſſimum, in quo earum aſcenſio recta et declinatio ad minuta prima exhibentur, notata ſimul earum magnitudine apparenti, adiectisque literis, quibus plures earum ab Aſtronomis deſignari ſolent. Gratiae ſingulares agendae ſunt Editori, qui in vtiliſſimo hoc opere incredibilem laborem exhauſit.

K.

---

*Chriſtliche Kirchengeſchichte;* h. e. Hiſtoria eccleſiae Chriſtianae, auctore IO. MATTH. SCHROECKH. Lipſiae apud Schwickertum. *Tom. VIII.* 1782. pagg. 489. 8.

Opus hoc ad illuſtrationem rerum Chriſtianarum in primis comparatum, atque vbertate rerum, orationis nitore, iudicandi dexteritate dudum eruditis commendatiſſimum, nemo erit, quin cum voluptate videat a Celeb. Auctore ſtrenue continuari. Qua via et ratione narrandi in hiſtoria eccleſiaſtica vtatur, e ſuperioribus eius libris dudum notum, neque in hac Parte minus conſpicuum eſt. In quaque temporis periodo, poſt rei publicae eius temporis conditionem, et eccleſiae ſecunda vel aduerſa fata generatim deſcripta, ſumit ſibi

bi exſtantiores rerum euentus, tamquam totidem capita, earum praeſertim, a quibus magna rerum conſecutio pendet; ſingularum ab ortu et cauſſis ſuis enarrationem deducit, quaeque ad earum vel progreſſionem vel auxilia et impedimenta intelligenda vim aliquam habent, eorum explanationem coniungit: qui denique auctores cuiusque rei praecipui, adiutores, defenſores fuerunt, horum non modo vitae et res geſtae, ſed ſcripta etiam recenſentur, ea maxime, in quibus ſedes doctrinae aut rei geſtae eſt. Quo pacto quidem ab ordine, quo alii hiſtoriam eccleſiae tradiderunt, diſceditur, neque omnium periodorum vna ratio tractandi, vna rerum ſeries eſt; ſed tamen methodi a Cl. Viro obſeruatae magna dos et vtilitas eſt, quod vniuscuiusque rei quaſi perfecta et plena facies oſtenditur, et lector, omnibus rei geſtae cauſſis et adiumentis perceptis, tanquam in rem praeſentem, vt ſpectator et arbiter, deducitur, qui rei memorabilis notitiam ex fontibus haurire, ab ipſis auctoribus capere, et veram eius ſpeciem animo informare poſſit. Tomo VIII. verſatur adhuc Cl. A. in deſcribenda periodo ſeptuaginta fere annorum, a morte Iuliani Imper. ad obitum Auguſtini. In qua poſtquam ſuperiore Tomo vniuerſe cum imperii Romani, in eo-

que

que rei literariae et eruditionis statum, tum ecclesiae vlterius progressae incrementa non minus, quam pericula et aduersarios exposuerat, nunc Tomo VIII. duo praecipua euentorum capita pertractat, quorum vnum *increscentem Cleri ecclesiastici auctoritatem et hierarchiam*, alterum *progressus et incrementa monachatus* spectat. Quae euenta nemo negabit hoc disertius et accuratius exponi meruisse, quo certius est, magnas grauesque conuersiones rerum in ecclesia, huius et sequentium temporum, ab his principiis esse profectas. Vtraque vero res tantam amplitudinem a caussarum, adiumentorum, auctorum, sociorum numero et grauitate habet, tamque implexa aliis rebus in ecclesia gestis est, vt mirum non sit, totum Tomum harum duarum tractatione impleri. In parte priore, quae de Clero eiusque mutationibus agit, primum docetur ex legibus et factis nonnullis Imperatorum huius aetatis, quidnam de Clericorum dignitate, immunitatibus, coniugio passim praeceptum et definitum sit; noui quidam eorum ordines in iis occurentes declarantur. Iisdem legibus auctoritas et iurisdictio Episcoporum magis magisque munita est: ortus Hierarchiae, et maiorum ordinum noui gradus, discrimen et praerogatiua Episcoporum, Metro-

Metropolitanorum, Patriarcharum hoc tempore sensim introducta et confirmata. Sigillatim Romani Episcopi auctoritas insurrexit, pro qua confirmanda quid a Damaso, Siricio, Anastasio, Innocentio I, Zosimo, Bonifacio, Caelestino, hoc temporis tractu, gestum sit, exponitur. Obiter singulorum vitae enarrantur, scripta et epistolae percensentur. Nominantur denique scriptores praecipui, qui de vitis Pontificum Rom. et gestis illustrioribus egerunt. Ad caussas crescentis Episcoporum dignitatis hactenus memoratas adhuc referuntur tituli et honorificae appellationes, quibus olim iam, et nunc maxime, decorari solebant; veneratio et honor, ab ipsis Principibus subinde iis exhibitus; nationes Germanicae et Celticae hoc tempore ad Christianam religionem traductae, quae summum honorem Druidis et sacerdotibus suis praestare solitae, nunc eundem Episcopis abunde deferebant; denique concilia, siue congregationes Episcoporum generales, in quibus cum decreta et leges ferre, ab ipsis Imperatoribus confirmatas, possent, non solum imperare ipsi magis adsuescebant, et suam euehebant potentiam, sed et Presbyteros aliosque ordines magis deprimebant. Coronidis loco ad mutationes, in ordine Clericorum factas, refe-

runtur

runtur interitus Chorepiſcoporum, aucta Dia-conorum dignitas, et noua Archidiaconorum exorta.

Monachatus et vitae aſceticae amor, quae incrementa hoc tempore, et quas mutationes expertus ſit, altera parte huius Tomi docetur. Cum antiquitus monachi inter laicos cenſe-rentur, hoc tempore propius admoueri Cle-ricis coeperunt. Nam in eccleſiis loco a Cle-ro et populo diſtincto conſiſtebant: vbi ma-iores monachorum coetus erant, presbyteri ex ipſis electi ſacra faciebant: Clerici non-nullarum eccleſiarum, congregati inter ſe, vi-tam monaſticam cum ſacerdotio coniunge-bant: denique multi e monaſteriis ad ſacer-dotia eccleſiarum prouecti idem retinebant vitae genus. Qua conciliatione monachorum cum Clericis, tum etiam frequenti praedica-tione, qua doctores eccleſiae multi vitae mo-naſticae ſanctitatem extollebant, mirum in modum creuit eorum auctoritas, eaque ma-gna exiſtimatione virtutis et ſanctimoniae apud vulgum ſuffulta, haud raro ad contro-uerſias et turbas in eccleſiis concitandas alen-dasque valuit. Equidem leges Imperatorum et crebrae Epiſcoporum reprehenſiones inſo-lentiam coercere monachorum, deſidiam, va-nitatem, ſuperbiam aliaque vitia caſtigare ſtudue-

studuerunt, neque tamen impedire potuerunt, quin multis in monasteriis eaedem corruptelae, iidem mores peruersi manerent, et pro diuersa regionum conditione diuersa etiam vitae morisque ratio obtineret. Quin alii quidam nouum et insolens vitae institutum commenti opinionem sanctitatis incredibilem et auctoritatem apud ipsos Imperatores sibi pepererunt, quo pertinent Simeonis Stylitae et aliorum similes insaniae. Haec tamen existimatio eorum haud dubie procedente tempore multum fuisset imminuta, nisi iis affuissent saepe doctores ecclesiae, auctoritate graues, qui vitae solitariae instituta laudarent prolixe, et omni ope promouerent. His ornatoribus vitae monasticae accenset Cl. A. Athanasium, Basilium M. Gregorium Naz., Ambrosium, Chrysostomum, Hieronymum, Augustinum, quorum omnium scripta huc pertinentia recensentur, argumentaque singulorum cum iudicio exponuntur. Posthaec, vt exemplis quibusdam illustribus intelligatur, quibusnam in rebus posita fuerit vitae asceticae, tantopere hoc aeuo celebratae, perfectio, quae hominum eam sectantium viuendi ratio fuerit, quaeque eorum facta mirabilia narrari solita, producuntur duo veluti principes huius sectae, iidemque scriptis clari, duo Macarii,

senior

senior Aegyptius, et iunior, quorum vitae, studia, visiones actionesque mirabiles, e testimoniis veterum eruta, fuse enarrantur, scriptorum etiam, quae iis attributa, summa et ratio exponitur. Subiiciuntur duorum scriptorum libri, quibus vitae et facta plurimorum ascetarum, in Oriente viuentium, produntur, Palladii *Historia Lausiaca*, et Theodoreti φιλόθεος ἱστορία, deque eorum fide et stilo disquiritur. Qui in Occidente vitam asceticam scriptis suis commendarunt, duo in primis nominantur auctores, Ambrosius et Hieronymus. Ambrosius hoc egit libris III. *de Virginibus ad Marcellinam sororem*, tractatu *ad virginem deuotam*, libro *de institutione virginis*, siue *de virginitate perpetua S. Mariae*: Hieronymus in *Epistola ad Heliodorum de laude vitae solitariae*, in epistola *ad Paulinum*, et *ad Rusticum*, aliis denique libellis, quibus nobilium mulierum Romanarum, idem institutum ipso auctore sequentium, vel vitam instruxit, vel memoriam honorauit, vt Marcellae, Paulae, Eustochii, Blesillae, Laetae, Paulae iunioris, Leae et Asellae, Fabiolae, Melaniae, Furiae, Saluinae. Omnium eorum libellorum argumenta, sententiae, et loca illustriora percensentur, etiam mulierum memoratarum instituta et fata obiter memorantur.

tur. Ad haec ex scriptis Augustini notantur ea, quibus vitam monasticam commendauit, aut eius regulas dedit, quales sunt liber *de opere monachorum*, et Epist. 211. *ad Sanctimoniales*. Hac occasione, monasterium clericorum, quod Augustinus domi suae instituit, quale fuerit, e scriptorum eius locis ostenditur, et propterea, an auctor Canonicorum regularium recte habeatur, inquiritur. Colophonem denique suae tractationi addit A. Celeb. commemoratione scriptoris in eo genere primarii, qui omnem vitae monasticae rationem singularibus libris complexus est, et Coenobitarum instituta, disciplinam, doctrinas, vnus omnium maxime et luculentissime exposuit, Ioannis Cassiani. Huius igitur libros *de institutis Coenobiorum*, siue *renunciantium*, et *Collationes sanctorum Patrum* ordine percenset, singulorum argumenta et res quasque memorabiles, disputationes, sententias, dogmata enucleate tradit, et illustrat, vt, si quis velit, hac recensione edoctus, veterum monachorum non faciem, sed pectus inspicere, totamque eorum disciplinam plane cognoscere possit.

W.

*Versuch über die vornehmsten Verheissungen und Weissagungen vom Messias etc.* h. e. de praecipuis vaticiniis ad Messiam et tempora N. T. spectantibus. Scripsit M. IOANN. CHRISTOPH. ERBSTEIN. *Tom. I.* Dessau. et Lips. in bibliopolio eruditor. 1781. 22 plagg. in 8.

Laude dignam operam suscepit pl. reu. ERBSTEINIVS, pastor ecclesiae Wehlensis in Saxonia, dum theologiam propheticam in primis sibi sumsit ornandam, in gratiam eorum, qui, muneri sacro admoti, pro concione doctrinam de Messia praecipue tractare in animum induxerunt, nec opuscula minima siue schediasmata huc pertinentia comparare sibi valent siue amant. Scopus auctoris non solum est, commentariolum super oracula V. T., quibus de Messia et temporibus noui foederis agitur, seu vaticinia continentur, ipsis suppeditare, sed et vindicare haec oracula ab obiectionibus recentiorum quorumdam, at assensum recte sentientium haud merentibus. Methodum elegit et secutus hanc est, vt primo loco textum sacrum, secundo argumenta lectori ob oculos ponat, ex quibus apparet, de Messia siue de temporibus N. T. explicari textum debere, tertio connexionem verborum textus cum antecedentibus adumbret, quarto

loco

loco porismata dogmatica et practica ex textu in medium proferat, porro occasionem oratori sacro det, aptum sermonis exordium eligendi, tandem scripta minora commemoret, quibus vsus ipse est in adornando hocce opere. Pro scopo suo inde diiudicari auctor vult, duas partes exspectare lectorem iubens. Segmenta XVIII. prima haec pars continet, quibus auctor totidem V. T. vaticinia explicauit et illustrauit. Fecit vero id ea ratione, vt obseruationibus variis lucem accenderet theologiae propheticae. Quare neminem poenitebit, in subsidium meletemata ipsius vocasse, in quibus criticum praeterea agit sanum sobriumque.

D. W--r.

---

*Abhandlungen und Auszüge der königl. Akad. der Inschriften etc.* h. e. Dissertationes et Excerpta commentariorum Regiae Academiae Inscription. et elegantior. literar. in classes digesta; ex Gallico vertit et annotationes adiecit MICHAEL HISSMANN. Historia antiqua et chronologia Asiatica. *Vol. I.* Lips. ap. haered. Weidmann. et Reich. 1782. 8vo. p. 480.

Quae hoc Vol. comprehenduntur dissertationes, sequentes sunt: 1. SEVINI de histor. Assyr. 2. FRERETI de histor. et chronolog. Assyriorum Niniues. 3. Eiusdem de aera, qua vtebantur Babylone ante et post expugnationem vrbis, ab Alexandro factam. 4. DE BROSSES de historia diuisionis Assyriaci regni et epocha primae oppugnationis vrbis Niniue. 5. Eiusdem de Monarchia Niniues, historia Bel-Nimrodi, eius conditoris. 6. BOUGAINVILLII conciliatio Herodoti cum Ctesia, quoad monarchiam Medorum. 7. FRERETI de Canone Astronomico, qui reperitur in manuscriptis Theonis Alexandrini, atque successionem regum Babyloniae, Persiae, Aegypti et imperatorum Romanorum secundum annos Aegyptiacos aerae Nabonassaris exhibet. 8. GIBERTI annotationes in regna quorundam regum Babylonicorum et Persicorum. 9. DE GUIGNES explicatio inscriptionis in sepulcro Sardanapali. Dudum hae dissertationes plausum et laudes apud viros eruditos tulere. Quare operae pretium erat eas coniungere, licet fortasse excerpta ex quibusdam suffecissent. Doctiss. editor et interpres notulas adspersit sub initium libri. In extrema enim eius parte desiderantur. Historicos Iu-

daicos

daicos eum Graecis in concordiam vnquam redigi posse, iudice cl. HISSMANNO, plane desperandum est. Putat enim, a Iudaeis Satrapas regum Assyriacorum, Babylonicorum, aliorumque pro ipsis regibus et principibus horum regnorum habitos esse. Quin eo procedit, vt vix vnquam exstitisse pronunciet populum historiarum magis rudem et imperitum Iudaico. Sed quum Asiatica desint literarum monumenta, historicorum Iudaicorum aequalia, argumentaque contra horum fidem ex solis Graecis scriptoribus desumantur, quos ipsi veteres mendaciorum et errorum accusarunt: erunt tamen, quibus HISSMANNVS opinionem suam non facile persuadebit.

---

*Zur Kunde fremder Völker und Länder, Aus französischen Missionsberichten;* i. e. Miscellanea ad notitiam populorum et terrarum pertinentia. Ex relationibus Missionariorum Gallicis. *Vol. II.* Lips. ap. Weygand. 1782. 8vo. pagg. 276.

Hoc volumine quinque tomi nouae editionis continentur, speratque editor, cl. REICHARDVS, fore vt integrum opus quatuor voluminibus molis exiguae absoluatur. Spe-

 ctant

ctant ad Aegyptum et Americam, quae hic narrantur. Inferiorem Aegyptum et desertum Thebaicum inuisit SICARDVS, qui etiam de piscibus, auibus, hippopotamis, crocodilis, et diuersis lapidum et marmorum generibus breuem notitiam, quae tamen historiae naturae curiosis ieiuna videbitur, adiecit. In desertum Thebaicum iter cum SICARDO instituerat IO. SIMON. ASSEMANI, ad conquirendos codices Mstos illuc profectus. Maxima pars sectionum huius libri de nationibus Americanis, ad fluuium Missisipi et in Paraguay sitis, relationes exhibet, quarum fidem non semper praestiterimus. Sed quis quaeso has gentes praeter Missionarios adiit? Quare fortasse tutius erit, assensum iis non plane denegare. Adiecta est mappa Geographica, auctore DANVILLIO, egregiis huius immortalis viri annotationibus illustrata.

---

## III. *De libellis academicis et scholasticis.*

*Wirceburgi* a die XIX Iul. huius anni per vndecim dies festo ritu acta sunt *academiae Iuliae* sacra bis secularia, auspiciis Reuerendiss. et Celsiss. Principis FRANCISCI LV-

DOVICI,

DOVICI, Episcopi Bamberg. et Wirceburgensis. Exstat numisma aureum et argenteum, in memoriam horum sollemnium signatum, in cuius altera parte effigies Principis optimi, qui hac occasione eximium, quo literarum studia habeat, honorem posteritati testatissimum fecit illustri documento, conspicitur, in altera haec verba, insignibus duodeuingenti Episcoporum, qui de academia bene meriti sunt, circumdata leguntur: *Academia Wirceburgensis a Ioanne I. condita, a Iulio instaurata, a XV successoribus aucta sacrum saeculare II. iubente Iulii abnepote IV. Kal. Augusti MDCCLXXXII. celebrat.* Prodierunt praeterea scripta varia, orationes, carmina, exercitationesque aliae, quarum nonnullas, quae ad nos peruenerunt, dignas memoratu censemus. Nam praeter *programma*, quo haec sollemnia indicata, et *epistolam*, qua academiae Germanicae omnes, Protestantium quoque, ad iubilorum communionem inuitatae sunt, atque *conspectum actuum sollemnium* etc. prostat

1. *Grundriß einer Geschichte von der Universität zu Wirzburg. Erster Theil.* h. e. *Delineatio historiae uniuersitatis Wirceb.* Tom. I. Edidit CHRISTIAN. BOENICKE, historiae imperii Prof. ord. (typis Nitribitt. IX pl.

 quat.)

quat.) Accedunt simul figurae sculptae, vrbis vniuersae lineamenta, templi academici faciem, et numismatis memorialis formam repraesentantes. Prima sectione narratur scholarum et gymnasiorum Wirceburg. vsque ad fundatam academiam historia. Burcardus, Antistitum Wirceb. primus, scholam cathedralem in metropoli et alias scholas in coenobiis dioeceseos suae instituit, e quibus lecti sunt, qui inter vicinas gentes euangelium propagarent. Nec defuerunt inter eius successores viri bonarum literarum amantissimi, qui et pristinas scholas augerent et nouas conderent. Sed Gerhardus demum, e domo Schwarzburgica, Episcopus LIV Wirceburgensis, constituerat, Imperatoris Caroli IV. primae in Germania academiae, Pragensis, fundatoris, apud quem ipse multum valebat, exemplum sequi, et Wirceburgum suum vniuersitate literaria, donare. Sed magnum hoc et liberale propositum, quum ipse fatis interciperetur, perfecit demum successor eius Ioannes ab Egloffstein, atque impetrauit a P. M. Bonifacio IX., data bulla d. X Dec. 1402. veniam *studii generalis*, ad instar vniuersitatis Bononiensis, erigendi, ipse vero legibus communiuit, priuilegiis et aere liberaliter donauit, et quamdiu ipse viueret, (mortuus a. 1411.) laete

liete efflorefcere vidit nouam academiam. Inſecuta autem tempora placidis Muſis minime fauebant, ciuilibus turbis et Huſſitarum inuaſionibus inquietata. Primum igitur academiae Rectorem *Ioannem Zanfurt*, a. 1413. a miniſtro ſuo interfectum, nullus alius ſecutus eſt in hac prouincia; Profeſſores magnam partem Erfordiam conceſſerunt; et omnis academia, poſtquam quatuordecim fere annos ſtetiſſet, diſſipata eſt. Habuit autem et poſtea Wirceburgum viros doctiſſimos, vt *Albert. ab Eyb, Gregorium ab Heimburg, Daniel. Stibarum*, Eraſmi amicum, *Conr. Celtem, Frid. Nauſeam, Mart. Pollichium*, primum academiae Viteberg. Rectorem, *Laur. Frieſium, Trithemium*, alios. — Sectione altera narratur reſtitutio vniuerſitatis, quam praeparauerat iam Fridericus a Wrisberg, Ep. Wirc. inſtructo a. 1561. gymnaſio, et Profeſſoribus e Ieſuitarum ordine aduocatis, perfecit autem Iulius, e ſtirpe Echterorum de Meſpelbrunn, Princeps egregius. Curauit ante omnia, vt fundi ac reditus adeſſent ſatis diuites et ſolidi ad ſuſtinendum tam ſumtuoſum opus. Ad priuatam iuuentutis academicae inſtitutionem, quatuor fundauit collegia, alterum, *ſeminarium* vocant, XL candidatis theologiae, quorum cuique

quotannis LXXX flor. erogantur, instruendis et exercitandis; secundum X nobilibus educandis, pari beneficio donatis; tertium, Marianum dicitur, XL egenis alendis, seminarium quasi clericorum secularium, et quartum XL aliis beneficio XXV flor. sustentandis, qui ciuilibus muneribus praefici possent. A Pontifice et Caesare confirmatam denuo academiam ipse sollemniter stabiliuit et inaugurauit initio anni 1582, templo academico et bibliotheca donauit, et per XXXIV feliciter gubernauit. Floruit illa tum et studiosorum multitudine praegrandi, et doctorum virorum gloria, in quibus eminent *Frid. Schönleben*, *Adrianus Romanus*, *Christoph. Marianus*, *Nicol. Serarius*, *Mart. Becanus*, *Maximil. Sandaeus*. Post seculum Iulii autem inuidendam academiae famam conciliarunt duo immortales polyhistores, *Athan. Kircher*, et *Casp. Schottus*. Sed incidebat tristissima belli tricennalis tempestas. Suecorum Rex Gustauus Adolphus a. 1631. vrbem cepit, spoliandamque concessit militibus, bibliothecam splendidam asportari Vpsaliam iussit. Anno sequenti, Rege interfecto, Bernardus, Vinariensium Dux, Episcopatu, tamquam sibi donato a Suecis, vsus est, studia Wirceburgi restaurari et Professorum cathedras Protestantibus

bus non minus quam Catholicis patere voluit. Quod tamen vere factum esse, non reperitur. Tandem a. 1634. hostes abierunt, ac sensim recuperauit academia priscum suum decus, quod et vltra primam annorum ab origine sua centuriam sartum tectumque seruauit. — Hic enim fere subsistit auctoris narratio, quae nobis virum probauit historiae patriae et literariae peritissimum, virorum doctorum temporis ante acti arbitrum iustum et aequum, ingenio et facundia amabili ornatum.

II. *De scholis et academiis veterum Hebraeorum dissertatio, habita praeside* G. T. WIESNER, S. Th. D. a P. CAR. DVMOR. Quum non de scholis solum post Mosis aetatem conditis, sed etiam de scholis ante Mosem agat auctor, fieri non potuit, quin varia minus certa et probabilia proferret. Quae de scholis Hebraeorum a Mosis tempore ad Esdram vsque, immo ad initia Talmudica a viris doctis, inprimis CALMETO, RELANDO, IKENIO, aliis, literis prodita sunt, diligenter collegit et in vsus suos conuertit. Agit etiam de diuersitate, variis nominibus scholarum Iudaicarum, de doctorum in scholis erudiendi methodo, de scientiis veterum He-

Hebraeorum, quo refert Theologiam, Iurisprudentiam, Medicinam, Philosophiam, Poesin et Musicam etc.

III. *Rede bey der Eröffnung der Stiftungsfeyer etc.* h. e. Oratio inchoandae celebritati natalitiorum academiae, habita a BONAVENT. ANDRES, bonar. lit. Prof. Viris magnis quot et quanta plerumque obiiciantur impedimenta rerum gerendarum, docet, idque apte confert ad admirationem ingenii, magnae mentis, fortitudinis et constantiae, quam in academiae suae parente Iulio fuisse tot monumenta immortalia declarent.

IV. Idem elegantis ingenii auctor *festa bis secularia acad. Iul. Wirceb. carmine triplici celebrauit*, Latino nempe. Primum est carmen seculare, alterum ad Iulium Echterum, tertium ad Franc. Ludouicum. Ex carmine sec. delibare iuuat hos versiculos:

*Vna sit cunctis meliora sperans*
*Mens; ad aeternas relegetur vmbras*
*Iurgii mater, furiale monstrum,*
*Tetra simultas!*

*Veritas claro residens olympo,*
*Veritas nostris reuehare terris,*
*Veritas summis radios et imis*
*Sparge benignos.*

Fer

*Fer, precor, dignas meritis coronas,*
*Stringe sciuerum in stolidos flagellum,*
*Rumpe discussis tenebris catenas!*
*Te sine virtus*

*Exulat terris, probitas fidesque;*
*Te vigil quaerit sapiens, et vmbris*
*Ingemit caecis; venias, precamur,*
*Rite precanti!*

V. Alio libello continetur fasciculus *poematum Theotiscorum*, auctore IOSEPH. RINGMVELLER, Poes. et eloqu. Prof. ord. Habent et haec suam gratiam et laudem. Sed subridendum nobis erat in his: — *Wo bist du Pallasstadt?* — *Wo, Stoa, du? Wo bist du Peripat?* etc. — De reliquis libellis in posterum.

---

*Goettingae* HEYNII V. Ill. stilo exarata duo programmata intra breue spatium prodierunt, quorum vno sollennia noui Prorectoris inaugurandi, altero anniuersaria instauratae Academiae sacra indicuntur. Vtroque argumentum tractatur ex tempore natum, et duobus huius anni euentis memorabilibus rerum similium ex antiquitate memoria applicatur. In isto agitur *de febribus epidemicis*

*demicis Romae falso in pestium censum relatis:* in hoc *de Leone M. Pontifice Rom. Attilae et Genserico supplice facto.* Vtriusque titulus quos aetatis nostrae euentus respiciat, vnusquisque, nobis non monentibus, intelligit. Sed iucundum pariter ac fructuosum videre est, quem vsum habeant bonae literae in euentis rerum antiquis et recentioribus comparandis, quamque insignis lux vel praesentibus rebus ex antiquitatis memoria, vel vetustis ex recentiorum obseruatione affundi possit, si quidem hoc a viro, qualis est HEYNIVS, agatur, antiquitatis omnis scientia iuxta atque sollertia iudicii praeclaro. Neminem in lectione veterum historicorum, Liuii praesertim, paullo diligentius versatum fugit, frequentes admodum pestilentias Romae coortas memorari; sed pauci fortasse eo descenderunt cogitando, vt crederent, si pestes illae ex eo genere, quod nos hoc nomine appellamus, fuissent, vix tantam populi Rom. frequentiam e tot stragibus superfuturam, quae orbem terrarum vinceret. HEYNIVS contagione febris, quae hoc anno totam fere Europam sine clade peruagata est, admonitus, statuit non alio fere ex genere, quam febrium epidemicarum, fuisse pestes a Romanis vocatas, et natura verae pestilentiae

ex

ex hodiernis medicorum praeceptis descripta, nullam putat in historia Romana veri nominis pestilentiam ante saeculum a C. N. II. memorari. Quo asserto non id contendit, nullam omnino Romae ante id tempus fuisse: hoc potius ipsa re satis probabile fieri existimat, cum diuturnis bellis cum Poenis gestis, et populorum mutuis per Italiam, Siciliam et Africam commerciis pestilentiae semina ex Africa, quae, vt zonae torridae propior, pesti gignendae in primis opportuna, per alias terras ferri spargique debuerint. Sed hoc tantum affirmat A. eruditissimus, pestes ab historicis Romanis memoratas nulla pestilentiae proprie dictae signa satis certa habere. Id partim factum esse dicit per ignorationem et indiligentiam scriptorum, qui quum exilem admodum et obscuram priorum Romae saeculorum notitiam, per primos annalium scriptorum ad se propagatam, haberent, res ab his tenuiter memoratas pro suo quisque ingenio ornarunt, atque hinc saepe parum conuenientia et explorata dixerunt. Altera caussa est in exigua naturae reique medicae notitia, quae antiquis temporibus Romanorum vigebat, quae praeterea inueterata superstitione impediebatur, qua morborum omnium et caeterae calamitates ad iram Deorum

rum

rum religionesque referebantur. Quamobrem quum illae a Pontificibus diligenter quidem notari, suisque adscribi annis solerent, nec tamen ea re aliud quaereretur, quam vt ira Deorum certis ritibus placaretur, et prodigiorum procuratio fieret, nemo interea de caussis morborum sollertius indagandis cogitauit, et scriptores de prodigiorum procuratione disertius, quam de ipsis morbis, locuti sunt. Interim prodigia ipsa, quae plerumque cum morbis vulgatis coniuncta leguntur, sunt eiusmodi, vt in iis possint vestigia caussarum, a quibus lues orta est, agnosci, quae fere non sunt aliae, quam quae febres putridas vulgares gignere solent, vt aeris intemperies, frigoris vel caloris intolerabilis vehementia, agrorum sterilitas cum fame, terrae motus, et quae sunt alia eiusmodi. His accedit, quod plerumque malum intra vrbem et agrum Romanum subsistisse narratur, quo ipso pestilentiae notio circumscribitur. Adductis his rationibus, e quibus iudicium de pestibus inter Romanos grassantibus fieri possit, HEYNIVS ad percensendas pestilentias procedit, quae in historia Romana ab exordio rei publicae memorantur, et in singulis eos casus et euentus notat, qui veram pestilentiam abfuisse suspicari iubeant. Prima pestis vero

nomine

nomine sic dicta a. C. 149. a L. Veri Imper. exercitu a Parthis reduce in Italiam reportata est, quae Babylone, fomite pestilenti ex abdito loco in aerem protracto, tabem in Parthos vulgauerat, et a Iulio Capitol. in Vero cap. 8, item Ammiano Marcell. XXIII, 6, memoratur. Huic addit alias, quae a. 252. Gallo et Volusiano Impp. item Iustiniano principe ai 543. Romanorum imperium peruagatae sunt.

Nuperum iter summi Pontificis Rom. Pii VI. ad Imperatorem susceptum multis historiarum peritis occasionem similium vel dissimilium rerum euentus ex veteri memoria repetendi, cum istoque comparandi, dedit. Ill. HEYNIUS pari consilio inuitatus opportunum iudicauit, de duplici legatione Leonis M. altera ad Attilam, altera ad Gensericum, Vandalorum regem, suscepta agere, quarum priorem pictura RAPHAELIS Vrbinatis nobilissima celebratam, ex eaque chalcographico opere ad tabulae pictae similitudinem scite expressam, paullo ante oculis vsurpauerat. Legatio Leonis ad Attilam, Hunnorum regem, eo tempore et periculo rei publicae facta dicitur, quo Attila in campis quidem Catalaunicis victus, sed reparato mox exercitu per Pannonias Italiam ingressus, Aquileia, Ticino,

Mediolano vi expugnatis, ipsi Romae imminebat, neque Valentiniano Imp. vel consilii satis, vel copiarum ad auertendum hostem, et tutandam Italiam, aderat, Aetio etiam duce absente, et ad paranda auxilia profecto. Prosper in Chronico, qui de legatione ea retulit, plus auctoritatis in ea dare Pontifici videtur, quam ipsa res et aliorum scriptorum testimonia permittunt. Quamquam aliquas eius partes fuisse certum est, reliquorum tamen, qui vna profecti dicuntur, virorum Consularium et Praefectoriorum non secundaria opera fuit, et plures adfuerint caussae necesse est, quae Attilam mouerent, vt preces legatorum admitteret, et Italia exiret. Quae quoniam a scriptoribus aut reticentur plane, aut parum idoneae afferuntur, HEYNIVS igitur de his, et de consiliis Attilae, deque conditionibus pacis propositis, quantum cum aliqua veri specie licet, inquirit. Quae Idatius, nulla legationis mentione facta, memorat, barbaros morbo et fame magnam partem consumtos; praedatione et vastitate vbique facta victum sibi ipsos intercepisse; tum ab Aetii copiis Marcianique Imp. auxiliis appropinquantibus passim stragem barbarorum editam ipsasque Hunnorum sedes afflictas; quibus accessit haud dubie, quod onusti praeda et militia fessi

fessi Attilae milites periculose obiici nouis belli casibus viderentur; hae caussae satis graues permouere Attilam potuerunt, vt bellum finire cuperet, gratissimamque sibi legationem de pace haberet. In conditionibus pacis, probabile est, fuisse et munera promissa, et annuum vectigal exactum, et Honoriae redditionem cum portione opum regalium postulatam. Cum caussas factae pacis idoneas et magis probabiles indagare pigeret, ad miraculum confugerunt scriptores, et praeter Pontificis dignitatem oris et eloquentiam admirabilem, singulari Dei nutu territum Attilam narrarunt, visumque iuxta Pontificem alium virum, vel, vt quidam volunt, duo viros, canitie venerabiles et forma augustiore, quos Petrum et Paullum interpretati sunt, qui gladio educto mortem Attilae minitarentur, nisi postulata Pontificis faceret. Commentum hoc de Apostolis apparentibus, quamuis a nullo eiusdem vel proximae aetatis scriptore traditum, tamen argumentum picturae suae fecit RAPHAEL, in qua summae artis experimentum fecisse creditur. Ad tabulam istam describendam pergit A. Cl. de eaque iudicium partim ex exemplis opere chalcographico propositis, partim ex aliorum obseruatione fert. Adiicit praeterea, idem picturae

argumentum a summo sculptore ALGARDI opere anaglypho expressum esse, quod circa annum 1650. Innocentii X. iussu elaboratum in templo S. Petri asseruatur, nec minus clarum tabulis Raphaelis habetur. — Altera Leonis legatio ad Gensericum, Vandalorum regem, de qua breuius agitur, minus dubium effectum, et maiorem fere vtilitatem habuisse videri potest. Nam quod alias plane mirum et incredibile videri debet, regem victorem, vrbe Roma et Italia in ditionem redacta, tamen imperio eius abstinere et in Africam reuerti, id supplicatione Leonis effectum videtur, qui Genserico vrbem ingressuro obuiam factus, et regem deuenerarus, obtinuit, vt ne caedibus et incendiis saeuiretur, sed barbari direpta vastataque vrbe contenti, et magna praeda onusti abirent. Quamquam Leonis in hac caussa meritum a Prospero et aliis fide dignis traditur, idem tamen Idatius in Chronico et Marcellinus Comes tacent, insigni documento, quam parum saepe in summis rerum momentis laborare soleant ignaui et negligentes scriptores.

W.

---

*Erlangae* ad orationem, professionis iuris ordinariae adeundae causa d. XXVI Iun. h. a. haben-

habendam, D. CAR. FRID. HAEBERLIN inuitauit disquisitione praemissa: *Ex quibus caussis liberae S. R. I. ciuitates iure Austraegarum legalium sint exclusae.* (pagg. 20.) Austraegas legales, h. e. lege imperii publica stabilitos, iam ante conditum supremum iudicium camerale obtinuisse, recte monet, et contra TAFINGERVM, illos demum ab Imp. Maximil. I. institutos esse, narrantem, exemplis probat, constitutionum nempe Alberti II. a. 1438. et Friderici III. a. 1466. Ex iisdem, liberas imperii ciuitates huius iuris fuisse participes, declarat; constituto vero iudicio camerali cur illo destituti fuerint, falsas causas afferentibus DECKHERRO et TAFINGERO repugnat, et cum FRECHIO potius facit, statuente, nullam huius rei rationem esse aliam, quam quod in illa nimium socordes fuerint ciuitates, idque confirmat docte admodum, nec dubium esse ostendit, quin facile consequi potuissent ciuitates ius austr. leg. si operam dare voluissent. — Erlangensibus merito gratulamur nouum doctorem, quem, Patris sui illustris disciplina egregie informatum et excultum, haec commentatio probat, et qui apud nos quondam cum utilitate et laude magna scholas iuridicas habuit.

*Helmstadii* d. XXV Sept. *De euangelii Matthaei integritate, interpolando non corrupta, Cap. I.* praeside D. H. P. C. HENKE disputauit IO. OTTO THIESS, Hamburgensis. (V pl. impress. Leuckart.) In examen vocatur commentatio *de interpolationibus in euangelio Matthaei,* quae in *Repertorio liter. orient. et bibl.* Tom. IX. legitur. Hanc auctor in duas partes resoluit, quarum altera est in suspicionibus mouendis contra integritatem euangelii Matth. in vniuersum, altera in singularium quorundam locorum spuria indole demonstranda. Totidem igitur erunt quoque institutarum euangelii Matthaei vindiciarum capita, quorum nunc *primum* separatim praecessit, *alterum* non multo post succedet. In vindiciis integritatis euangelii totius ita egit auctor, vt viam illam prosequeretur, quam in disputatione sua scriptor anonymus occuparat, et vt extorqueret illi tria potissimum intentae in librum Matthaei actionis argumenta. *Primum* itaque, quod sumit anonymus, in libris antiquis reperiri posse, sine codicum MStorum auxilio, omnis generis corruptelas, id limitandum esse docet partim intuitu *scriptorum;* non omnes enim passos esse easdem a temporibus et hominibus iniurias: partim intuitu *mendorum,* quae in illis repe-

reperiri putentur; nam *interpolationes*, prolixiores potissimum, difficilius multo, quam reliqua corruptelarum genera, potuisse fieri, ac difficilius etiam sine codicum vsu detegi posse. Hinc ad exempla proceditur interpolationum sine codicum ope detectarum, ab aduersario allata, et fusius paullo, quam fere necesse erat in hac quaestione, disputatur de epistolis Ignatianis, de locis Iosephi et Longini suspectis, de verbis quibusdam in ep. Barnabae; omnia haec vel plane falso, vel non satis certo pro interpolatis haberi, vel saltim sine codicibus Mstis alienas manus in his deprehensas non esse. — *Deinde* libros N. T. praesertim saluos mansisse ab interpolatorum audacia, verisimile fecit ex multitudine apographorum, versionum antiquarum, scriptorum ecclesiasticorum, insigni pretio ipsis habito etc. atque in tanta auctoritatum copia de puritate horum librorum restituenda et conseruanda desperandum non esse, probauit. Placantur itaque querimoniae istae de libris omnis generis, apostolicis praesertim, prima aetate Christiana, suppositis, interpolatis, pessimeque pro lubitu cuiusque transformatis; dispiciuntur *testimonia* pariter atque *exempla*, quibus in perfidiae magnae et incuriae negligentissimae circa libros sacros culpam

prisci Christiani vocati immerito erant. — *Denique*, Matthaei in primis euangelium, vt in Palaestina scriptum, interpolationis periculo obnoxium fuisse, contendenti Anonymo ita respondetur, vt probetur primo, euangelia ista Hebraica, Nazaren. et Ebionit. quorum et mentio fit apud veteres persaepe, et fragmenta quaedam supersunt, libros fuisse ab euang. Matthaei plane diuersos, non interpolata eius exempla; deinde Matthaei euangelium tam mature extra Palaestinam graece lectum fuisse, vt in illo neutiquam maius esse posset, quam in reliquis libris apostolicis, deprauationis et interpolationis periculum.

Idem iuuenis eruditus, I. O. THIESS paullo ante edidit: *Commentariorum de rebus litterariis Helmstadiensibus particulam I.* (pagg. 20. 4.) qua HENKIO administratum academiae magistratum gratulatus est. Sistit seriem Professorum in acad. nostra ordinariorum, qui ad hanc vsque aetatem publice docuerunt, et est quasi libelli Chrysanderiani: *lumina academiae Iuliae Carolinae*, altera editio, aucta, emendata et continuata. Laudanda certe est diligentia, quam in historiae litterariae studio auctor collocare coepit, aliis iam documentis probatam.

IIII.

## IIII. Noua literaria.

*Romae* prodierunt *fragmenta Actorum S. Acoluthi*, dialecto Sahidica conscripta. Edidit ea P. GEORGI ex Ms. Bibliothecae Borgiae Secret. Colleg. de propaganda fide. — Qui Romae iam agit, cl. BIRCH, Danus, edet collationem celeberrimi Msti Vaticani. Eandem fortasse cum eruditis communicabit ex schedis BENTLEII τȣ πανυ, quae in manibus cognati nunc deprehenduntur, cl. WOIDE.

---

*Oxonii* Cl. KENNICOTTVS parat responsionem contra omnes obiectiones in suam bibliorum V. T. editionem factas. — Ibidem Ven. RANDOLPHVS, Theologus Oxoniensis, in vnum volumen collegit citationes in N. T. ex Vet. factas, adiectis Hebraico textu et Graeco των ό. Annotationes ex commentatoribus potissimum desumtae sunt. — Cl. FORD, Profess. L. Arabicae Oxoniens. doctissimus, Fabularum Arabicarum versionem, a GALLANDO factam, cum ipso Arabico textu nuper comparauit, inuenitque, quod etiam aliunde notum erat, GALLANDVM nimis libere interpretatum esse. Poetica fragmenta fere semper neglexit, multa-

que etiam in ipſa narratione omiſit, quae Aſiaticos mores pulchre depingunt. Optandum eſt, vt haec vitia a doctiſſ. PORDIO accuratius caſtigentur.

---

*Londini* continuatur: *critical Account of books*. Huius operis poſtrema pats verſatur in vindicando vaticiniorum Ieſaiae ordine, quem potius poeticum et oratorium eſſe putat auctor anonymus, quam chronologicum. — Ibidem prodierunt *Memoirs of Peter Henry Bruce, Eſq. a military officer in the ſervice of Pruſſia, Ruſſia and Great Britain.* 4to. Dicitur liber primum lingua Theotiſca ſcriptus eſſe, ſed poſtea ab ipſo auctore in linguam Anglicam verſus. — Cl. TYRWHITT, celeberrimus et eruditiſſimus Anglus, edidit vindicias appendicis, quam nuper emiſerat ad ROWLEYI Poemata: de quorum αὐθεντίᾳ magna lis fuit inter Criticos Anglicanos. — Cl. WOIDE in locum cl. MATY cuſtodibus Muſei Britannici adſcriptus eſt. Eiusdem viri docti cura primum folium N. T. Mſti Alexandrini impreſſum eſt. Perget editor ſtrenue. Quaedam exemplaria in charta pergamena imprimuntur, pretio 12 vel 14 Guineas.

---

Medio-

*Mediolani* Cl. I. B. BRANCA, Bibliothecae Ambrosianae custos, edidit primum volumen operis a se exarati *de Latinae vulgatae editionis auctoritate, ex perpetua in ecclesia usu.* Totum opus tribus constabit voluminibus formae grandioris. — Idem edere parat adiutus a Doctore BVGATI Mstum Syro-Hexaplarem integrum cum versione Latina.

---

*Hafniae*, regia societas scient. d. XVII Maii h. a. proposuit haec problemata: 1. Monstrare indolem poeseos septentrionalis antiquae, inque eius a Graeca Romanaque discrepantiam inquirere, tum in quo cum Anglosaxonica priscaque Germanica conueniat vel secus. 2. Tradere methodum praxi accommodatam, *aerem* phlogisto aliisque corporibus peregrinis *inquinatum*, subsidiis chemicis depurandi aut corrigendi. 3. Quaeritur de *Hygrometro*, ea lege constructo, vt duo siccitatis et humiditatis puncta certius, quam adhuc factum est, possint inueniri, vtque gradus diuersorum hygrometrorum correspondeant. Liberum erit auctori, vel nouum instrumentum inuenire, vel iam cognitum ad desideratum perfectionis gradum euehere; *principia* vero omnia constructionis et diuisionis adeo dilucide erunt describenda, vt artifices ea tuto ex-

sequi

sequi valeant. Desideratur denique, vt auctor duo hygrometri exemplaria, secundum regulas a se traditas constructa, societati mittat. — Optimae cuiusque horum problematum resolutionis auctor praemio donabitur numismatis aurei, C imperiales Dan. valore aequiparantis. Mittendae sunt disputationes ante finem Sept. 1783. ad Illustriss. DE LÜXDORPF, Regis a consil. intim. et Praesid. Societatis.

---

*Francofurti ad Viadrum* ANTON. BERNHARD. THIELE, Pastor Rathstockiensis, editurus est b. ALEX. GÖTTLIEB BAVMGARTENII, philosophi quondam celeberrimi, *meditationes super sermonibus Iesu in quatuor euangeliis.* Conceperat illas auctor, quum graui morbo intra annos 1751. et 1762. decumberet. Editor, cui quae scripserat omnia in lucem emittenda tradidit, redemtorem operis illius adhuc nullum inuenit, nunc vero tandem voluntati amici sui obsecuturus, typis illud committet, si ducenti adsint, qui pro XLVIII plagulis (totidem enim volumen quodque habebit) repraesentare non grauentur *1 Imper. XII gr.* — Totius libri sciagraphia, cum specimine, nunc iam prostat: *Die in den vier Evangelisten enthaltenen Reden Jesu nach ihrem Inhalte entworfen von A. G. Baum-*

*Baumgarten* etc. (Frf. a. d. Od. 1782. X pl. 4.) libellus vel inde vtilis, quod instar est harmoniae, quam vocant, euangelistarum.

---

*Regiomonti* munus Professoris historiarum et eloqu. nactus est Cl. MANGELSDORFF, A. M. qui hucusque in acad. Halensi easdem literas cum laude magna docuit.

---

*Vitebergae* prouinciam Professoris theol. ordinarii, et quartum in facultate theol. locum nactus est vir, quo nemo facile dignior erat, Cl. REINHARD, Prof. Philos. extraord.

---

*Helmstadii* Ill. CRELLIVS adscriptus est academiae scient. Palatinae, et societati Edinburgensi philosophicae sodalis.

---

## V. *Anacrisis.*

In Bibliothecae germanicae, quae Berolini prodiit, voluminis quadragesimi octaui parte prima pag. 131. vbi argumentum partis secundae libelli Exper. SCHLEGELII: *Medicinische Litteratur für practische Aerzte*, recensetur, haec verba reperiuntur: *Wenn Herr Beireis Herrn Müllers Abhandlung vom Bandwurm kennte, so würde ihm sein Bandwurm*

*mit*

*mit einem Kopfe keine so ausserordentliche Erscheinung mehr seyn.* In secunda hac parte libelli Schlegeliani ne verbum quidem de taenia, neque inscriptio dissertationis *de febribus et variolis verminosis*, occurrit. Huius dissertationis et quidem solius eius indicis iam parte prima pag. 231. mentio facta erat. Quum illi, qui eam dissertationem non viderunt, facile sibi persuadere possent, BEIREISIUM nostrum, (qui iam per viginti tres annos historiam naturalem docuit, ideoque sane non opus habet, vt demum ex recentiori Mulleriano scripto caput taeniae cognoscat, quippe qui iam dudum ex natura et VALLISNIERI, LINNAEI et BONNETI scriptis, vti ipsa dissertatio testatur, istud nouerat,) taeniam capite gaudentem pro re singulari et inaudita habuisse, ipsa verba in dissertatione adlata pag. 6. in nota g) reperiunda huc transscribere necesse erit: *Vidi etiam taeniam eleganti capite ouali filo tenui adhaerente sedecim pedes longam, quam Praeses die 21 Nouembr. an. 1777. ex intestinis Augusti Marnizii, murorum fabri Helmstadiensis, adhibita solutione resinae ialappae in vini spiritu eiecit, quamque Praeses adhuc in supellectili sua rerum naturalium adseruat.* His verbis solum docetur, totam taeniam simul cum capite, quod saepius in intestinis cum aliquot segmen-

segmentis corporis relinquitur et deinde quasi renascitur, eiectam fuisse. In tota reliqua dissertatione, nec in aliis duabus dissertationibus *de debilitate* atque *de febribus biliosis tertianis continuis*, quae parte secunda libri Schlegeliani p. 244 et 245. commemorantur, ne vocabulum quidem de capite taeniae lectores inuenient. Iudicent igitur aequi rerum aestimatores, quo animo vel quibus rationibus ductus auctor anonymus, quum nulla occasio aderat, ea verba scripserit. Si vero is, qui partem secundam libri Schlegeliani recensuit, putet, sequentibus verbis: *Eine Entdeckung des H. Hofr. Beireis* p. 185. de capite taeniae sermonem esse, facile ex ipso scripto Baldingeriano rescire potuisset, de hoc non agi.

---

# INDEX.

tis ibi relatum ſuit. v. ll. cc. Narrationem, quam profert Abulpharagius, ipſe hauſiſſe teſtatur ex Iohanne, Epiſcopo Aſiae, et Zacharia. De vtroque ſcriptore Iuſtiniani aequali refert ASSEMANVS Tom. II. Biblioth. Oriental. p. 85. et 54. Illius ſiue Iohannis hiſtoriam huius peſtis ASSEMANVS in compendium redegit; et quae de origine peſtilentiae atque regionibus quas deuaſtauit, ibi leguntur, fere totidem verbis apud Abulpharagium extant. Praecipue tamen, ni fallor, Abulpharagius Zachariam ſecutus eſt, quem poſteriori loco inter duces ſuos nominat, et qui ſine dubio ille Zacharias eſt, qui fuit epiſcopus Meletinae, et circa annum 540 ſcripſit hiſtoriam eccleſiaſticam a Conſtantini M. imperio vsque ad annum Iuſtiniani vigeſimum. Quum officina Leuckartiana careat typis Syriacis: Hebraicos, vt iam olim feci, adhibere coactus ſum; quae quidem typorum mutatio lectionem huius fragmenti viris linguae Syriacae peritis non difficilem reddet. Quum מרנח תימן et מרנח גרבי in hoc fragmento occurrant: מרנח non pro *plaga orientali* ſed *plaga* quacunque quandoque ſumi puto. בונוביגוס, licet mendoſe ſcriptum, pro *bubonibus* poni adiecta huius vocis verſio monſtrat. מחותא ex dialecto Samaritana verti

*dolo*

*dolores.* Metropolis, quae a malo hoc vexata dicitur, est, credo, Constantinopolis, de qua etiam Procopius de bello Pers. l. 2. c. 22. refert initio paucos, deinde singulis diebus quinque, saepius etiam 10000 homines elatos esse. In historia Dynastiarum Arabice scripta memorat tantum Abulpharagius pestem regnante Imperatore Iustiniano sex annos durauisse.

· על מותנא דהוא בכלה ארעא בזבנא הנא
יוחנן דאסיא פתיאית כתב על מותנא הנא
דהוא בשנת פנה דיוניא· אפ זכריא תוב
כתב דשרי קדמית מן עממא גויא דתימן
מדנח דהגרו כית ודכוש ודחמיריא ושרכא
ומטא לאתרותא עליא דבמערבא עממא
דרומיא ואיטליא וגאליא ואספניא·
ואשתמערת דפקרין הוו בני אנשא ושנין
וסבכין בחדרא ונפקין לטורא ומחבלין
נפשתהון· אתא דין שבטא לאתרותא דכוש
דבתחומא דמצרין ומן תמן שרי במצרין·
וסמך לאלכסנדריא ואתפרס על ליבואי
ופלסטיני ופוניקי וארמביא ואפריקי ואתמטי
לגאלאטיא וקפאדוקיא וארמניא ואנטיוכיא
ובתר כתר לבית פרסיא· ולות עממא דבמדנח
גרבי· מתחזא הוא קנינא דשביק ומברר
ופהא ולית דמכנש· חקלתא דמלין זרעא

ולית דחצד· סרמא דעבר זבנא דקטפנא
ולית דקטפ· מטל דספו בנינשא· וחד מן
אלפ למחסן אשתחר בתר דאשתמליין
שניא תלת ונח רוגזא· מתאמרא דבר סמך
שבטא למדינתא מלכותא· לוקדם
במסכנא שרי ועדמא לשתתעסר אלפינא
ביומא חד מפקין הוו מיתא· ובתר דמיתו
צריבא· אושט אידה מחבלנא על אחידי
עלמא ומשמהא· ואילין דאתפלטו מן מותא
דשעתא· במחותא הי דארבוביתא דקי
בנובינוס אוכית שרעוטא· ובנפקא נפלג·
ומתחוין הוי תוב בפסא דאידיא איך טופא
תלת ודמא עמיקתא· ומחדה מיתין הוו·
נכר אשפלו אנשא מן דלמקבר בימא שרין
הוו שלדא כשין כשין·

*De pestilentia, quae hoc tempore totum orbem peruagata est.*

*Iohannes, Episcopus Asiae, de hac peste disserte scribit, eam anno Graecorum 855. (i. e. C. 544.) contigisse. Etiam Zacharias narrat, eam incepisse a gentibus interioribus meridionalibus Indiae; nimirum Aethiopiae, Homeritarum (Arabiae felic. tribus) etc. peruenitque ad locos superiores gentium occidentalium, Romanorum, Italorum, Gallorum et Hispanorum.*

*Fama*

Fama est, rabiosos euasisse homines, delirasse, in se ipsos saeuiisse, in montana secessisse, et semet ipsos trucidasse. Inuasit flagellum istud Aethiopiam in confinio Aegypti, indeque in Aegypto ortum est; attigit deinde Alexandriam, et sparsum est super Libya, Palaestina, Phoenicia, Arabia, Africa, et peruenit ad Galatiam, Cappadociam, Armeniam, Antiochiam et pedetentim ad regnum Persarum, populosque in plaga septentrionali sitos. Substantiae comparebant relictae, dispersae et vagae, neque quisquam eas colligebat; agri frugum refertissimi erant, nullus tamen eos metebat; vineas, etiamsi tempus vindemiae transierat, nemo vindemiabat, quia homines desiderabantur; et vix vnus ex mille supererat. Exactis tribus annis cessauit pestis. Fertur, quum malum hoc Metropolin infestaret, primum pauperes aggressum esse, adeo vt 16000 homines vno die sepelirentur. Egenis mortuis, manum suam corruptricem iniecit potentibus et celebribus. Qui vero mortem subitaneam effugerunt, doloribus cum tumoribus circa inguina i. e. bubonibus laborarunt: et postquam in volis manuum circiter tres guttae sanguineae profundae (i. e. vibices) apparuerant, confestim mortui sunt. Et quum homines deficerent ad sepeliendum: cadauera aceruatim in mare proiecta sunt.

## II. De libris nouis.

*Versuch einer Geschichte der Cultur des menschlichen Geschlechts;* h. e. Historia culturae generis humani, tentata ab auctore, qui perscripsit omnium doctrinarum epitomen. *Lipsiae* apud Hertelium 1782. oct. pagg. 472.

In exponendis *magnorum hominum* vitis qui voluerit hoc agere, vt tradat diligenter ac perspicue, qualis quisque fuerit per omnes vitae partes, quibus literis institutus ac formatus sit, et per quos veluti gradus ad cultum ingenii, animique virtutes productus: is profecto rem aggreditur arduam atque difficilem, vt facile dabunt omnes, qui vel ipsi eius rei periculum fecerint, vel animaduerterint paucitatem eorum, quibus illud consilium bene cessit ac feliciter. Sed quae difficultates obstant his, qui singulorum hominum res persequuntur; eae mirifice crescunt et augentur magnopere, si quis instituerit alicuius *populi* paullo nobilioris historiam hoc modo perscribere, ac docere, quibus caussis sensim sit excultus, et quomodo sit a tenui literarum et omnis omnino conformationis initio ad praeclara quaeuis in omni genere facta progressio. Nam caussarum, quarum in hac re habenda ratio

ratio est, cum ingens est multitudo, et implicatio plane mirifica; tum occultae saepe sunt plurimae; vt non modo hoc sit ad iudicandum difficile, quid causa quaeuis effecerit et quantum, verum etiam illud incertum, vtrum inuestigantis diligentia omnes sint inuentae et subtiliter detectae. Iam si quis ad hunc modum *vniuersi generis humani* historiam tradere voluerit, et persequi per aetates omnes, et singulas orbis terrarum partes, omnium doctrinarum origines et incrementa: is profecto suscipit eam disputationem, quae vnius hominis ingenium plane videtur superare; cum, quod in singulis vel *hominibus*, vel *gentibus*, vix assequitur acerrima diligentia, id *in infinita propemodum multitudine populorum* minime possit complecti vel acutissimi hominis cogitatio. Atqui hoc ipsum pollicetur libri, quem indicamus auctor, qui est, vt satis constat, ADELVNGIVS, Vir Clar. multis aliis libris iam satis spectatus et nobilis scriptor. Quem si in re tam ardua successus quodammodo destituerit, id quidem nemini mirum videbitur, qui consilii grauitatem, et immensi laboris magnitudinem considerauerit. Etenim ad pertractandum argumentum, in quo voluit elaborare ADELVNGII diligentia, praeter *accuratae omnis historiae scientiam*,

quam solam vix capiunt humanae mentis angustiae, requiritur *magna subtilitas ingenii*, quae perspiciat omnium rerum antecessiones, animi humani vires intelligat, eius vitia, latebras abditosque recessus nouerit, et *multo vsu* comparauerit sibi de rebus humanis iudicandi facultatem idoneam. Has dotes omnes sibi vix quisquam arrogauerit, cum incertum sit, vtrum in vno homine vnquam vel fuerint, vel esse possint. Quare nec scriptorem, putamus, vnquam exstiturum, qui accurate possit docere, quomodo sensim variis artibus excultum sit genus humanum, et per quas mutationes conuersionesque disciplinae omnes et instituta vel esse coeperint, vel nacta sint formam et indolem eam, quam iam habent. Sed in re tam difficili, quae, quantumuis imperfecta, magnam *vtilitatem* habet, vel conatus non omni laude caret, praesertim si sit profectus a viro docto atque modesto, qui et grauitatem instituti sui sentiat, et ab omni vanitate alienus sit. Etsi igitur existimamus, tales libros non posse ab aliqua parte imperfectos non esse, ob mentis humanae imbecillitatem, et historiae, maxime antiquae, defectus et tenebras: tamen hoc lubenter fatemur, ADELVNGII scriptionem, in magna breuitate, quam studio sectatus est, continere

multa

multa *docte obseruata*, et *subtiliter conclusa*, de rebus vero multis ea tradere, quae non potuerint nisi ab homine proficisci, varia doctrina culto, multaque lectione conformato. Nos iam, vt omnis libri descriptio penitus intelligatur, primo quidem *de modo* disputabimus, *quem auctor secutus est*; ac deinde *de locis singulis* adiungemus nonnulla, cum presse sequi auctoris vestigia, et omnia diligenter excutere, nobis non liceat per huius scriptionis angustias.

Est igitur omnis disputatio descripta *in partes octo*, quae continent ac definiunt *gradus*, per quos genus humanum, ab humili ductum, auctori sensim peruenisse videtur ad sapientiam et felicitatem, qua iam fruitur. Vt vero breuiter [illegible]care posset auctor, quomodo *differant* aetates singulae, et quae sit cuiusque veluti nota: imaginem a vita et incrementis hominum singulorum duxit, eaque ostendit, genus humanum ita fere educatum esse et adoleuisse, vti soleant homines singuli sensim ad maiora progredi. *Prima* igitur aetas ea est, quae ab origine generis humani vsque ad diluuium illud ingens, a Mose commemoratum, pertinet. Comparat auctor genus humanum per haec tempora cum *fetu*, qui sensim vitam accipit et motum, et cum aliqua

membrorum conformatione colorem ducit. Sequitur autem in his, quae de hac aetate praecipit, monimenta Mosaica, in quibus nihil inesse censet a probabilitate alienum. *Altera* periodus complectitur tempus, quod a diluuio vsque ad Mosis aetatem elapsum est. Genus humanum *infanti*, putat, simile fuisse, qui, sensuum beneficio vsus, aliquam sibi comparet rerum externarum notitiam, sed imperfectam et obscuram; artes et paucas habeat, et rudes; in moribus denique feritatis multum, et vix incipiat mitescere. Ad *pueri* aetatem progressum, arbitratur, genus humanum periodo *tertia*, quae a Mose porrigitur vsque ad ea tempora, quibus Graeci coeperunt doctrina et elegantia florere. Quae fuerint instituta et artes hominum per hanc aetatem, vberius docetur *Aegyptiorum*, *Phoenicum* et *Israelitarum* exemplis. *Iuuenis* vim et alacritatem accepisse existimat hominum multitudinem per ea tempora, quae a cultis per Graecos artibus ac disciplinis effluxerunt vsque ad Christum. Hic maxime persequitur *Graecorum* doctrinam, artes et instituta, ac docet, cultum eum, qui ab hac gente manauerit ad Romanos, et per hos ad gentes reliquas, similem esse iuuenis sollertioris scientiae, et maxime cerni, cum in disciplinarum descri-

descriptione subtiliori, quae tamen sit coniuncta cum iuuenili quadam leuitate atque audacia; tum in bonarum artium amore, qui maxime cadat in aetatem adolescentis εὐφαντασιώτου, ad concipiendum πάθος σφοδρὸν καὶ ἐνθουσιαστικὸν paratissimi. Postea delatus auctor ad aetatem *quintam*, quae a Christo ad ingentes illos populorum motus et migrationem pertinet, docere instituit, genus humanum iam ad *viri* quamdam maturitatem peruenisse, et vtitur ad firmandam sententiam suam *Romanorum* maxime exemplo, qui in rebus et institutis omnibus masculam ostenderint seueritatem, et penes quos eo tempore fuerit orbis terrarum imperium. Aetate *sexta* hunc virum, ait, grauissimis oppressum laboribus, *quaesiuisse sedem stabilem*, ac multa magnaque corporis contentione effecisse, vt commode posset et iucunde habitare. Inde factum, existimat, vt genus humanum per hoc tempus iterum delaberetur ad foedam barbariem, cum aliis impeditum laboribus, variisque agitatum turbis, non posset literis operam date, quae postulent pacem, omniumque rerum beatam abundantiam. Hanc vero aetatem a gentium barbararum migratione vsque ad expeditiones, quas dicunt, cruciatas durasse existimat. Iam periodum *septimam*,

ab

ab his expeditionibus vsque ad renatas literas progressam, effecisse, censet, vt genus humanum simile esset *patrisfamilias, in constituenda, augenda et exornanda re familiari occupato;* vnde vtilissimarum artium inuentionem in hoc tempus incidisse demonstrat. Eam denique aetatem, quae a restitutis literis ad recentissima tempora perueniat, ita, putat, comparatam esse, vt intelligatur, genus humanum iam *frui bonis, multo labore partis, easque indies augere et amplificare.* Cum vero multa supersint, quae vel inueniri possint, vel emendari rectiusque constitui: vehementer ridendam censet superstitionem eorum, qui vereantur, ne instet iam ingens illa conuersio, quae cum interitu orbis generisque humani coniuncta esse debeat. Sperandum potius, arbitratur, fore, vt genus humanum per plures rerum suarum conuersiones ad maiorem in omni genere praestantiam perducatur. In illustrandis aetatibus singulis hunc fere modum tenet auctor, vt, *praemissa quadam imagine breui,* in qua expressa est cuiusque periodi forma et tanquam facies, *historiam ipsam,* et res isto tempore per orbem terrarum gestas, *breuiter exponat,* ac deinde demonstret, *quid ab his mutationibus cum ad scientiae incrementa, tum ad animi conformationem peruenerit.* Ge-

nus

pus dicendi apertum est, tersum et elegans; praeterquam in paucis, quae festinatio adsper- sit, cuius passim et alia vestigia, nisi nos om- nia fallunt, obseruauimus.

Hanc libri *descriptionem* habere multa, qui- bus se commendet, nemo negauerit; atque est auctor in disputando hunc ordinem ita secutus, vt afferret et vtilia non pauca, et mul- ta subtiliter obseruaret. Cogitantibus autem nobis de hoc argumento diutius, tamen *in ipsa via modoque disputandi* nonnulla vel prae- termissa videbantur, quae vix possunt abesse ab ista quaestione, vel quaedam rectius con- stituenda, et perscribenda conquisitius. Ac primo quidem *de viribus humanae mentis*, ac *de legibus*, quas in agendo sequitur, nihil mo- nuit auctor; qui locus in hac caussa vel pro- pterea non erat praetermittendus penitus; quod de conformatione generis humani, nisi ex ista indole accurate perspecta, iudicari non potest. Deinde de vi ea, *quam res externae efficiunt animum*, et varie vel excitant et acu- unt, vel eius impetum reprimunt et conten- tionem remittunt, etsi disperse monuit auctor quaedam, tamen istae obseruationes, in lo- cum vnum congestae, perspicuitati magno- pere profuissent. Atque erat hac de re prae- cipiendum distinctius, cum a locis, situ, caelo, terra-

terrarum adſpiratione, natura, fertilitate, aliisque rebus extrariis originem trahat cum omnis cognitio atque ſcientia, tum animi morumque conformatio. In *narratione rerum*, per aetatem quamque geſtarum, breuis eſt auctor, quod minime vituperamus; delibanda enim ex omni hiſtoria nonniſi ea erant, quae ad hanc cauſſam maxime videbantur pertinere, et e quibus intelligi poterat, quae ſit in quauis re omni tempore facta progreſſio. Sed fuiſſet iſta rerum geſtarum expoſitio accommodatior huic quaeſtioni, ſi *de coniunctione omnium gentium earumque commercio* accuratius praecepiſſet auctor. Nam ex illa ſocietate populorum et conſuetudine vel maxime poteſt intelligi, quid a gente quauis vel potuerit proficiſci ad generis humani cultum, vel profectum ſit. Ita enim plurimum ſolet ſcientia, et honeſtate morum atque elegantia genus humanum augeri, vti ſunt gentes ſingulae arctiſſime copulatae, et ipſae inter ſe aliae aliis proſunt officiorum mutatione, et in medium afferendo communes vtilitates. In exponenda igitur generis humani hiſtoria vel maxime videtur ſpectanda fuiſſe *iſta hominum ſocietas*, quae vti fuit variis temporibus varia, ita quauis aetate aliam habuit ad excolendos homines vim et efficaciam. Sed cum vniuerſa

quaeſtio

quaeſtio de generis humani cultura, quamcumque demum viam et diſputandi modum ſequaris, longe difficillima ſit: miſſa hac re, veniamus, vt propoſuimus ſupra, ad *locos ſingulos*, de quibus, reſtat, vt nonnulla moneamus.

Primo igitur multi mirabuntur, auctorem *vim aliquam Dei ſingularem non poſuiſſe in cauſſis iis, per quas effecta ſit generis humani conformatio,* ſenſimque creuerit. Quamquam enim de legibus, per Moſen Iſraeliticae gentis datis, diſputat, et de commodis non indiligenter praecipit, quae per Chriſtianam religionem ad genus humanum peruenerunt: tamen vtramque religionem *originem habere diuinam*, non monet. Obſcurum igitur eſt, vtrum *aliquam ipſius Dei in excolendis hominibus efficaciam* admittat auctor, nec ne; quamquam, ni fallimur, ad eorum ſententiam propius accedere videatur eius oratio, qui e mentis humanae viribus deriuantes omnia, miraculum excludunt. Quomodo autem potuerit Moſes, nulla vi diuina adiutus, religionem eam, qua conſtituit Iſraelitarum rempublicam, ſuperſtruere de Deo vno, omnis corporeae labis experte, cum illa notio tantopere ſit aliena ab vltima vetuſtate, vt multo ſerius vix potuerit ab eruditis philoſophis Graecis inueniri,

## II. De libris nouis.

*Versuch einer Geschichte der Cultur des menschlichen Geschlechts;* h. e. Historia culturae generis humani, tentata ab auctore, qui perscripsit omnium doctrinarum epitomen. *Lipsiae* apud Hertelium 1782. oct. pagg. 472.

In exponendis *magnorum hominum* vitis qui voluerit hoc agere, vt tradat diligenter ac perspicue, qualis quisque fuerit per omnes vitae partes, quibus literis institutus ac formatus sit, et per quos veluti gradus ad cultum ingenii, animique virtutes productus: is profecto rem aggreditur arduam atque difficilem, vt facile dabunt omnes, qui vel ipsi eius rei periculum fecerint, vel animaduerterint paucitatem eorum, quibus illud consilium bene cessit ac feliciter. Sed quae difficultates obstant his, qui singulorum hominum res persequuntur; eae mirifice crescunt et augentur magnopere, si quis instituerit alicuius *populi* paullo nobilioris historiam hoc modo perscribere, ac docere, quibus caussis sensim sit excultus, et quomodo sit a tenui literarum et omnis omnino conformationis initio ad praeclara quaeuis in omni genere facta progressio. Nam caussarum, quarum in hac re habenda ratio

ratio est, cum ingens est multitudo, et implicatio plane mirifica; tum occultae saepe sunt plurimae; vt non modo hoc sit ad iudicandum difficile, quid causa quaeuis effecerit et quantum, verum etiam illud incertum, vtrum inuestigantis diligentia omnes sint inuentae et subtiliter detectae. Iam si quis ad hunc modum *vniuersi generis humani* historiam tradere voluerit, et persequi per aetates omnes, et singulas orbis terrarum partes, omnium doctrinarum origines et incrementa: is profecto suscipit eam disputationem, quae vnius hominis ingenium plane videtur superare; cum, quod in singulis vel *hominibus*, vel *gentibus*, vix assequitur acerrima diligentia, id *in infinita propemodum multitudine populorum* minime possit complecti vel acutissimi hominis cogitatio. Atqui hoc ipsum pollicetur libri, quem indicamus auctor, qui est, vt satis constat, ADELVNGIVS, Vir Clar. multis aliis libris iam satis spectatus et nobilis scriptor. Quem si in re tam ardua successus quodammodo destituerit, id quidem nemini mirum videbitur, qui consilii grauitatem, et immensi laboris magnitudinem considerauerit. Etenim ad pertractandum argumentum, in quo voluit elaborare ADELVNGII diligentia, praeter *accuratae omnis historiae scientiam,*

quam solam vix capiunt humanae mentis angustiae, requiritur *magna subtilitas ingenii*, quae perspiciat omnium rerum antecessiones, animi humani vires intelligat, eius vitia, latebras abditosque recessus nouerit, et *multo vsu* comparauerit sibi de rebus humanis iudicandi facultatem idoneam. Has dotes omnes sibi vix quisquam arrogauerit, cum incertum sit, vtrum in vno homine vnquam vel fuerint, vel esse possint. Quare nec scriptorem, putamus, vnquam exstiturum, qui accurate possit docere, quomodo sensim variis artibus excultum sit genus humanum, et per quas mutationes conuersionesque disciplinae omnes et instituta vel esse coeperint, vel nacta sint formam et indolem eam, quam iam habent. Sed in re tam difficili, quae, quantumuis imperfecta, magnam *vtilitatem* habet, vel conatus non omni laude caret, praesertim si sit profectus a viro docto atque modesto, qui et grauitatem instituti sui sentiat, et ab omni vanitate alienus sit. Etsi igitur existimamus, tales libros non posse ab aliqua parte imperfectos non esse, ob mentis humanae imbecillitatem, et historiae, maxime antiquae, defectus et tenebras: tamen hoc lubenter fatemur, ADELVNGII scriptionem, in magna breuitate, quam studio sectatus est, continere

multa

multa *docte obseruata*, et *subtiliter conclusa*, de rebus vero multis ea tradere, quae non potuerint nisi ab homine proficisci, varia doctrina culto, multaque lectione conformato. Nos iam, vt omnis libri descriptio penitus intelligatur, primo quidem *de modo* disputabimus, *quem auctor secutus est*; ac deinde *de locis singulis* adiungemus nonnulla, cum presse sequi auctoris vestigia, et omnia diligenter excutere, nobis non liceat per huius scriptionis angustias.

Est igitur omnis disputatio descripta *in partes octo*, quae continent ac definiunt *gradus*, per quos genus humanum, ab humili ductum, auctori sensim peruenisse videtur ad sapientiam et felicitatem, qua iam fruitur. Vt vero breuiter [illegible]care posset auctor, quomodo *differant* aetates singulae, et quae sit cuiusque veluti nota: imaginem a vita et incrementis hominum singulorum duxit, eaque ostendit, genus humanum ita fere educatum esse et adoleuisse, vti soleant homines singuli sensim ad maiora progredi. *Prima* igitur aetas ea est, quae ab origine generis humani vsque ad diluuium illud ingens, a Mose commemoratum, pertinet. Comparat auctor genus humanum per haec tempora cum *fetu*, qui sensim vitam accipit et motum, et cum aliqua

membrorum conformatione colorem ducit. Sequitur autem in his, quae de hac aetate praecipit, monimenta Mosaica, in quibus nihil inesse censet a probabilitate alienum. *Altera* periodus complectitur tempus, quod a diluuio vsque ad Mosis aetatem elapsum est. Genus humanum *infanti*, putat, simile fuisse, qui, sensuum beneficio vsus, aliquam sibi comparet rerum externarum notitiam, sed imperfectam et obscuram; artes et paucas habeat, et rudes; in moribus denique feritatis multum, et vix incipiat mitescere. Ad *pueri* aetatem progressum, arbitratur, genus humanum periodo *tertia*, quae a Mose porrigitur vsque ad ea tempora, quibus Graeci coeperunt doctrina et elegantia florere. Quae fuerint instituta et artes hominum per hanc aetatem, vberius docetur *Aegyptiorum*, *Phoenicum* et *Israelitarum* exemplis. *Iuuenis* vim et alacritatem accepisse existimat hominum multitudinem per ea tempora, quae a cultis per Graecos artibus ac disciplinis effluxerunt vsque ad Christum. Hic maxime persequitur *Graecorum* doctrinam, artes et instituta, ac docet, cultum eum, qui ab hac gente manauerit ad Romanos, et per hos ad gentes reliquas, similem esse iuuenis sollertioris scientiae, et maxime cerni, cum in disciplinarum descri-

deſcriptione ſubtiliori, quae tamen ſit coniuncta cum iuuenili quadam leuitate atque audacia; tum in bonarum artium amore, qui maxime cadat in aetatem adoleſcentis *ἐυφαντασιώτȣ*, ad concipiendum *πάθος σφοδρὸν καὶ ἐνθȣσιαςικὸν* paratiſſimi. Poſtea delatus auctor ad aetatem *quintam*, quae a Chriſto ad ingentes illos populorum motus et migrationem pertinet, docere inſtituit, genus humanum iam ad *viri* quamdam maturitatem peruenisse, et vtitur ad firmandam ſententiam ſuam *Romanorum* maxime exemplo, qui in rebus et inſtitutis omnibus maſculam oſtenderint ſeueritatem, et penes quos eo tempore fuerit orbis terrarum imperium. Aetate *ſexta* hunc virum, ait, grauiſſimis oppreſſum laboribus, *quaeſiuiſſe ſedem ſtabilem*, ac multa magnaque corporis contentione effeciſſe, vt commode poſſet et iucunde habitare. Inde factum, exiſtimat, vt genus hnmanum per hoc tempus iterum delaberetur ad foedam barbariem, cum aliis impeditum laboribus, variisque agitatum turbis, non poſſet literis operam dare, quae poſtulent pacem, omniumque rerum beatam abundantiam. Hanc vero aetatem a gentium barbararum migratione vsque ad expeditiones, quas dicunt, cruciatas duraſſe exiſtimat. Iam periodum *ſeptimam*, ab

ab his expeditionibus vsque ad renatas literas progressam, effecisse, censet, vt genus humanum simile esset *patrisfamilias, in constituenda, augenda et exornanda re familiari occupato;* vnde vtilissimarum artium inuentionem in hoc tempus incidisse demonstrat. Eam denique aetatem, quae a restitutis literis ad recentissima tempora perueniat, ita, putat, comparatam esse, vt intelligatur, genus humanum iam *frui bonis, multo labore partis, eaque indies augere et amplificare.* Cum vero multa supersint, quae vel inueniri possint, vel emendari rectiusque constitui: vehementer ridendam censet superstitionem eorum, qui verentur, ne instet iam ingens illa conuersio, quae cum interitu orbis generisque humani coniuncta esse debeat. Sperandum potius, arbitratur, fore, vt genus humanum per plures rerum suarum conuersiones ad maiorem in omni genere praestantiam perducatur. In illustrandis aetatibus singulis hunc fere modum tenet auctor, vt, *praemissa quadam imagine breui,* in qua expressa est cuiusque periodi forma et tanquam facies, *historiam ipsam,* et res isto tempore per orbem terrarum gestas, *breuiter exponat,* ac deinde demonstret, *quid ab his mutationibus cum ad scientiae incrementa, tum ad animi conformationem peruenerit.* Genus

pus dicendi apertum est, tersum et elegans; praeterquam in paucis, quae festinatio adsper-sit, cuius passim et alia vestigia, nisi nos om-nia fallunt, obseruauimus.

Hanc libri *descriptionem* habere multa, qui-bus se commendet, nemo negauerit; atque est auctor in disputando hunc ordinem ita secutus, vt afferret et vtilia non pauca, et mul-ta subtiliter obseruaret. Cogitantibus autem nobis de hoc argumento diutius, tamen *in ipsa via modoque disputandi* nonnulla vel prae-termissa videbantur, quae vix possunt abesse ab ista quaestione, vel quaedam rectius con-stituenda, et perscribenda conquisitius. Ac primo quidem *de viribus humanae mentis*, ac *de legibus*, quas in agendo sequitur, nihil mo-nuit auctor; qui locus in hac caussa vel pro-pterea non erat praetermittendus penitus; quod de conformatione generis humani, nisi ex ista indole accurate perspecta, iudicari non potest. Deinde de vi ea, *qua res externae efficiunt animum*, et varie vel excitant et acu-unt, vel eius impetum reprimunt et conten-tionem remittunt, etsi disperse monuit auctor quaedam, tamen istae obseruationes, in lo-cum vnum congestae, perspicuitati magno-pere profuissent. Atque erat hac de re prae-cipiendum distinctius, cum a locis, situ, caelo,

terra-

terrarum adſpiratione, natura, fertilitate, aliisque rebus extrariis originem trahat cum omnis cognitio atque ſcientia, tum animi morumque conformatio. In *narratione rerum*, per aetatem quamque geſtarum, breuis eſt auctor, quod minime vituperamus; delibanda enim ex omni hiſtoria nonniſi ea erant, quae ad hanc cauſſam maxime videbantur pertinere, et e quibus intelligi poterat, quae ſit in quauis re omni tempore facta progreſſio. Sed fuiſſet iſta rerum geſtarum expoſitio accommodatior huic quaeſtioni, ſi *de coniunctione omnium gentium earumque commercio* accuratius praecepiſſet auctor. Nam ex illa ſocietate populorum et conſuetudine vel maxime poteſt intelligi, quid a gente quauis vel potuerit proficiſci ad generis humani cultum, vel profectum ſit. Ita enim plurimum ſolet ſcientia, et honeſtate morum atque elegantia genus humanum augeri, vti ſunt gentes ſingulae arctiſſime copulatae, et ipſae inter ſe aliae aliis proſunt officiorum mutatione, et in medium afferendo communes vtilitates. In exponenda igitur generis humani hiſtoria vel maxime videtur ſpectanda fuiſſe *iſta hominum ſocietas*, quae vti fuit variis temporibus varia, ita quauis aetate aliam habuit ad excolendos homines vim et efficaciam. Sed cum vniuerſa

quaeſtio

quaestio de generis humani cultura, quamcumque demum viam et disputandi modum sequaris, longe difficillima sit: missa hac re, veniamus, vt proposuimus supra, ad *locos singulos*, de quibus, restat, vt nonnulla moneamus.

Primo igitur multi mirabuntur, auctorem *vim aliquam Dei singularem non posuisse in caussis iis, per quas effecta sit generis humani conformatio*, sensimque creuerit. Quamquam enim de legibus, per Mosen Israeliticae gentis datis, disputat, et de commodis non indiligenter praecipit, quae per Christianam religionem ad genus humanum peruenerunt: tamen vtramque religionem *originem habere diuinam*, non monet. Obscurum igitur est, vtrum *aliquam ipsius Dei in excolendis hominibus efficaciam* admittat auctor, nec ne; quamquam, ni fallimur, ad eorum sententiam propius accedere videatur eius oratio, qui e mentis humanae viribus deriuantes omnia, miraculum excludunt. Quomodo autem potuerit Moses, nulla vi diuina adiutus, religionem eam, qua constituit Israelitarum rempublicam, superstruere de Deo vno, omnis corporeae labis experte, cum illa notio tantopere sit aliena ab vltima vetustate, vt multo serius vix potuerit ab eruditis philosophis Graecis inueniri

atque

terrarum adſpiratione, natura, fertili
que rebus extrariis originem trahat c
cognitio atque ſcientia, tum animi
que conformatio. In *narratione re*
aetatem quamque geſtarum, breuis e
quod minime vituperamus; deliban
ex omni hiſtoria nonniſi ea erant,
hanc cauſſam maxime videbantur p
et e quibus intelligi poterat, quae ſi
uis re omni tempore facta progreſſi
fuiſſet iſta rerum geſtarum expoſitio
modatior huic quaeſtioni, ſi *de con*
*omnium gentium earumque commercio*
tius praecepiſſet auctor. Nam ex i
tate populorum et conſuetudine vel
poteſt intelligi, quid a gente quauis v
rit proficiſci ad generis humani cult
profectum ſit. Ita enim plurimu
ſcientia, et honeſtate morum atque c
genus humanum augeri, vti ſunt ge
gulae arctiſſime copulatae, et ipſae
aliae aliis proſunt officiorum mutatio
medium afferendo communes vtilitate
exponenda igitur generis humani hiſto
maxime videtur ſpectanda fuiſſe *iſta h*
*ſocietas,* quae vti fuit variis temporibus
ita quauis aetate aliam habuit ad excu
homines vim et efficaciam. Sed cum v

qu

vis i

atur
nte
ba
ua
ra
it
ſ
u
q
1
a
, i
ſt
ſt
ad
ci
e
c
ſ
n
n
,
c

n
t
r
;

atque intelligi; id vero non docuit auctor. De Christiana religione idem dici potest. Quae quomodo potuerit inter Iudaeos nasci, quorum placitis omnibus aduersatur penitus, et inueniri ab homine indocto atque obscuro, qui per eam de generis humani cultu veraque emendatione multo melius est meritus, quam omnes omnium gentium philosophi; id, omni remota vi diuina, nemo intellexerit, nec auctor distincte potuit demonstrare. Atqui haec minime erant praetermittenda in eo libro, in quo de generis humani cultura praecipitur. Hoc ipsum enim quaeritur, *vtrum omnia ex se pepererint homines*, an *accesserit vis quaedam et institutio diuina*, quae profecto neque a natura rerum abhorret, neque a vetusti temporis memoria. Nam si Deus ipse, extraordinario modo, aliquid contulit ad generis humani in re grauissima culturam, id non magis debet videri ab hominis indole alienum, quam si praeceptor adiuuet aetatem tenellam, ad errandum propensam, suaque institutione puerorum studia tamdiu regit, donec possint carere aliorum opera, et viribus suis prudenter vti.

Homines vetustissimos iam ante diluuium *vnius Dei* habuisse notitiam, eamque potuisse *facile inueniri*, id auctori videtur bene conuenire

nire cum inculti hominis natura; qua in re eo progreditur, p. 25. vt contendat, *eam notionem apud homines prorsus barbaros et rudes maiorem adeo lucem habere, quam apud gentes, iam per aliquot culturae gradus progressas.* Quae opinio quomodo possit conciliari cum modo ac via, quam tenere solet, cum cogitare incipit et ratiocinari, humana mens, nemo dixerit. Nihil nobis, qui a teneris, vt aiunt, vnguiculis didicimus, *vnum esse Deum,* videtur et rerum omnium naturae, et humanae rationi accommodatius, ista notitia. Sed egregie falluntur, qui nostram consuetudinem, puerili contractam institutione, ad gentes barbaras et incultas traducunt, et existimant, ab hominibus imperitis et stupidis intelligi potuisse et inueniri eam rem, in qua, cum rationibus firmanda ac subtiliter demonstranda est, haerere solent summi philosophi. Nos minime probamus illam HVMII disputationem, qua docuit, genus humanum, naturae imbecillitate lapsum, ab initio debuisse incidere in *πολυθεότητα*, quoniam *cum libris Mosaicis* pugnat ista opinio. Sed qui omnia repetunt a viribus mentis humanae, et excludunt diuinam institutionem omnem, quod fecisse videtur ADELVNGIVS, ii profecto non habent, quo argumenta HV-

MII infirmnent. Nota ſunt, quae ſuper hoc argumento nuper ſcripſit MEINERSIVS, nec vim contemnendam habent ad confutandam eorum opinionem, qui gentibus vetuſtis tribuunt notitiam de Deo *vno*, atque exiſtimant, eam etiam in gente barbara facile locum habere. Quod igitur in hac re incautius ſcripſit ADELVNGIVS, cum inde factum eſt, quod omnem Dei vim in excolendo genere humano tollere voluit; tum quod praetermiſit praeceptionem de viribus mentis humanae, et verum videndi quaerendique modo; nam ſi haec diſtincte perſecutus eſſet, facile intellexiſſet, homines incultos, omni carentes inſtitutione diuina, ad doctrinam de Deo vno vix poſſe peruenire.

Ab hoc errore, vt fit, manauit alius. Opinionem *de Diis pluribus* tum demum exortam putat, cum homines, *in ſocietates coacti*, et ſeruitutis oppreſſi malis, non amplius animum poſſent erigere ad contemplandam huius vniuerſi pulchritudinem. Eos, qui incertis ſedibus vagentur, cum ſemper videant infinitam rerum omnium compagem, eiusque adſpiciant magnitudinem, omniumque partium perfectiſſimum conſenſum, facile, cenſet, ex iſta contemplatione decerpere notionem de Deo vno; quae iterum pereat, vbi homi-

homines, in societatis veluti pistrinum detrusi, dediscant, ad infinita illa spatia libere euolare, et in angustiis vrbium haerere cogantur. Sed haec esse non tam subtiliter et accurate docentis, quam diuinantis et optantis, quis non videt? Caussae omnes, quarum efficientiae tribuit auctor p. 41-44. errorem de multitudine Deorum, *etiam in gentibus vagis locum habent;* ac debet earum vis apud hos, qui nondum didicerunt communi iure vti, et in societate viuere, eo maior esse, quo magis homines, in ista feritate omniumque rerum inopia, ad ventrem proiecti, *minime curant istam rerum omnium contemplationem,* cui tantum tribuitur a scriptore nostro. Multo rectius et ad naturam humanae mentis accommodatius praecepit ARISTOTELES in eo loco, quem CICERO de *Nat. Deor.* l. II. c. 37. protulit. Nam hos, qui repente terram et maria et caelum vidissent, *plures Deos* esse, ait, facile crederituros, rerum maximarum multitudine mirabilique natura commotos. Scilicet mens hominis inculta vim et naturam diuinam tribuere solet rebus omnibus, *quae magnam faciunt mirationem;* vnde necessario Deorum exsistit ingens multitudo; ad notionem de Deo supremo, qui complectatur omnia et administret, nonnisi sero, si sibi relicta sit, enititur.

Quae Moses *de vitiis hominum ante diluvium* memorat, vulgo solent de *impietate et contemtu omnis religionis* intelligi. Secus videtur ADELUNGIO, qui negat, eam contemtionem cadere in homines feros ac barbaros, p. 44. Sed vulgaris eius loci interpretatio, si omnem Mosis scripturam consideraveris, sana erit, ac docent omnia, Mosen in ea fuisse sententia. Contemtum vero religionis nec ab indole hominis inculti abhorrere, demonstrat *Kamtschadalorum* exemplum, quorum feritas et incredibilis stupor adiunctam habet impietatem pessimam ac plane impudentem. MEINERSIUS, optimis auctoribus usus, eius gentis mores descripsit in *Miscellaneis philosophicis* Part. I. p. 164. ubi est singularis de hoc argumento commentatio.

*Ἀνθρωποθυσίας* originem novo modo explicat noster p. 65. Existimat enim, consuetudinem veterem, victimas humanas immolandi, partim ex inscitia barbararum gentium vagarumque ortam esse, quae *bello captos* trucidaverint, ne inutilia impedimenta secum trahere cogerentur; partim e more, *supplicia non sine sollemni pompa sumendi de maleficis*, quae res, sensim ad religionem traducta, opinionem effecerit, Deos victimis humanis placandos esse. Nos non videmus, quomodo

haec conueniant cum iis, quae scriptores vetusti tradunt, et quae possunt a consuetudine barbararum gentium hodieque disci. Homines improbos, ob scelera capitis damnatos, omnis antiquitas probe seiunxit ab his, qui in honorem Deûm mactabantur. Vulgo immolabantur *insontes*, et saepe hi, qui essent *illustri loco nati*; quod inprimis factum est apud *Phoenices*. Cuius facinoris immanitatem postquam sentire nonnulli coeperant et auersari: coeperunt passim *capitis damnatos* destinare ei rei, et aliorum loco mactare; quod *Rhodios* fecisse PORPHYRIVS apud EVSEBIVM auctor est *Praep. Euang.* l. IV. c. 16. Mos *infantes* immolandi, qui olim fuit multas regiones peruagatus, non potuisset inualescere, si vera essent, quae scriptor noster hac de re tradidit. Alia plane caussa commotos *Gallos*, istis victimis vsos esse, diserte memorat CAESAR de *Bell. Gall.* l. VI. c. 16. Hodieque solent gentes barbarae eae, quae per Americam et alibi habitant, bello captos necare, eorumque corporibus sollemni modo vesci; sed nemo dixerit, in ea re inesse aliquem cultum Deorum. Aegre etiam efficiet auctor, capitis damnatos antiquissimis temporibus cum pompa, quae ad Deorum curam caerimoniamque accederet, interfectos esse.

Ex his, quae iam de paucis monuimus breuiter, intelligi poteſt, non ſine cauſſa in hoc libro reprehendi multa, in quibus vel ab hiſtoriae integritate et fide videtur aberraſſe ADELVNGIVS, vel non ſatis caute philoſophatus. In promtu eſſent etiam alia, quae poſſemus adiicere, niſi cohibendus eſſet orationis impetus. Nec potuimus, cum perlegeremus hunc librum, impedire, quominus nobis ſaepe veniret in mentem id, quod iam antea obſeruauimus, auctorem ſcripſiſſe *feſtinantius*; quare paſſim ei nonnulla exciderunt, quae ſine dubio induxiſſet manus emendatrix, ſi libellum iterum perluſtraſſet. Sic p. 211. DIODORVM SICVLVM ad ſcriptores *Romanos* refert; p. 248. SOCRATEM *dialecticam docuiſſe* ait, a quo inſtituto is philoſophus omni tempore fuit alieniſſimus; p. 264. de ſcriptoribus antiquis Graecis et Romanis ita iudicat, vt mireris interdum vel *laudes*, quas ipſis tribuit, vel adiectam *reprehenſionem*. In PHILONE et IOSEPHO ineſſe, ait, eruditionem Iudaicam; ſed elegantia Graeca vtrumque carere. CVRTIVM habere vetuſtae virtutis Romanae igniculos; qui quomodo poſſint reperiri in ſcriptore, qui res Romanas nunquam attigit, vix poteſt intelligi. Verum haec omnia non diſputantur a nobis

eo

eo consilio, vt laudibus et existimationi libri ceteroquin docti, et bonarum obseruationum copia plenissimi, detrahamus; sed vt doceamus, quot et quantae difficultates obstent iis, qui hunc locum voluerint diligenter pertractare. Optandum est, vt, cum vnius hominis vires longe superet hoc argumentum, plures ad hunc laborem accedant; qui si locos ac disciplinas singulas fuerint amplexi, rectius poterunt exponere, quomodo scientiae omnisque praestantiae humanae partes, natae sint, incrementa ceperint, apud gentes singulas consenuerint, reuocatae denique saepius et instauratae, aliquam sint adeptae maturitatem.

---

*Bemerkungen über die Natur und Heilung der Wuth vom Biß toller Thiere etc.* i. e. Obseruationes de natura et curatione hydrophobiae, cum indice breui literaria scriptorum hac de re librorum et medicamentorum huc vsque aduersus morbum illum laudatorum; auctore PORTALIO, e Gall. vers. Lips. apud Heinsium. 1782. 8. pagg. 206.

Dirissimum profecto et, eheu! fere insanabile malum hydrophobia est, cui inde a vetustissimis temporibus remedia opponere

Ψusi sunt medici, sed fere incassum. Rapuit plurimos, et rapiet in posterum, donec meliora reperiantur, certa natura morbi eiusque caussa proxima melius indagetur; Id quod fere ad ἀδύνατα pertinet. Multa quidem scripsit et collegit PORTALIVS, sed supersunt adhuc multa vel manca, vel incerta. Videamus ergo, quam in tractando morbo viam secutus sit. Praeuia introductione de signis canis rabidi, incipit pars prima, quae *obseruationes de natura hydrophobiae* continet. Hinc vero referuntur duae formae, spontanea, quam rarissimam esse profitetur, et adscititia, quae frequentior, symptomata, sectiones cadauerum, indicia ad quaedam symptomata pertinentia, contagio et sedes hydrophobiae; In posteriori parte *curatio* docetur. Hic ergo aestimantur varia remedia, caustica actualia, claues ecclesiastici, scarifatio, hirudines, venaesectio, balnea, fluidorum potus, mercurialia, quae ceteris praeferenda ei videntur, emetica et purgantia, antispasmodica. Quae etsi maximam partem noua non sunt, gratum tamen est, hic collecta reperire, quae hinc inde sparsa latent, demirari lectionem multiplicem docti viri, et fiduciam eius laudare, qua nos remedium ipsi hydrophobiae accommodatum inuenisse iactitat, Mercurium

scili-

ſcilicet, morbum ſpaſmodicum eſſe ait, in neruis reſidere, curationem eo ſpectare, primum vt virus ab penetralibus corporis arceatur, deinde vt vis mortifera aut debilitetur, aut penitus auferatur. Indiculus librorum ad hydrophobiam pertinentium mancus quidem eſt, attamen magna cum diligentia confectus et propria lectione, vt videtur, conflatus, quem ſine dubio et poterat, et debebat interpres veluti quodam ſpicilegio augere, quia ſcripta prorſum deſunt, quae Germania noſtra tulit. Ecquis vero non malit perfectum et omnibus numeris abſolutum, quam defectum opus?

---

MICH. SARCONE, *Prof. d. A. in Neapoli, von den Kinderpocken;* i. e. de variolis infantum, ac de periculis faciendis exſtirpationis illarum. Ex Ital. vertit et notas adſperſit D. LEBR. FRID. BENI. LENTIN. Gotting. ap. Dieterich. 1782. 8. pagg. 560.

Claſſicus ſuo in genere liber prodiit Neapoli 1773. ſummis encomiis ab HALLERO ornatus, ſed defuit adhuc in Germania, donec hac verſione in notitiam et familiarem popularium noſtrorum vſum veniret. Inqui-

fiuit enim prae ceteris Cl. SARCONE in naturam variolarum, et argumentis haud proletariis demonſtrauit, vanum eſſe metum connati ſtaminis, falſam ſic dictam deſpumationem ſanguinis, nullam dari euolutionem vaſculorum minimorum, non, niſi per quandam contagionem variolas cum corpore ſano communicari, primam earum originem ex intimis et inacceſſis Africae regionibus repetendas eſſe cet. Quamobrem ſi quis velit penitius noſſe naturam morbi huius peſtiferi, damna ex coacta et copioſa eruptione oriunda, mutationes puſtularum ſenſim pedetentimque factas, metaſtaſin materiae varioloſae, variolas putridas lymphaticas et ichoroſas, vel ſolitarias, vel cum febre pituitoſa, eryſipelate, peticulis et purpura, cum reſolutione humorum cet. copulatas, verrucoſas et gangraenoſas, vel ſpurias, dubiam aeris ambientis vim, magnum contagii ambitum, eiusque naturam putridam penetrabilem, multiplicatiuam, volatilem, receptiuitatem, vt philoſophi dicunt, aut, ſi mauis, diſpoſitionem, varia medicorum ſyſtemata de cauſa morbi pernicialis principe, potiores epidemias ſeculi XVI. XVII. et XVIII. Si quis cupiat tutam ac certam viam variolarum funditus exſtirpandarum, auctorem noſtrum adeat, neque habebit,

bit, cur eum poeniteat impensae lectionis. Accedit et illud, quod historiam et primas dirissimi morbi origines clare describat, sed more antiquariorum Italorum, qui per ambages incedunt. Nam post multam et taediosam profecto patientiam non, nisi hoc reperimus, se nihil certi scire, forte Sinenses auctores tantae luis disseminatae esse, nequaquam Arabes. Quod vero ad versionem attinet, ea videtur multis in locis hiulca esse et prodere interpretem, linguae Italicae non satis peritum. Certe et poterant, et debebant talia vitia scribentis facile caueri, modo nec voluntas, nec vires defuissent interpreti.

---

D. IO. GEORG. ROSENMÜLLERI — *Scholia in Nouum Testamentum. Tom. VI. continens epistolas catholicas et apocalypsin Ioannis.* Norimb. in officina Felsecker. pagg. 446.

Sic tandem finitur opus festinanter satis et inceptum et perfectum. Tironum in gratiam scholia haec editurus erat auctor; sed neque hoc suo munere satis feliciter perfunctus est. Iam enim in sex volumina excreuerunt, quae pretio constant maiori, quam vt ab omnibus facile comparari queant, quibus hac

hac opera ſua conſultum iuit. Si lucro ſuo bibliopola non conſuluiſſet nimium, facile potuiſſet vniuerſum opus tribus comprehendi tomis modicis. At ipſe auctor in primis prudentius rem ſuam inſtituere debebat, vt voto ſuo potiretur. Primum enim per totum opus immanis multitudo diſperſa eſt obſeruationum tritiſſimarum, quae ne pueris quidem, ac multo minus literarum ſacrarum ſtudioſis, ad interpretationem N. T. iam admotis, ignorantur. Saepiſſime vocabulis Graecis auctor appoſuit Latina, vbi in illorum ſignificatione nihil plane inſolens eſſet. Alibi e rudimentis grammaticis res notiſſimas depromſit, et, vt paucis dicam, tales ſibi lectores cogitauit, qui adhuc haerent in Knolliano vocabulario, vel Delianis fontibus et riuulis, aut aliis huius generis libellis. Quis v. c. in libro tali has exſpectaret notulas: Iac. I, 1. *ταις δωδεκα φυλαις ἐν τῃ διασπορᾳ ſc. ὀσι* (mallem *ὀυσαις*) *χαιρειν ſc. λεγει ſalutem dicit.* — Verſ. 3. *ὑπομονη perſeuerantia, conſtantia.* — Verſ. 4. *ἐργον τελειον opus perfectum.* — Iud. 15. *περι παντων των σκληρων de omnibus duris.* — 16. *ὠφελειας χαριν vtilitatis gratia.* — 24. *στησαι ſiſtere.* Κατενωπιον *της δοξης αυτȣ coram maieſtate ipſius vel throno ſuo.* Ἐν *αγαλλιασει in laetitia.* — Sed nulla fere pagina eius modi

di puerilibus interpretamentis caret, quae sine damno recidi potuissent. Verum alia plura prorsus otiosa sunt et superuacanea. Vbicumque enim eadem dictionis alicuius significatio, vel forma loquendi solis N. T. scriptoribus vsitata, occurrit, ibi obseruatur ab auctore, quod semel iterumque monere suffecisset, si frugalis esse voluisset. V. c. nusquam legitur ζωη, quin addatur *felicitas, felicitas aeterna*, στεφανος *praemium*, ἀνηρ *aliquis*, ἐργα ἀσεβειας *pro* ἀσεβη, πειρασμος *calamitates*, et innumera talia. Denique etiam abesse poterant, vt saepius iam dictum est auctori, quam plurimae animaduersiones piae magis, quam eruditae, et illa omnia, quae nihil conferunt ad propositum, quod ceperat auctor: *per verborum exploratam significationem et orationis perspicuam compositionem viam aperiendi ad solidam et accuratam interpretationem.* Istis omnibus igitur abiectis vtilius fuisset, multa magis explicite tractare, plures vnius loci interpretationes afferre, delectum opinionum facere, causas et fundamenta illius, quam prae ceteris probasset, sententiae exponere. Omnino autem necesse erat, in singulis interpretamentis nominare auctores illorum, ac distinguere propria ab alienis. Quamuis enim pleraque scholia descripta sint

ex

ex interpretum celebriorum libris, nonnumquam tamen et ipse tentauit aliquid auctor et suum, vt ait, secutus est sensum. Ita v. c. non dubito, quin ipse primus et solus omnium auctor sit notae ad Iac. I, 24. adscriptae: *Mulieres solent diu inhaerere speculo, vt ad id se forment. Viri vix conspecto speculo, solent abire, nec curare quales sint.* Pulchre! haec omnia elicit e voce ἀνδρι. — Nec desunt alia huius farinae scholia, prorsus noua, v. c. Iac. I, 4. ad vocc. ἐργον τελειον ἐχετω: *Videtur alludere Iacobus ad artem fabricam. Vt imperfectum aedificium habitationi minime commodum est, ita et deficiens tolerantia perpessorum mercede excidit. Tolerantia ergo nostra suum opus perfectum sistat.* Vers. 5. ἐι δε — *Si sentiat, se non satis habere prudentiae ad diiudicandum, quid in singulis circumstantiis agendum sit.* Vers. 10. ὁ δε πλουσιος — *Homo diues autem (si ita velit) glorietur de vili statu suo, i. e. de suis diuitiis, quae sunt instabiles et caducae. Ironice haec dicta esse videntur.* (Perfugium consuetum, odorari ironias, si quid obscurum est.) — Sed haec et alia plura sibi propria esse, ab auctore monendum, ac ceteris, quos compilauit, viris doctis sua cuique relinquenda erant, vt scirent iuuenes, apud quem singulas interpretationes vberius

rius expositas et confirmatas deprehendere possent.

Sed in his etiam, quae ex aliis libris decerpsit, bonum saepe delectum desideramus. Ista enim decerpendi opera laudanda esset omnino, et satis magnam auctori gloriam conciliaret, si bene illam administrasset, quandoquidem post tantam interpretum multitudinem ad intelligendos et explicandos libros N. T. minus indigeamus nouis interpretationibus, quam veterum delectu. Iuuenes autem praecipue, qui ad exegesin horum librorum praeparandi sunt, acquiescere interim possent aliquo commentariorum optimae frugis compendio. Neque tam facilis profecto labor est, quam forte horum scholiorum editor putauit, bene secernere complures eiusdem dicti explicationes, toto coelo saepe diuersas, caussas omnium ponderare, et quid vbique aptissimum sit, dispicere; adeoque difficilior multo est, ac iudicium diuturniori vsu subactum et diligentiam accuratiorem postulat, quam sensum scriptoris pro suo gustatu et lubitu vtcumque circumscribere. — Iam quidem operae non est pretium, inquirere fusius, quas auctoritates in singulis locis secutus sit Noster, quum ipse rarissime tantum eas indicauerit, et fere semper ita scripserit, ac si ipse

innen-

inuentor esset omnium, quae vel bene vel male adnotauit. Hoc autem planissimum est; nunc eum ex altero commentatore attulisse aliquid, quum in altero haberet, quod multo melius conueniret, nunc fusius, quam opus erat pro instituto suo, descripsisse adnotationes interpretis cuiusque, in quem forte fortuna incidisset. Hinc etiam fit, vt nullus sit aequabilis modus in his scholiis, et nulla perpetuitas. — Iac. II, 1. Μη ἐν προσωποληψιαις ἐχετε την πιϛιν vertit: *Si personas respicitis, eo ipso patet, vos non vere credere Domino nostro Iesu Christo in summam gloriam euecto.* Ἐχετε enim esse indicatiuum, et μη vsurpari sicut Matth. I, 19. III, 10. Sed statim recedit ab his argutiis, et circumscribit: *Nolite in religione christiana solius personae respectu ab officio et aequitate recedere.* Neque hoc tamen inest verbis Apostoli. Sufficeret dicere, πιϛιν esse *cultum Dei*, eumque, vt e sequentibus patet, *publicum* seu *communem*. Monet igitur Apostolus generatim, quod post exemplo quodam illustrat. — Της δοξης *construi*, inquit, *potest* cum τȣ κυριȣ et *cum I. X. eodem sensu.* Sed *potest* etiam aliter, nempe cum πιϛιν, cum προσωποληψιαις etc. et quid aptissimum esset h. l. et cur, dicendum erat. — Vers. 2. συναγωγην recte quidem intelligit *coetum Christianum,*

*stianum*, sed minus recte laudat. Act. XV, 21. Est enim hic locus Iacobi vnicus, in quo συναγ. hoc sensu occurrit. — Vers. 14. multus est in reconcilianda doctrina Iacobi et Pauli de fide et bonis operibus. Nihil horum hic opus erat, si obseruasset, Iacobo πιστιν et θρησκειαν idem esse. Σωσαι vertit: *ad vitam aeternam aliquem perducere;* sed notio verbi magis est generalis, et h. l. idem, quod paullo ante ὀφελος ἐιναι, ᾽ȣ ματαιον ἐιναι, νεκρον ἐιναι. — Vers. 18. loquentem induci ait *non-Christianum e. g. Iudaeum;* sed hoc non est in verbis ἀλλ᾽ ἐρει τις, nec in illis, quae sequuntur. Certe Iudaeus ita loqui non poterat: *Tu quidem religioni Christianae addictus es, ego vero do operam piis factis, etsi Iudaeus.* His enim verbis, quibus Cl. R. reddit illud συ πιστιν ἐχεις, καγω τα ἐργα ἐχω, nulla inesset exprobrandi vis. Πιστις est *religionis* in vniuersum, siue Christianae, siue Iudaicae, scientia ac professio, vel etiam *Dei cultus*, et verus quidem ac rectus; illa, inquit Apostolus, vana est omnis, si sola est nec bene factis monstratur; ἀλλ᾽ ἐρει τις, *immo, vel adeo ut* dicere quis posset etc. ille *quidam* igitur est, vt ex verbis sequentibus patet, homo probus, recte factorum studiosus et conscius sibi, quamquam nulli religioni externa professione

addictus, sed religionum praestantiam e recte factis vnice aestimans, vnius quamquam Dei cultor. Nam verba σου πιστευεις etc. vers. 19. videntur eiusdem esse, qui versu 18. loquebatur, non Iacobi, vt pronunciat Noster. Ita demum omnia facilia sunt et bene cohaerent, siue versu 18. legatur: ἐκ των ἐργων, siue χωρις των ἐργων σου. (Quid? si ΕΚΤΟΣ ΤΩΝ ἐργων, vel ΕΚΤΟΣ ΕΡΓΩΝ? Ita χωρις ex interpretamento, ἐκ vero ex incuria librarii potuisset nasci.) Si χωρις legitur, *ironice* intelligenda esse verba putat. Cur demum, non video. — At finis non esset δευτερων φροντιδων nostrarum. Haec saltem ex vna plagula voluminis degustauimus. — Quam tumultuarie rem suam egerit auctor, vel inde apparet, quod laciniam *emendandorum* adiecit, in quibus varia scholia in apocalypsin praecipue effusa retractat. Denique ne quid deesset, quod libro potest dedecori esse et incommodum facere legentibus, (vt praeteream stilum barbarum) totum opus infinita vitiorum typographi, forte etiam scribentis, multitudine inquinatum est.

---

D. IOH. VLR. BILGVERS *Versuche und Erfahrungen über die Faulfieber und*

*Ruhren etc.* i. e. tentamina et obſeruationes circa febres putridas et dyſenterias ad impediendum, quominus apud exercitus et in noſodochiis tanta militum frequentia iis exſtinguatur. Berolini apud Heſſe. 1782. 8. plagg. 7.

Tanti ingenii tantaeque experientiae viri obſeruationes vere augent ſcientiam et emendant praxin medicam. Praeſentia ad emendationem methodi febres putridas valde acutas et pernicioſiſſimas atque dyſenterias epidemicas, praeſertim malignas, curandi multum pertinent, medicinam facientibus valde commendanda. Vt nimirum maxima quantitas putredini reſiſtentium eamque corrigentium medicamentorum ingeratur, (non ſufficere enim videbatur clar. auctori eorum ore aſſumtio) praeter internum antiſepticorum praeprimis vini auſteri cum decocto cort. peruv. dilati vſum, praemiſſis euacuationibus, adhibentur feliciſſimo cum ſucceſſu balnea ex infuſo florum chamomillae, corticum iuniorum quercus libr. IV., nitri libr. II. ad 96 gr. Fahrenh. calida per quadrantem vsque integram horam toti corpori quotidie mane applicanda, porro vapor infuſi eiusdem addito aceto vini inſpiratione pulmonum hauriendus, deinde veſperi lauatio totius corporis cum aceto te-

pido, denique fructus horraei in cibis dandi et pro potu aqua aceto vini vel ſpiritu vitrioli nupta, reconualeſcentibus autem vinum, tandemque vapore dicti infuſi, fermentatione vegetabilium aerem fixum emittente, acceſſu libero aeris externi eiusque interrupta renouatione in noſodochiis, mutatione induſiorum ſtramininisque, in quo aegroti cubarunt, exhalatum et in aere ambiente collectum miasma eliminandum eſt et obtundendum. Eadem haec methodus et externa remediorum applicatio ſanauit febres, licet petechiae eruperint. Eadem quoque putridas dyſenterias vicit, ſimul iniecti ſunt clyſteres ex vino et corticis peruuiani decocto ad corrigendam ſaburram inteſtinorum putridam, ſed ad dolores et teneſmum ſedandum caute opiata danda.

***n 5.

---

D. ERNST ANTON NICOLAI *Fortſetzung der Pathologie;* ſ. continuationis pathologiae de morbis doctrinae tomus ſecundus. Halae ſumt. Hemmerde. 1782. 8. 2 Alph. 7 plag.

De vitiis ex lactis ſaliuae et bilis ſe- et excretionibus agit cl. auctor in tribus capitibus, quorum primum, continuationis nimirum

quar-

quartum, proponit praeprimis multis verbis ea, quae hucusque de lactis metastasi obseruata sunt tam vera quam dubia et aperte falsa. Hypothesin hanc valde auctor defendit, ita tamen intelligendam, vt lac, in se spectatum neutiquam, sed quatenus in mammis stagnando corruptione quadam infectum resorbetur in humorum massa, et ad loca minus idonea transfertur, ibique a sanguine secedit, atque collectum haeret. In quinto capite continetur de ptyalismo fusior tractatio, et in sexto ea de ictero agens. Accedunt addenda quaedam de febre parturientium, de eiectione amphibiorum viuentium aluina et intestinorum vix credibilia. Atque in hoc quoque tomo ad nauseam vsque verbosus est et cramben centies coctam offert.

L** n 6.

---

*Herrn* VON HORNE *D. Abhandlung von den verschiedenen Methoden, das Quecksilber in den venerischen Krankheiten zu gebrauchen;* i. e. tractatio de variis methodis, mercurium in morbis venereis adhibendi. Ex gallica lingua translata. Lipsiae 1782. 8. 1 Alph. 7 plagg.

Ob diligenter institutarum obseruationum

 enume-

enumerationem circa curam morborum venereorum maxime commendandus hic liber, dignus optimo iure erat, qui versione germanis medicis et chirurgis magis innotesceret. Non enim historiam variorum mercurialium praeparatorum, et propinandi ea methodos solummodo recenset in primis sectionibus auctor, sed applicationem eorum descriptione obseruationum et casuum ad praxin optime applicanda in vltimis libri sectionibus ad oculum demonstrat. Vnde practicorum scriptorum hoc facile princeps haberi merito potest. Summis encomiis effert sublimati corrosiui solutionem spirituosam et aquosam, reliquis antiuenereis longe antecellentem, si a prudenti medico circumspecte adhiberetur, contra vero eandem fore venenum lethiferum contendit, si incautius nulla habita circumstantium ratione sumeretur.

L**n. 7.

---

*Epistola critica in Apollodorum ad V. Ill. Chr. Gottl. Heyne. Accedunt nonnulla in Statium et Catullum*, auctore CHR. GVIL. MITSCHERLICHIO. Gotting. ap. Vid. Vandenhoeck. 1782. duod. pagg. 91.

Ad

Ad praeceptorem suum has auctor defert studiorum suorum primitias, paruum quidem, sed non contemnendum omnino ingenii; veterum scriptorum lectione adsidua culti et expoliti documentum. In *Apollodoro* nonnihil ex coniectura tentauit. Lib. I. cap. IX. §. 16. p. 48. ed. Gal. verba: *ἵν' ἔλθοι κακον Μηδεια Πελια* Apollodori esse dubitat et abesse mauult a textu, praecipue quia in illis eam structuram orationisque colorem reperiat, quem omnino soluta respuat oratio. Putat, antiquioris poetae versum a Grammatico aliquo margini adnotatum esse. Pari modo de aliis quibusdam locis iudicat. Sed festinantius, puto. Quidni enim potius, si quid omnino alienum ab orationis serie occurrit, Apollodorum ad versum poetae aliquem respexisse dicamus, vt mos est mythographis? — Felicior est coniectura ad Lib. I. IX. 26. p. 62. vbi pro: *οἱ δε* ΤΑΥΡΟΝ *αὐτον* (np. *τον Ταλω*, Cretae insulae custodem) *λεγουσι* scribi vult ΟΥΡΟΝ, hocque nomen ei fuisse, auctoritate poetarum Graecorum confirmat. Mirum, hoc neque FABRVM neque GALEVM vidisse. Bene etiam restituit nomina quaedam alia regionum ac populorum propria, quae in Apollodoro deprauata sunt. — Sed non erat, quod valde offenderetur Lib. II. IV.

4. p. 88. his verbis: ἀγωνιζομενος δε (Περσευς) πενταθλον τον δισκον ἐπι τον Ἀκρισιȣ ποδας βαλων. ΠΑΡΑΧΡΗΜΑ ἀπεκτεινεν αὐτον. Argutius disputat, non esse verosimile, Acrisium ex vulnere per discum in eius pedes delapsum, statim exspirasse, ac mirum esse, nullam occurrere particulam, qua Perseus Acrisium *imprudens* interemisse dicatur; hinc Apollodorum scripsisse βαλων ΑΚΩΝ ἀπεκτεινεν, in margine autem ad vocem ἀκων glossam positam παρα χρησμον, qua nonnemo indicare voluisset oraculo iam monitum fuisse, Acrisium a Perseo interemtum iri, (tum scribendum fuisset κατα χρ.) quam vero deinceps librarii in παραχρημα mutassent. Nimis longa est haec sine testibus historia, atque in verbis Apollodori nihil est, quod offendat, nisi inferas hoc illis, Acrisium *statim exspirasse.* Nam ἀποκτεινειν τινα generatim significat *auctorem* vel *causam esse necis*, et hoc loco igitur *vulnus letale infligere.* — Potuisset auctor et plures et grauiores quasdam Apollodori emendationes afferre, si diligenter consuluisset scriptorum antiquorum de re mythica libros, atque in his praesertim Antonini Liberalis metamorphoses.

Sequuntur nonnulla in *Catullum*, cuius Epithal. Pel. et Thet. aliquoties emendare atque

que illustrare studuit. Bene comparat cum vers. 12-17. locum Apollonii Rhodii valde similem, I. 540 sqq. Vers. 13. *Tortaque remigio spumis* incanduit *unda* mauult legere *incanuit*, quia vs. seq. statim recurrat *candenti e gurgite*. Nobis videtur haec similitudo vocum *incanduit* et *candenti* non negligentiae librariorum, sed consilio poetae tribuenda esse. Ad vers. 16. VOSSII coniecturam, pro: *Illa atque alia viderunt luce*, legentis: *Illaque haudque alia vid.* confirmari putat verbis Apollonii ἤματι κείνῳ. Sed nescio, quid durum inest et otiosum huic lectioni. Quod autem poeta Nymphis *feros vultus* tribuit, in mendo cubare non videtur. Non enim, vt auctor putat, *iratae* finguntur, quarum *feri vultus* e gurgite emergunt; sed rei tantum nautis visae *insolentia* describitur. — Vers. 106. pro *sudanti corpore* mauult *nutanti corpore* s. *vertice*; vers. 109. *Prona cadit*, lateque et cominus obuia frangens, ita: *Prona cadit*, late, quae cornibus *obuia*, *frangens*. Vers. 230. *Quae nostrum genus et sedes defendere* fretis *Annuit*, quia omnes Mss. *freti* exhibent, vnde SCALIGER fecit *fretis*, sed *fretis* nulla, nisi e longinquo petita, ratione explicari potest; scribendum putat *creti*, h. e. Thesei, filii mei regnum. Perdura emendatio; *cretus* enim

 pro

pro *filio* non ſolet, niſi cum caſu ſexto patris vel matris vſurpari. (Cf. SCHRADERI obſſ. lib. I. p. 70 et 71.) — Elegantior quidem euadit vſ. 345. *Quum Phrygii Teucro manabunt ſanguine riui*, ſi cum auctore legas: *Quum Phrygio tepidi manabunt ſanguine campi.* Sed minus neceſſaria atque audacior eſt iſthaec correctio.

In recenſendo *Statio* peculiarem ſuam operam collocaturus eſt doctiſſimus iuuenis. Et ſperamus, illum ſuſcepto huic non imparem eſſe futurum, niſi accelerauerit. Interim promulſidem quamdam criticam nunc iam propoſuit. Achill. I. 4. *ſed plura vacant, nos ire;* praefert lectionem magis exquiſitam: *ſed plura vocant,* h. e. plura, quam Homerus cecinit, Achillis facta meum carmen depoſcunt. Durum eſſe et inuſitatum, *vocare* ſine nomine vel pronomine, ſentimus. Et appoſitius eſt *plura vacant* ad id, quod ſequitur: *nos ire per omnem* etc. niſi forte ſic, ſed paullo duriuſcule, diſtinguere velis: *ſed plura vocant nos, ire per* — Verſ. 6. bene tuetur vulgatam lectionem *tracto.* Theb. III. 165. mauult *numeranda*, (quod et e noſtris codd. duo habent, Lipſ. et Martipolit.) quam *miſeranda.* Ach. I. 9. defendit *depleuimus*, pro *compleuimus*, quod vnus Guelph. et ſcholiaſtes a

DOM.

DOMMERICHIO (non Brunouicenſis, ſed Guelpherbytanae ſcholae quondam Rectore, poſt Profeſſore Helmſtadienſi) editus habet. Verſ. 10. recte tenet: *Scit Dircaeus ager.* (quod e noſtris etiam duo ſeruant codd. Herel. et Helmſt.) Non maioris fere momenti ſunt reliquae animaduerſionas, niſi quae nonnihil ad illuſtrandas dictiones ſingulares poetae conferunt. Ingenioſiſſima autem emendatio eſt, quam ad Ach. I. 476. (III. 80.) *Quis enim Haemoniis in vallibus alter Creuerit, effoſſa reptans niue?* attulit. Quum enim *effodere niuem* vix quisquam in veteri Latio dixerit, pro *exterere, calcare;* legendum pro *effoſſa niue* exiſtimat *Oſſaea niue*, quam loquendi rationem exemplis ex aliis et ex ipſa Statio petitis ſuperſtruxit. Ex *Oſſaea* autem *effoſſa* factum eſſe putat, dum grammaticus, graece non indoctus, *Oſſaeae niuis* interpretationam alleuerat ἐπ' Ὄσσα. — Sed antequam haec lectio in contextum recipiatur, inſpiciendi ſunt plures codd. mſti; e noſtris Helmſtad: non male habet *effuſa*, ex quo in aliis primum *efoſa* (cf. Lindenbrog.) poſt *effoſſa* facillime oriri potuit.

---

*Von den Leichen der Morgenländer;* i. e. de funeribus Orientalium, ex itenerum deſcri-

descriptionibus ad illustrandos locos S. Scripturae; obseruationes ex Latino versae et cum notis auctae. Coburgi ap. R. W. A. Ahl. 1782. 8. pag. 84.

Vertit anonymus dissertationem cl. GEO. FRID. WEBERI, quae Argentorati a. 1767. prodiit hoc titulo: *Obseruationes sacrae circa funera populorum orientis*, quibus secundum PAVLSENII methodum primum ex peregrinationibus varii loci ritus circa funera describentes citantur, deinde eorum ope dicta Biblica Vtriusque Foederis illustrantur. Huius dissertationis docte et diligenter scriptae exemplaria si distracta erant: fortasse melius de re literaria meritus fuisset anonymus, si eam typis typographicis describendam iterum curasset, quam quod, nescimus quorum in gratiam, theotisce verterit. Animaduersiones quasdam adiecit, quae hinc illinc ex HARMERI notissimo libro obseruationes in S. Scriptur. ex peregrinatione sistente, quem nunquam citari aegre tulimus, augeri et emendari potuissent. Quae circa Ies. LIII, 9. notat, fere eadem sunt, quae doctiss. KOPPIVS habet in supplementis ad LOWTHIVM. Hunc tamen non legisse videtur.

---

*Chrestomathia Quinctiliana.* (Quinctilianea) *Scholae suae accommodauit notasque variorum et suas animaduersiones adiecit* BONAV. ANDRES, *in acad. Iulia Wirceburg. liter. human. Professor.* Wirceb. apud Tob. Goebhard. 1782. I Alph. VII pl. 8.

*De consilio chrestomathiae Fabianae* prolusionem scholasticam legere memini, a b. M. IO. CHRISTOPH. ALBERO, Ioannei Luneburgensis Rectore, a. 1769. scriptam. Neque indignum videbatur tale consilium, quod a viro docto perficeretur. Inter illos enim veteris Latii scriptores, qui in scholis fere peruulgato more non leguntur, Quinctilianus vnus minimum videtur aetati discenti ignotus et illibatus esse debere, ille, de quo LVTHERVS noster, adhuc fraterculus Augustinianus ad SPALATINVM suum scripsit: *Quinctilianus vnus est, qui optimos reddat adolescentes, immo viros. Hunc rogo ante omnia ne derelinquas, qui semel et instituit, simul quoque eloquentiam monstrat, id est, verba et res docet quam felicissime.* Quamquam vero a ROLLINO iam olim in vsum scholarum editae essent aureae FABII institutiones oratoriae, recisis iis, quae minus videbantur necessaria, inter nostrates etiam nuper studio HARLE-

SII

tur. Haec igitur omnia, quae vel ad Latinae linguae proprietatem et ornatum, vel ad forensem vnice eloquentiam spectant, praecepta, vel quae salua institutionis oratoriae, qualem hodie desideramus, integritate abesse poterant, abesse iussit. Magis igitur *initiorum, rhetoricorum e Quinctiliano in breuem formam concinnatorum*, quam *chrestomathiae Quinctilianeae*, nomen hic liber meretur. Incipit a re ipsa, diuisione operis, finitioneque rhetorices. Ex libro I. nihil, ex libro II. perpauca, nempe e cap. XV et XVI. huc relata, et sic ex toto opere ea tantum, quae potissimum intererat, vt ab aetate legerentur, imo discerentur penitus, decerpta sunt. In octo sectiones totum librum digessit, et singulas has in sua capita. Sect. I. de ipsa rhetorices substantia, II. de inuentione, III. de dispositione, IV. de elocutione, V. de memoria, VI. de pronunciatione, VII. quae oratorem perficiant, VIII. de genere dicendi. Harum vberrima est quarta, de elocutione, librorum VII. VIII. IX. summam, libros autem X et XI. prope integros, et id quidem summo iure, continens. Aptissimam esse vsui scholarum editoris hanc parsimoniam in disponendo, non dubitamus; nam quamquam nos amor ille, quo ferimur in Fabium, ducit, vt plura hinc inde

inde describenda fuisse credamus, nolumus tamen viro doctissimo scrupulos mouere. Felices satis iuuenes praedicamus, qui hanc solam chrestomathiam perlegerint, perlectaque inuitati fuerint ad integrum hoc opus Fabii, tanquam sanae mentis armamentarium, perlustrandum et incognoscendum.

Contextum repeti ab exemplo Gesneriano iussit. Lectionum varietati non inhaesit, nisi quod interdum, vbi vulgaris lectio affecta esse videbatur. Notas adiunxit non paucas, ad res magis, quam ad verba spectantes. In his hoc maxime egit, vt nominaret scriptores antiquos, sed multo plures recentiores, HOMIVM, SVLZERVM, BATTESIVM, alios; quorum sententiis, plerumque Teutonice adiectis, vel confirmaret, vel in primis illustraret praecepta Quinctiliani, simul vero etiam saporem excitaret iuuenibus suis, hos scriptores auide legendi. In enumeratione scriptorum Graecorum et Romanorum (lib. X. 1.) recensuit simul praestantiores illorum editiones. Nimium autem credidit, in iudiciis de his scriptoribus, SCHMIDIO, Prof. Giessensi, cuius garrula scripta malim iuuentuti extorqueri manibus quam commendari.

---

*Kurzgefaßte Religionsgeschichte der Herzogthümer Bremen und Verden etc.* h. e. Historia religionis in ducatu Brem. et Verdensi, breuiter concinnata a IO. HENR. PRATIE, Superint. gen. Sectionis III. pars altera. Stadae 1781. VII pl. 4.

EIVSDEM *Pastoralschreiben* etc. h. e. Epistola pastoralis ad vniuersum clerum Brem. et Verd. ibid. 1782. VI pl. cum dim. 4.

Piori libello finem imposuit auctor clarissimus isti suae de religionis Chr. per omnes aetates in patria sua narrationi, quam adhuc particulatim edidit. Nam praeter documenta quaedam publica, quae ad sectiones antecedentes pertinent, continuatur historia a tempore *secularisationis* terrarum Br. et V. post pacem Osnabrugensem peractae vsque ad nostra tempora. Lectu vtilia potissimum sunt, quae de controuersiis, inter theologos illarum prouinciarum, seculo superiori potissimum, scilicet pro pugnaci eius genio, actae fuerunt. Et licet maior huius commentationis pars potissimum scripta sit ciuibus auctoris venerandi; intererit tamen omnium historiae ecclesiasticae recentioris cultorum, illam euoluere. Neque enim reperient facile

com-

commentarios hac de re, magis erudite et accurate scriptos.

*Epistola pastorali* continentur scripta quaedam synodalia, inter quae praecipuum est oratio, quam in memoriam stabilitae ante CC annos *formulae concordiae* a. 1780. ipse S. Ven. PRATIE recitauit. Remouet in primis ab illa culpam iacturae non paruae, quam Lutherana ecclesia experta sit, multis terris et vrbibus Reformatorum sacra sectantibus; itemque non illam, sed potius Dordracenam synodum vtramque Protestantium ecclesiam magis a se inuicem dissociasse bene ostendit. De vero pretio libri magna cum moderatione iudicat.

---

*Beyträge zur Botanik;* i. e. Symbolarum ad botanicam Tom. I. auctore ALB. WILH. ROTH, M. D. Bremae apud Förster. 1782. 8.

Continet hic libellus cel. ROTHII, cuius erga studium botanices amorem et in eodem studio laudabilem diligentiam ex alio libro circa rationem herbarium viuum conficiendi et ordine systematico disponendi 1778. edito iam intelleximus, diuersos tractatus botanici argumenti, in quorum *primo catalogus plan-*

 *tarum*

*tarum nonnullarum in ducatu Oldenburgensi sponte crescentium.* Non omnes et qualescunque plantarum species recensentur, sed eae, quae aliis regionibus germanicis datae non sunt et minus copiosae, omissis reliquis toti Germaniae communibus. Nudam vero non intelliges recensionem nominum sterilem minusque vtilem, sed suppeditauit potius cel. Auctor institutas obseruationes, ad locum natalem, vegetabilium habitum et differentiam specificam a consimilibus speciebus spectantes, quibus si Oryctographia localis instructa est, omnem ea commendationem bene meretur. Numero 61 plantarum species in hoc tractatu enumerantur, quarum nomina hic indicare non refert, sed eas, quae fusius descriptae sunt. *Pinguicula vulgaris* p. 2. sq. Demonstratur b. LINNAEVM maius et latum stigmatis labium pro superiori assumere et eiusdem labium angustissimum pro inferiori, quum illud tamen primum labio inferiori corollae et calycis respondeat, hoc alterum labio eorum superiori. *Scirpum maritimum* variare vmbella simplici conglobata et composita gaudente radiis longis, spiculas 3. 4. 5. conglobatas gerentibus, basi inuolucratis, disci vmbellulis subsessilibus. *Scirpum mucronatum* Lin. a Iunco acuto marit. caule triangulo

*Bauh.*

*Bauh* differre. Plantam Bauhinianae descriptioni vehementer conuenientem auctor inuenit, pro mucronato scirpo non habendam, quia culmus non tricurinatus et mucro rectus, non ad latus reflexus, vti etiam in Bauhini icone exprimitur. Dubium auctori adhuc restat, vtrum hanc speciem recte *scirpi triquetri* nomine insigniat, quum mucro panicula multo longior sit. *Poa maritima* etiam vberius descripta p. 6. sq. ab ill. LINNAEO in System. Vegetabil. omissa. *Plantago maritima*, singularis species a plantagine maritima Linnaeo sic dicta longe aberrans ita, vt proprio nomine digna sit pag. 9. *Cornus Suecica* p. 10. sq. bene characteres enumerantur. *Ilex aquifolium*. Planta constanter polygama dioica a Linnaeo ad tetrandrias tetragynias relata. *Menyanthes nymphoides*. Folia triplo vel quadruplo minora foliis Nympheae et quadruplo maiora foliis Hydrocharis Morsus Ranae, quibus quoad figuram conueniunt. Ad basin germinis quinque corpora nectarifera etc. in hac specie viridia in *Men. trifoliata* flauescentia, a Linnaeo nec in generibus nec speciebus obseruata. Alae laciniarum potius tenuissime incisae sunt, quam setis obuallatae ceu *ciliatae*. *Gentianam Tetragonam* pro specie a *Gent. campestri* (cuius varietatem hanc fecit Linnaeus)

 diuersa

diuersa esse habendam cum cl. OEDERO contenditur pag. 16. *Gentiana filiformis* rara Germaniae planta pag. 17. *Tordylium nodosum*. In plantis cultis vmbellas plerumque non sessiles, sed pedunculatas obseruari, flosculos et semina sessilia. *Angelica archangelica*. *Anthericum ossifragum*. *Triglochin maritimum*. Petala tria inferiora, calycis loco a Linnaeo reliquisque botanicis habita, ordinis inferioris ergo petala conueniunt figura, structura, et colore reliquis tribus petalis, corollae a Linnaeo tributis, ita, vt nulla intercedat differentia. Iure itaque tria illa calycis petala Linnaei, pro partibus corollae, petalis nimirum assumere debemus, inquit auctor pag. 23. *Vaccinium vliginosum*. Frutex erectus 2-3 pedum altitudine. *Erica Tetralix* flore albo. Bracteae 2 calyci adpressae differunt loco insertionis et figura a foliolis calycis. *Elatine Hydropiper*. Flores rarissime aperti, in quibus stigmata simplicia solum nec vllos stylos obseruauit cum *Oedero*. *Spergula Saginoides*. *Stratiotes Aloides*, cuius flores semper dioici. *Scutellaria minor*, habitu, structura, figura et colore haec species a congeneribus diuersissima. *Limosella aquatica*, ob corollam non ringentem sed regularem ad Tetrandriam referri posset, nisi staminibus per paria approximatis

ximatis gauderet, etiam numerus partium corollae et calycis quinarius in Classe IV. non occurrit. *Bunias Cakile* Silicula gaudet, neutiquam Siliqua, vnde male ad secundum ordinem Classis XV relata est. *Fumaria claviculata*, planta speciosissima et rara describitur p. 34. sq. *Genista Anglica* fruticulus bi - s. tripedalis. Stamina monadelpha, ob corollam papilionaceam ad diadelphiam retulit Linnaeus eam. II. *Obseruationes quaedam plantarum.* Curatiores plantarum botanicae descriptiones, quoad omnes earum partes. Hedysarum caput galli, Hedysarum crista galli. Vicia Narbonensis. Vicia alia a Narbonensi hirsutie, flore, leguminibus, seminibus et stipulis diuersa. Hibiscus Trionum. Hibiscus Africanus, qui ita differt ab Hibisco Triono, vt propriae speciei locum mereatur, quem Trioni varietatem esse statuit LINNAEVS. III. *De discrimine varietates inter et veras species plantarum.* Regulae praescribuntur bene obseruandae, si inquiritur, vtrum varietas, an species sit data plantae. — Quae docebunt oeconomorum nonnullos errore deceptos, auenae certis encheiresibus optatam et pro sententia nactam in secale mutationem non esse veram transmutationem, sed auenae saltim prolatam varietatem, sub cultura consueta

consuetam auenae semen proferentem. — IV. *De irritabilitate foliorum Droserae rotundifoliae et longifoliae.* Noua auctoris obseruatio, qua patet, ratione irritabilitatis has Droseras multum cum Dionaea muscipula ab ELLIS notatae conuenire. Insecta, quae haec folia attingunt, succo in eorum ciliis guttatim haerente tenaci comprehenduntur, ne aufugiant, cilia deinde ipsa irritabilia incuruantur et insecta includunt, quae arctius adhuc foliis ipsis se conuoluentibus ad necem vsque incarcerantur. V. *Continuatio prima catalogi plantarum in Ducatu Oldenburg. sponte crescentium. Circaea Lutetiana*, variat racemis pluribus et racemo vnico, simplici, longo. Vnde *Circaeae Alpinae* racemum vnicum non esse pro charactere distinctiuo in hac specie habendum, pro eo potius foliorum habitum. *Orobus tenuifolius*, vera species, nec varietas Orobi tuberosi. *Trifolium Alpestre* et *Frugiferum* accuratius descripta. *Hypericum quadrangulare*, cuius folia poris pellucidis gaudere contra *Linnaeum*. *Hypericum pulchrum. Myrica Gall.* Frutex non semperuirens contra GEORGY. VI. *Epistola extracta* OEDERI *consilium ad floram Germanicam proponens*, tanto viro digna. VII. *Continuatio secunda catalogi plantarum in Ducatu*

*Ducatu Oldenburgensi sponte crescentium.* — *Sinapis aruensis, orientalis, alba, nigra,* vberius notatae. VIII. *Tract. super confectione herbarii viui.* Emendatio scrinii *Linnaeani* pro dispositione et conseruatione siccarum plantarum. Ad insectis aditum praecludendum, camphora vel hepate sulphuris vel calida solutione salis ammoniaci vnc. 1. in mensura aquae additis vnc. 2. mercurii sublimati ad methodum clar. ELLIS. IX. *Descriptio nouarum quarumdam plantarum in Systemate Linnaeano adhuc omissarum. Scorzonera Taraxaci* scapo nudo vnifloro, fol. lanceolatis runcinato-dentatis acuminatis. *Conuoluulus prostatus. Caucalis platycarpos. Cuffea viscosissima.* X. *Obseruationes quaedam plantarum,* vt Ranunculi paruifloris Geranii gruini, Campanulae hybridae, Campanulae erini, Conuoluuli Nil, Laserpitii Monieri, Molluginis verticillatae, pteleae trifoliatae, Ipomoeae pes Trigidis, Verbenae Iamaicensis, Verb. indicae, quibus distinctius cognoscere has plantas, et ab congeneribus facilius potest distinguere. Aliis negotiis ne nimis distrahatur cel. ROTH valde optamus, vt commodius pergere possit, botanicam suis obseruationibus adaugere. L***n.

---

*Unterſuchung über das Geheimnis und die Gebräuche der Tempelherren;* h. e. Diſquiſitio de myſterio et ritibus Templariorum, auctore CAR. GOTTL. ANTON, D. Deſſau. in bibliop. erudit. 1782. pagg. 64. 8.

*Verſuch über die Beſchuldigungen, welche dem Tempelherrenorden gemacht worden etc.* h. e. De criminationibus Templariorum etc. auctore FRID. NICOLAI. Tom. II. pagg. 249.

Non defuturos eſſe, qui in examen vocarent et confutarent Cl. NICOLAI de Templariorum criminibus opiniones, ſupra a nobis recenſitas, (Vol. I. m. April. p. 363.) facile ſperari poterat. Inter plures, qui nunc iam illam quaeſtionem hiſtoricam denuo diſcutiendam ſuſceperunt, eminet recentiſſimae *Templariorum hiſtoriae* auctor, Cl. ANTON. Is igitur libello elegantiſſimo eam ſententiam, quam in *hiſtoria* iam defenderat, Templarios nempe nullius criminis iuſto accuſatos et conuictos, ſed ab inuidia et auaritia Philippi, Regis Galliarum, vnice exſtinctos, poenis ac ſuppliciis affectos eſſe, confirmare ſtuduit, per ſingulas eundo criminationes, in illos coniectas. Quod omnino ſcelerum quorumdam

dam arguerentur, id factum esse ait propterea, quod clanculum conuentus suos agerent. Hinc enim, vt fit, facile suspectos fieri potuisse. Tres autem gradus receptionis in more fuisse pernegat; quia pugnet hoc cum actis iudicialibus, nec nisi vnam initiationem ex his certo demonstrari posse docet, alteram quamdam incertam esse. Crimina autem omnia, quorum insimulati sunt, vel praua interpretatione illis obiecta, vel illis, qui in ius vocati confitebantur, extorta esse. Ipsam absoluendi poenitentes licentiam, quam sibi sumserint, criminis aduersus hierarchiam nomen haud mereri; fuisse enim illam partem disciplinae Ordinis, ab ipsis Papis concessam. De idoli autem alicuius adoratione nihil certi posse dici; si quod autem habuerint in suis coetibus, eo minime denotatum fuisse *tincturam sapientiae*, sed *sphingem*; nomen vero *Baffometi*, huic idolo inditum, nullum aliud esse, quam *Mahomedis*. — Haec et alia multa recte, vt putamus, atque tam firmiter adstruuntur ab auctore, quam fieri potest in hac re obscura, et perplexa.

Cl. NICOLAI in libri sui altera parte defensionem potissimum primae partis egit, ac nonnulla capita eius vberius illustrauit. Primum disputat cum Cl. ANTONIO, sed

paucis.

paucis. Nam de re ipsa integrum reliquit lectoribus arbitrium. Vberrime autem confutauit ea, quae scriptor anonymus (Cl. HEIDER) in *Mercurio Teutonico* non modo pro Templariorum innocentia, sed in primis etiam aduersus NICOLAVM scripserat. Multis hanc disceptationem sophismatibus implicari, manifestum est; dolendum vero, vtrimque immisceri odia et simultates mutuas, ad verum indagandum maxime noxias. — De Murariis autem et *Rosaecrucianorum* nugis tantum chartarum consumi, miramur.

---

*Werden die Leidenschaften einer Säugenden durch die Milch dem Kinde mitgetheilet?* h. e. An animi affectus a nutrice inserantur lactenti, disquirit D. FRID. AVG. MEYER. Hamburg. ap. Hoffmann. 1781. 8. pagg. 60.

Non vltima profecto quaestio est, vtrum lac nutricis possit lactenti motus animi veluti inserere, an non, praesertim hac nostra aetate, vbi quaeque opulenti civis vxor sibi noxium fore hoc lactandi puelli officium putat, et puellae incerto patre compressae ac nutricationi aptae haud raro lue tetra laborant. Auctor noster negat, id lacte fieri posse, magis prauitate

tate exemplorum. Quod etiamsi concedamus, tamen, quantam humorum nutrientium natura valeat cum ad sanitatem conseruandam, tum ad infringendam, inter omnes constat. Sub calcem adhortatur matres, vt ipsae infanti, si per valetudinem possint, mammam praebeant. Hoc enim et sibi, et puello perquam salutare est.

---

*Untersuchung der vermeinten Nothwendigkeit eines autorisirten Kollegii medizi;* h. e. Disquisitio opinatae necessitatis collegii medici et ordinationis medicae. Hamburg. ap. Bohn. 1781. 8. pagg. 126.

Liber paradoxus, vt quinquennii nostri mos fert. Profecto mirari subit, quid sit, quod vel medici ipsi incipiant delirare cum poetis et fabularum Romanensium scribillatoribus. Quid enim absurdius esse potest, quam leges aperte spernere, vincula, quibus nequitia hominum et licentia impune occidendi coercetur, dirumpere, et cuiuis vim atque potestatem vitae ac necis dare? Idem illud auctor libelli huius probare ausus est. Quam bene, viderint alii. Speciosis enim argumentis lectores fallere, et arti medicinali decus ac ornamentum detrahere, nefas esse bono medico.

Omnia-

Omnis enim res eo redit, posse empyricos hac via noua medicamenta experiri, quasi vero illud Plinii, experimenta per mortes agere, adhuc dum euiluerit, et libertatem cuique dandam esse. At vero si vitae sanitatique hominum insidiatur, nullo modo ferenda est, ideoque abroganda collegia medica in republica bene constituta non sunt. Irrita ergo erat Cl. REIMARI opera, quem auctorem esse rumor est, quoniam nemini prudentum hoc persuadebit, neque ciuibus talis licentia occisorum vllo modo salutaris esse potest.

---

*Biographie des berühmten Iüd. Geschichtschreibers Fl. Ios. etc.* h. e. Flauii Iosephi de vita sua librum, e Graeco sermone vertit et notas quasdam adiecit IO. FRID. ECKHARD. Lips. in offic. Dykiana. 1782. pagg. 160.

Lectionem huius libri ineruditis etiam vtilem futuram esse iudicauit, hocque iudicium suum copiose probauit versionis huius auctor doctissimus, gymnasii Isenacensis Director, in praefatione, in qua simul de eruditione Iosephi, de hoc illius libro, et de versionibus Germanicis antiquioribus exposuit. Quod ad ipsam hanc operam viri cl. pertinet, satis fidum,

dum, accuratum et vtriusque linguae egregie peritum interpretem ex ea cognouimus; nec mirum, virum tam doctum, qui familiarem suam scriptorum Flauianorum notitiam alias iam luculentissime comprobauit, multò felicius suscepto interpretis munere perfunctum esse, quam, qui ad hoc opus tumultuarie accelerandum hodie mercede conducuntur ab institoribus. Nolimus vero, illum Hauercampiana editione destitutum, et Ittigianam sequi coactum fuisse. Illa enim non modo lectiones multas meliores, sed quaedam etiam auctiora exhibet, e codice potissimum Lugduno-Batauo. Ita mox ab init. post verba *πολλὴ δὲ κἀν τȢτῳ διαφορα*, apud Hav. sequitur *και των ἐν ταυτῃ φυλων ἐκ της ἀρισης*, prioribus istis verbis parenthesi inclusis. Et paullo post, verbis ΙωναθȢ *ἀρχιερεως*, addit Hav. e laud. cod. *τȢ πρωτȢ ἐκ των ἈσαμωναιȢ παιδων ἀρχιερευτησαντος, τȢ ἀδελφȢ Σιμωνος τȢ ἀρχιερεως*. Cuius generis plura occurrunt, quae genuinam Iosephi manum omnino produnt. — Interdum nimio circumduxisse versionem suam videtur. Prima statim verba: Ἐ*μοι δὲ γενος ἐςιν ȢΚ ἀσημον*, ita reddidit: *Mein Geschlecht gehöret nicht zu denen, welche ihrer Niedrigkeit wegen unbekannt sind.* — Paucis interiectis, ambiguita-

tis tollendae causa, τὸ γένος βασιλικὸν prae-stat vertere, *fürstl. Geschlecht*, quam *königl.* — Segm. 2. Πρωτοπαππος negligentia vel aucto-ris vel typothetae vertitur *der Großvater*. Supersedemus aliis, ne μικρεπαῖτιοι videamur. Nam in vniuersum optima est haec translatio. Obseruationes passim adiectae et versionem defendunt, et narrationem Iosephi illustrant.

---

ADDISON *von der Wahrheit der christl. Relig. etc. Tom. I.* Francof ad Moen. in offic. Andreae. 1782. 1 Alph. 3 pl. 8.

*Des Herrn Addisons Entwurf von der Wahrheit der christl. Rel. etc.* Hamb. et Lips. ap. Hoffmann. 1782. 1 Alph. 10 pl. 8 mai.

Duplex haec eodem tempore prodiit libelli Addisoniani *de veritate relig. Christ.* conuer-sio, et vtraque quidem instructa egregiis a-nimaduersionibus, commentariis et excursibus CORREVONI, Senatoris quondam Lausan-nensis, e sermone Francogallico translatis. Altera vero, Francofurtana nempe, compo-sita ab HENR. IO. DE HAHN, integros habet hos commmentarios, vel potius habe-bit; nondum enim finitum est opus. Alte-ra vero, Hamburgensis, quam anonymus au-ctor fecit, et S. Ven. IERVSALEMVS prae-fatio-

ſatione commendauit, epitomen tantum illorum exhibet. — Vtri verſioni palma debeatur, dubitamus decernere; vtraque ſuas habet laudes. Francofurtanae autem, praeterea quod totum CORREVONI opus offert, et hoc accedit ornamenti, quod vitam ADDISONI pariter atque CORREVONI, hanc quidem a Cel. VEGOBRIO, Geneuenſi, gallice ſcriptam et cum Generoſ. HAHNIO communicatam, praefixam habet. — Extranei ſine dubio admirabuntur ingentem noſtratium in conuertendis libris peregrinis aemulationem, quae eo deuenit, vt multi adeo ſecum de praecurſu concertent.

---

*Freundſchaftliche Rathſchläge zur Verlängerung des Lebens*; i. e. Amica conſilia ad vitam prorogandam, auctore CHR. ABRAH. ROSENBERG, M. D. Vratislauiae ap. Meyer. 1781. 8. pagg. 380.

Diaetetice, hodie adeo in academiis neglecta, ſine dubio ceteris medicinae partibus, niſi anteferenda, certe aequiparanda eſt, cum illa praeceptis vitae per prudentem rerum ſic dictarum praeternaturalium vſum conſeruandae atque proferendae contineatur. Facilis haec via ad longaeuitatem eſt, modo velint

 homi-

homines gulae et perturbationibus animi corporisque temperare. Laudandus ergo auctor huius libelli est, cui ciuibus inseruiendi studium non deesse multis abhinc annis cognouimus, quod voluerit hoc iter ad longaeuitatem praeceptis salubribus communire. Hinc docet cap. 1. *quae ad vitam longam requirantur*, cap. 2. *vires corporis*, cap. 3. *temperamentorum cognitionem necessariam*, cap. 4. *vniuersalia virium corp. conseruandarum praesidia*, cap. 5. *de cibo et potu*; cap. 6. *de se- et excretionibus*, cap. 7. *de motu*, cap. 8. *de aere*, cap. 9. *de affectibus animi*, denique cap. 10. *appendicem regularum diaeteticarum*. In quibus (fateor) multa insunt praeclare dicta et obseruatu digna, haud pauca subtilius, ac decet, expressa et demonstrata, plurima superflua, quia aut ad victus rationem non pertinent, aut vulgi iudicium superant, nonnulla prorsum inutilia vel falsa. A quibus si abstinuisset auctor, minusque sapere voluisset, aptior ad palatum omnium libellus extitisset. Neque vero sic omnem diaetetices campum emensus est more antecessorum, quotquot noui, quia vltra res sic dictas nonnaturales exspatiari non lubet. Sed habet quisque sua in scribendo iura, suum quisque sequitur genium, eamque ob rem nefas foret, ad rigidi

iudicis

iudicis exemplum vitia asterisco notare, vel auctori maculam aspergere. Nullus enim liber tam malus est, vt non possis inde aliquid vtilitatis referre.

---

SAL. THEOPH. DE MEZA, Poliat. Hafn. *Compendium medicum practicum per fasciculos distributum. Vol. I.* tres fasc. sc. I. de febribus, II. de inflammationibus et doloribus, III. de debilitatibus et hallucinationibus continens. Hafn. ap. Proft. 1780. 8. *Vol. II.* tres fasc. alteros sc. IV. de fluxibus, V. de morbis conuulsiuis, VI. de morbis cachecticis continens. 1781.

Auctor noster est mediocris practicus, scriptor peior, qui, vbi otium a praxi liberum, vt in praef. ait, bene vellet collocare, quidni libellum nonum pressit in annum? Propositum ei hoc vnum erat, vt, semotis virorum clarorum nominibus, ex sola sui ipsius obseruatione penderet ac scriberet. Praeclarum me hercle opus, sed huic cerebro non aptum. Neque enim hic reperiuntur, quae satis nota et approbata sunt, neque ordine quodam naturali exhibentur, neque formu-

lae recte ſcribuntur. Definat ergo bonus vir, ne ludibrio iuniorum ſeſe exponat.

---

IOS. IAC. PLENCK — *Elementa artis obſtetriciae*, ed. praelectionib. acad. accommodata. Vienn. ap. Graeffer. 1781. 8. p. 216. c. II. icon.

*Grundſätze der Geburtshülfe*; h. e. artis obſtetriciae rudimenta, auctore SIM. ZELLER. Ibid, ap. eundem. 1781. 8. c. I. icon.

Priora iſta elementa artis obſtetriciae veluti per tabellas conſcripta ſunt, et ad editionem germanicam 1768. reficta. Ergo non opus multis huic libello inhaerere. Inſtrumenta lippo et tonſori nota ſunt et obuia.

Alterius libri auctor plane edocet, quicquid in arte obſtetricia dictum vel ſcriptum eſt, vnaque ſubiicit quaedam ad ſequelas partus, curam recens natorum cet. pertinentia.

---

IO. AITKENS — *Anfangsgründe der theoret. und pract. Wundarzney etc.* h. e. initia chirurgiae theoret. et pract. ordine ſyſtem. concepta. Ex Angl. Lipſ. ap. Weygand. 1781. 8. pagg. 328.

Super-

Superfluus profecto liber in Germania est, quippe qui praeter notissima nihil continet, neque haec quidem ab auctore Anglo satis bene ac apte dicuntur. Ordo systematicus, qui in fronte legitur, intra SAVVAGESII, LINNEI, VOGELII, CVLLENII et SAGARI definitiones lat. et germ. sese continet. Abeat ergo ad plures, et inter scrinia tabernasque puluerulentas lateat.

---

HENRICI HOOGEVEEN *doctrina particularum Graecarum.* Recensuit, breuiauit et auxit CHRISTIAN. GODOFR. SCHÜTZ, eloqu. et poes. P. P. O. in acad. Ienensi. Dessau. et Lips. in bibliop. erudit. 1782. II Alph. VII pl. 8.

Nemini Graecarum literarum studioso ignotum est vastae lectionis et vastae molis opus, quod HOOGEVEENIVS de particularum Graecae linguae significationibus ac differentiis ante duodecim fere annos in lucem emisit, cuius haec dos est, vt multo diligentius quam vel a veterum vel a recentiorum quoquam factum esset, totum hoc grammaticae Graecae caput non sane minimum, quamquam vel ignoratum vel neglectum quam plurimis etiam Graece eruditis, praeceptis et obserua-

seruationibus suis illustret, atque in formam artis quasi redigat, dum in singularum particularum Graecae linguae significantiam et vim singularem, multiplicesque in oratione constructa potestates inquirit, subtiliter illas et philosophice distinguit, ac scriptorum veterum auctoritatibus, quae in grammatica eam vim habent, quam demonstrationes in dialectica, confirmat. Ita inprimis eiecit et profligauit communem fere olim, BVDAEI etiam, DEVARII, aliorumque commentariis propagatum, errorem de multis particulis saepe in oratione redundantibus ac παραπληρωματικοῖς aut expletiue saltim insertis. Quem quidem laborem, etsi nimis forsan alicubi operosum atque minutiis multis et argutiis distentum, merito tamen suo prolixis laudibus ornarunt viri doctissimi, ac librum hunc ad Graecae linguae studium feliciter tractandum, ad acuendam exercendamque memoriam et veteres auctores nauiter versandos et intelligendos, vtilissimum esse peruiderunt. Sed propter pretii caritatem (venditur enim tribus paene Ludouicis aureis) non omnium Germanorum praesertim, qui hunc sibi comitem et auxiliatorem certum in vsurpandis graecae literaturae monumentis expetiissent, sed paucorum tantum in manus venerat. Quare

operae

operae pretium fecit, remque dignam suo de literis humanioribus praeclare merendi studio peregit Cl. SCHÜTZIVS, quod epitomen edidit libri, multo minore pretio vendibilem. Quod susceptum etsi leuius ac parum gloriosum videatur, habebit tamen gratiae plurimum apud multos, et quo vtilius eo honorificentius existimari debet. Nec tamen sola epitomatoris prouincia acquieuit vir doctissimus, sed suas etiam non contemnendas curas adiecit. Nam ita recensuit HOOGEVEENIVM suum, vt, quae ἀκρίβειαν eius subterfugissent, (non omnino pauca, quod mirandum) quaeque vel minus vere disputata vel haud satis plane explicata essent ab illo, corrigeret, hasque suas emendationes, si grauiores essent et diductiores, separatim adderet minusculis formis impressas obseruatis Hoogeueenianis, si leuiores, tacite his insereret; vt porro, quomodo singulae particulae Graecae nostro sermone plene appositeque exprimendae essent, doceret, ac plurimorum locorum, ex antiquis scriptoribus allatorum, versionem daret; vt aliquoties hos ipsos locos e melioribus editionibus excitaret, versionem eorum Latinam emendaret, atque interdum et plura et aptiora demonstrandae particularum proprietati exempla substitueret. Proxima, et primaria

vere cura erat, vt multa demeret, exemplorum copiam abundantiorem iusto praecideret, inutiles particularum etymologias, molestas aliorum grammaticorum confutationes, otiosas repetitiones et orationis ambages vel deleret prorsus vel breuiaret. — Hunc igitur librum parabilem, et commodum non modo tironibus, quibus potissimum editor permodestus consultum iri hac sua epitome ait; sed etiam his, qui iam ad perfectiorem Graecae linguae scientiam accesserunt, atque vsum aliquem eius maturum sibi conciliarunt, commendatissimum esse volumus.

---

D. FRANZ DOMIN. HAEBERLINS *neueste Teutsche Reichsgeschichte;* h. e. Nouissimae imperii Germanici historiae — *Tom. XII.* Halae ap. Gebauer. pagg. 38. et 666.

Continetur integro hoc volumine absolutissima relatio de omnibus, quae acta sunt in comitiis imperii memoratu dignissimis, Augustae Vindelicorum a. 1582. celebratis. Tam prolixa de illis narratio ab alio nemine scriptore literis mandata erat; noster demum instructus omnibus, quae ceteris fere negata erant; subsidiis illius negotii notitiam, quae et

et in imperii nostri iure publico grauissimi sane momenti et in historia illustrandis rebus quam plurimis aptissima est, prorsus exhausit. Impetrauit enim a Duce nostro Serenissimo gratiosissimam veniam, quidquid actorum comitialium in tabulario ducali Guelpherbytano reperiretur, libere versandi et vsurpandi. Septem igitur volumina actorum archiualium nactus est, quibus accesserunt duo codices Msti e bibliotheca ducali Guelpherbytana, ad eadem ista comitia pertinentes. Quamquam vero ex his voluminibus omnibus quaedam documenta et commentaria typis iam erant exscripta, cura praesertim LEHMANNI et HOFFMANNI; maxima tamen illorum pars inusitata hucusque fuerat, et quae HOFFMANNVS edidit, vitiosissime comparata sunt. Quapropter operae pretium fuit, ex integro omnem horum comitiorum historiam elaborare.

---

*Moralisches Elementarbuch etc.* Elementa morum doctrinae, cum instructione de vsu eorum, auctore CHRISTI. GOTTHILF SALZMANN, Liturgo et Prof. in instituto paedag. Dessau. *Tom. I.* Lipsiae ap. Crusium. 1782. p. XXXII. et 412. 8.

Paruulis ſcriptus eſt liber hic nitidus et amabilis; ne putes forte, philoſophiae de moribus initia erudite expoſita, ac methodo et ordine ſcholae digeſta hic tradi. Sed noli etiam vereri, ne magna librorum eius generis, quod hodie multi ſolent effundere, qui vix ipſi ſcholas egreſſi ſunt, copia augeatur, illorum puta, in quibus praeter puerilem et ludicram dictionem, ac crepundia verborum nihil ineſt, et quorum auctores dum aetatulae ingenio ac palato conſulere geſtiunt, ſaepe magis inſipidos ſe gerunt, quam rudes et expertes omnis inſtitutionis paruuli ſolent. Longe enim ab eiusmodi nugis differunt, vt cetera SALZMANNI, viri optimi et ad edocendam exercendamque ſalubrem artem paedagogicam nati factique ſcripta, ita hoc in primis, quod ad manus eſt. Parentibus ac praeceptoribus magis, quam pueris ac puellis, legi illud cupit. Eſt enim ſeries non otioſarum ſententiarum, ſed lepidiſſimarum narrationum, quae ſingulae honeſtum aliquid monent, quod impreſſum animo rudi ad mores proficiat, ob oculos enim ponuntur exempla hominum, e vita communi petita, atque ad excitandos alendosque bonos et pios ſenſus, et vel ad incendendam admirationem imitationemque virtutis, dictorum, factorum egregie, vel horrorem

rorem et odium incutiendum vitii ac turpitudinis animi, aptiſſima. Omnia ad intelligentiam, ad voluptatem et vtilitatem tenellae aetatis accommodatiſſima ſunt, tum eius, quae nuper a lacte cunisque deſuefacta eſt, tum eius etiam, quae iam accreſcere, et exire de gremio ac ſerio diſcere incipit, ſi modo ſapienter hisce fabellis vti, et opportune ac inter luſum, vel inſtar luſus et praemii, eas ita narrare ſciant parentes vel magiſtri, vt lubenter audiantur et vt diſcendi opera abſit ab auſcultando. Sed quomodo hoc fieri debeat, melius docuit ipſe auctor, praemiſſa libello admonitione, qua ſimul conſilium ſuum expoſuit et delectum, ordinem rationemque, quam in praeceptis moralibus ſeruauit, bene defendit. Nihil de caſtitate tuenda, deque membrorum genitalium vſu praecipi a ſe, non erat, quod excuſaret. Quamquam enim vtile fuerit omnino et neceſſarium, verecundia tamen vetat hoc in *ſcripto* fieri, cunctis patente, et praeterea plus valet hic cura ac diſciplina prudens, quam inſtitutio.

---

IAKOB IONAS BIÖRNSTAHLS *Briefe etc. V Band;* i. e. Epiſtolae in peregrinationibus exteris ſcriptae ad c. c.

GIOR-

GIORWELL, Bibliothecarium Regium Holmiae. Vertit ex lingua Suecica CHRISTIAN. HENR. GROSKVRD. *Tom. V.* continens diarium itineris nondum descripti per Heluetiam, Germaniam, Hollandiam et Angliam instituti. Lips. et Rostochii ap. I. C. Koppe. 1782. 8. pagg. 624.

Quartus tomus huius operis vltimus est epistolarum a celeberrimo peregrinatore BIÖRNSTAHLIO, cuius ingenium, doctrinam, immensamque plura cognoscendi cupiditatem admirati sunt, quotquot eum viderunt, in itineribus suis ad cl. GIORWELLIVM datarum. Prodit nunc diarium ipsius vel potius excerpta ex diario, quod ipse BIÖRNSTAHL. lingua Franco - Gallica conscripserat, cl. BLOMBERG in linguam Suecicam vertit, et tandem in Germanicam GROSKVRDIVS transfudit. Quae in epistolis suis BIÖRNSTAHLIVS enarrauerat, editor praetermisit, adeo, vt hoc diarium instar supplementi epistolarum haberi possit. Residuum diarii sexto Tomo propediem foras dandum sistet, quae in itinere per Turciam et Graeciam BIÖRNSTAHLIVS annotauerat, neque literis iam editis continentur. Praefatio narrat, quod ephemerides politicae dudum

dum retulerunt, marmor, cui impensis amicorum popularium titulus laudes et fata BIÖRNSTAHLII breuiter enarrans, Constantinopoli inscriptus fuit, tumulo BIÖRNSTAHLII Thessalonicae a. d. 16 Iul. 1781. magna cum solemnitate, exteris legatis aliisque exequias euntibus impositum esse. In indice amicorum, quibus moneta in honorem periodeutae huius, cuius interitum Musae Musarumque amici lugent, cusa dono data fuit, aegre tulimus desiderari cl. WHITIVM, Professorem Oxoniensem, qui BIÖRNSTAHLIVM eiusque vmbram generosum RVDBECKIVM per aliquot menses lauto hospitio excepit. Ipsum diarium quod attinet, BIÖRNSTAHLIO communis magnorum et celebrium virorum sors obtigisse videtur, quorum, simulac vita defuncti fuerint, scripta quaecunque ex amicorum imprudentia et bibliopolarum auiditate in medium proferuntur. Affirmat quidem editor, se multa ex diario resecuisse. Sed ohe nimis multa reliquit intacta, quorum omissione famae et BIÖRNSTAHLII et suae ipsius consultum fuisset. Eadem res ad nauseam vsque repetitur e. g. p. 43. et 46. de DANIELE BERNOUILLIO esse hominem facetum et iocosum, p. 49 et 67. de eodem caelibem vitam

agere,

agere, p. 426 et 454. de Originibus Hebraicis ab ALB. SCHVLTENSIO auditoribus dictatis. Multa friuola, absurda, falsa passim occurrunt. Cui bono omnes libri diligenter indicantur, qui BIÖRNSTAHLIO hic illic donati sunt, et cuiusnam quaeso interest nomen cuiuslibet bibliothecae scire, vbi RVDBECKII Atlantica asseruatur. Haec et alia similia in chartas suas BIÖRNST. coniicere facile potuit; sed consilium ea omnia lectoribus propinandi, si vitam adhuc ageret, sine dubio improbaret. Nam, vt ingenue sententiam de hac farragine cuiuslibet generis relationum proferamus, veremur omnino, ne lectores tumultuariam et desultoriam rationem, quam BIÖRNST. in diario suo secutus est, perspicientes de ipso auctore male sentiant. Non negamus occurrere passim memorabilia quaedam de vitis et scriptis virorum eruditorum, in primis Batauorum. At vix dici potest, quantum taedii ab eo, qui totum diarium perlegerit, deuorandum sit. Licet fere innumeras bibliothecas BIÖRNST. viderit, multosque et manuscriptos et impressos libros manu versauerit: in historia tamen literaria hospes fuisse videtur. Alioquin vix fieri potuisset, quin multa quae restant dubia et incerta circa libros sub initia artis typographi-

graphicae impressos, enodauerit et explicuerit. Sed nihil notat, quod peritum et doctum in hoc genere literarum virum prodit. Ecquis vero sibi a risu temperabit, qui legerit, machinam Copernicanum systema repraesentantem, quam Manhemi vidit, *ante aliquot annos* ab Anglo quodam, nomine ORARI confectam esse p. 167. vel librum, quem Hofsted Delphis monstrabat, inscriptum *a Catalogue of the Manuscripts of the Kings Library, et appendix to the Catalogue of the Cottoniam Library* etc. London 1734. 4. (quem quouis pignore certare ausimus nullum alium esse librum, quam Catalogum Casleyianum, omnibus literarum amatoribus notissimum) esse librum rarissimum?

---

CHRISTIAN. FRIEDR. RÖSSLER — *Bibliothek der Kirchenväter etc.* h. e. Bibliothecae patrum ecclesiasticorum, qua libri illorum, dogmatici potissimum, vel conuersi in sermonem German. vel in epitomen redacti, loca vero classica e textu originali suppeditantur, *Tom. VI.* seu periodi secundae a concil. Niceno vsque ad Chalcedon. *pars II.* Lips. ap. Hertel. 1781. pagg. 426.

Est

Est haec pars instar *bibliothecae haeresiologicae antiquae.* Inest enim illi, si ab Irenaeo recedas, cuius vero de Gnosticis sectis commentarios auctor iam in primum totius operis vtilissimi tomum retulit, omnium scriptorum veteris ecclesiae classicorum, qui de antiquis inter Christianos haereticorum familiis in vniuersum exposuerunt, summa. In tres classes auctor eam diuidit. *Prima* enim exhibet Epiphanii et ancoratum et panarion. Missa enim eiusdem scriptoris ἀνακεφαλαίωσει, quippe parum profutura nominum haereticorum enumeratione et explicatione, auctor nouam ipse ac valde concinnam et frugiferam epitomen panarii composuit. Simul comparauit aliorum, in primis Philastrii, Augustini, Theodoreti libros argumenti eiusdem, et quae in his peculiaria ac digna memoratu, et vel repugnantia Epiphanii relationibus, vel vberius has illustrantia reperiret, ea excerpsit sedulo, et in adiectis larga manu obseruationibus descripsit. Addita sunt separatim Augustini supplementa ad Epiphanium e Philastrio. (Synops. cap. LVII.) *Secundo* loco sequitur Titi Bostrensis Episcopi librorum trium aduersus Manichaeos epitome, quam sine omni obseruatione dimisit auctor. Vellemus, saltim subiecisset praecipuarum huius

scripto-

scriptoris sententiarum textum originalem, quemadmodum ceteris, quos excerpsit in hac bibliotheca, auctoribus hoc studium, tironum maxime gratia, praebuit. *Tertio* denique habemus Didymi Alexandrini commentationem de spiritu sancto.

Accedit huic tomo Cl. RÖSSLERI tractatio *de philosophia antiquissimae ecclesiae Christianae*, quae nobis non videtur grauem hanc materiam exhaurire. Disputat auctor potissimum contra MOSHEMII, BRVCKERI, aliorumque cogitationes de platonismo patrum, hosque vindicare studet ab omni nimii amoris in philosophiam cathedrariam Platonicam in primis, suspicione, ac prolixis laudibus illorum extollit studia philosophica, tamquam rectissima et saluberrima. Nobis vero non persuadet. Manifestum est et compertum lectoribus Clementis, Origenis, (quem, inter Christianos philosophos facile principem, in disputatione de Patrum philosophia ne commemorari quidem, valde miramur) eos non modo philosophiam suam Platonicam ad doctrinae Christianae placita accommodasse, sed etiam non raro haec ad illam irreuerenter ac temere refinxisse, somnia sua illis immiscuisse, sacrorum oraculorum interpretationem ineptissimis allegoriis adulterasse et violen-

lentissimis interpretationibus lacerasse. Quae accusatio nescio quid periculi et offensionis habeat. — Sed omnis haec exercitatio nimis ieiuna et indigna est iudicio viri, quem frugifera Patrum ecclesiasticorum lectione probe imbutum esse nemo negauerit. Admonet nos haec occasio libri nuper editi

*Versuch über den Platonismus der Kirchenväter etc.* h. e. De platonismo Patrum ecclesiae, seu disquisitio de vi, quam philosophia Platonica in dogmate de trinitate primis seculis habuit. 1782. (sine loco) 8. pagg. 374.

Est conuersio libri: *Le Platonisme devoilé, ou Essai touchant le Verbe Platonicien*, qui, post mortem auctoris, SOUVERAINII, concionatoris Caluiniani in prouincia Pictauiensi, ob errores suos contumaces munere deiecti, Coloniae prodiit a. 1700, et qui laudatus ab his, culpatus ab illis, magnam inter scripta Antibulliana celebritatem nactus, et nobilitatus in primis est IO. CLERICI epistolis criticis et historicis. Illum igitur librum, non valde frequentem amplius, ciuitate donauit, nescio quis, qui et praefationem praemisit, (pagg. 38.) qua non inepte de prima philosophia ecclesiastica disputat;

et

et notas subiecit, quibus in SOUVERAINII opiniones scite nonnumquam commentatus est. Nimii aliquid esse in SOUVERAINII querelis, cordatiores iam viderunt; idem valet de interpretis additamentis. In medio veritas est. — Scriptis pag. XXXIII. ab interprete laudatis adnumeranda est quoque: *Fides primorum Christianorum, ex Barnaba Herma et Clemente Romano demonstrata; defensioni fidei Nicenae D. Georgii Bulli opposita. Auctore Luca Melliero, V. D. M. Lond.* a. 1697. 8.

---

## III. *De libellis academicis et scholasticis.*

*Hamburgi* nouus Ioannei Rector, M. ANTON. AVG. HENR. LICHTENSTEIN, munus suum auspicatus est prolusione philologica: *De luce, quam auctorum classicorum interpretatio ex historia naturali foeneratur.* (pl. IV.) Inueteratum illud inter philologiam et historiam nat. dissidium, quibus causis et quibus potissimum hominum opinionibus nitatur, bene disquirit. Haud negat, singulos scriptores veteres, qui de rerum natura disputarunt, suis vrgeri vitiis; sed male sanam grammaticorum arrogantium censuram illos

saepe iniuria reos agere, exemplis lectissimis probat. Obiter docet, physices, astronomiae, physiologiae, technologiae et chemiae studia quantum interpreti conducant veterum classicorum, et, quod ad chemiam potissimum, latius exspatiatur ad illustrandam notionem vocis Hebr. פוך quater in V. T. obuiae, bis nempe *fucum* (quam vocem ex illa Hebraica ortam putat; sed et Graeci habent φυκος. Suidas: φυκος, ὥτινι τας ὀικειας ὀψεις ἀι γυναικες χριουσι. Cf. Spanhem. in Callim. p. 446.) *populorum orientalium more oculos, eos dilatandi causa et superciliis illinendum*, nempe 2 Regg. IX, 30. et Ierem. IV, 30; (Addere poterat Sap. XIII, 14. vbi μιλτος et φυκος coniunguntur.) bis vero *materiam, gypso ratione usus simillimam, nimirum rudus, seu maltham, i. e. lithocollam, (Steinkütt) ad lapides in opere tessellato siue variegato sternendos idoneam*, indicantis, nempe 1 Paralip. XXIX, 2. et Ierem. LIV, 11. Simul *stibium* quid antiquis fuerit, explicat, et locis quibusdam Dioscoridis et Plinii lucem affundit. In primis vero vrget, veterum scriptorum interpreti necessariam esse non tenuem historiae nat. scientiam. Non iam de illis, qui data opera de rerum natura exposuerunt, scriptoribus loquitur, sed alios etiam vacare locis, non temere sine ali-

qua

qua hiſtoriae nat. ſcientia explicandis, oſtendit. Πεπων quare apud Homerum vox caritatiua ſit, inde factum cenſet, quod proprie *maturum et grandiorem cucumerem* ſignificet, teſte Plin. H. N. XIX. 5. quod genus cibi in deliciis erat veteribus Graecis; hinc et ſimilia occurrere apud Plautum et Horatium. Homer. Il. rh. V. verſ. 161. vocem θοεων perperam verti *inſiliens;* mauult pro genitiuo pl. vocabuli θοεος vel θοεα, quod ſignificet idem quod ὑβος, *gibbus*, haberi, quamuis nusquam alibi hoc vocabulum reperiatur. Vapulat RITTERSHVSIVS, ςεφανας χιονας apud Oppian. Cyneg. III. 188. vertens *niueas coronas*, quum ſermo ſit de *verticibus pilorum in onagri vellere.* Alios plures veterum poetarum locos feliciſſime illuſtrat, multosque terminos artis botanicae proprios in illis deprehendi monſtrat, quod quidem in multis liquet, in aliis valde dubium nobis eſt. Et quamuis hoc ferrem de Heſiodo vel Virgilio dici; Anacreontem tamen non ita ſedulo ſeruaſſe nomina arborum vel florum technica, ac v. c. in μυρσιναις τερειναις non cogitaſſe de nomine quodam ſpecifico, quouis pignore certarem. — Ad locum Ierem. XXIV, 1. ſqq. fuſe commentatus eſt de duabus *ſycomori* arboris (Hebr. דודאי התאנים ſpecie-

ſpeciebus, quas veteres curate diſcernunt, vt Dioſcor. de med. mat. lib. I. c. 181. et Luc. euang. XVII, 6. XVIIII, 4. Alteram ſpeciem a Ieremia l. c. verſ. 2. deſcribi verbis: *ſycotonos* ſ. ſycomorus *ficubus*, h. e. fructibus, *valde malis*, ſ. amaris; alteram vero, συκομωραιαν Lucae XVIIII, 4. *ficum Cypriam* Theophraſti hiſt. pl. lib. IV. c. 2. et Dioſcoridis l. c. cap. 182. depingi a propheta illis verbis: *ſycomorus fructu perquam dulci.* Vtramque ſpeciem ſycomori ſedulo diſtinguendam eſſe ait a *ficu* vulgari, ſ. *Carica,* (Hebr. תאנה ſ. בִּכּוּרָה Ierem. XXIV, 2.) et a *caprifico* (Hebr. שקמים 2 Chron. I, 15. ſ. בכאים 2 Sam. V, 2. 3. Gr. κραδη. Theophraſt. ἐρινεον, Dioſcor. συκη αγρια) Huius interpretationis iudicium penes alios eſto. Egregie putat auctor illuſtrari poſſe ex illo loco Ieremiae ſic, vt ipſe putat, intellecto, hiſtoriam Marci XI, 13. de ficu, cui Chriſtus maledixit. Omnem illum euentum nempe, fuiſſe ex mente ſeruatoris alluſionem ad illud Ieremiae vaticinium; ficum, quam Chriſtus viderit, non fuiſſe vulgarem illam, Caricam ſ. praecocem, ſed συκαμινον ſ. ſycomorum illam deteriorem, (Luc. XVII, 6.) ſimulaſſe vero redemtorem, quaſi primo obtutu falleretur in ſpecie diſcernenda, et ſic in

ſyca-

sycamino, antequam tempus esset, quo ipsa, non ficus praecox altera illa, fructum ferre soleret, fructum quaereret eo quidem fine, vt Ieremiae vaticinium impleret. Nescio, an nimis artificiosa et quaesita haec interpretatio dicenda fuerit. Multa inferri sic in verba Marci, saltem quisque videt. — Interim tota haec scriptio nouo nobis est et insigni beatioris ingenii ac diuitis eruditionis, quas in auctore dotes esse dudum compertum habemus, documento.

---

*Vitebergae* disputationem historico-criticam: *De Analogia historica recte instituenda* edidit IO. GOTTLIEB DRASDO, A. M. eiusque sectionem alteram praeside Cl. SCHROECKHIO, praeceptore suo; alteram ipse praeses defendit m. Oct. 1781. (pagg. 56.) Iucunda non minus quam vtilis talis *rerum gestarum inter se comparatio*, quam obscuriuscule quidem, sed non inepto auctor *analogiae historicae* nomine donauit. Duplex genus illius constituit. *Alterum* eas inter se res confert, quae propius se attingunt, temporis, populi, regionisque quasi copula, vt si Hosium concilii Nicaeni praesidem non fuisse colligas ex analogia hierarchiae et con-

spetudinis synodicae illorum temporum; vel si ad profligandum commentum de donatione Constantini M. contendas illud cum rebus, quae eam vel antecesserunt vel secutae sint; vel si fabulam de Iohanna papissa non reconciliari posse videas cum rationibus chronologicis. *Alterum*, et primarium genus cernitur in rerum, quocumque demum tempore locoque gestarum similium comparatione, vt si bellum, quod etiamnum geritur, Anglo-Americanum cum Batauo-Hispanico, si Monachos Christianorum cum Pythagoraeis apud gentiles et Essaeis apud Iudaeos, conferas etc. Multiplicis illud est vtilitatis. Nam ita discimus res ipsas intelligere melius, caussas rerum eruere, euentus rerum et consiliorum futuros probabilius animo praecipere, acuere iudicium, hominum animos, consilia motusque interiores vehementioresque melius perspicere. Praemissis paucis super notione *factorum similium*, quam exemplis apte illustrat, necessarias quasdam cautiones, ad quas rerum similitudinem exigere et *parallelismum historicum* instituere possis, tradidit; et hos quidem potissimum: ne hoc fiat eo consilio, quo a poetis fere et oratoribus; ne ingenio nimis indulgeatur in quaerendis et eruendis rebus similibus; ne misceantur

inuicem

inuicem vocabula sono eadem, sensu diuersa pro temporum populorumque consuetudine loquendi; vt in primis spectetur summa et caput rerum, quae comparantur; ne iudicium praecipitetur deprehensa vna alteraque rerum similitudine etc. — Non leue prorsus et quotidianum ingenii sui scientiaeque historicae documentum auctor dedit, sed quod historiographicae artis cultoribus innotescere meretur.

---

*Hagae Schauenburgi* programma: *De Apolline Pseudodoctore* nuper demum imprimi curauit BALTH. A.D. HOPF, scholae Rintelienfis Rector, quod silentio potius praetereundum erat a nobis, nisi mirifico plane documento esset, quantae ignominiae sit magistro scholastico literarum elegantiorum inscitia. Sermo est auctori, quod mireris, de Iudaeo illo Alexandrino Act. XVIII, 24. *Hic autem vir*, verba sunt eius, *non in rebus modo ad essentiam chr. religionis non pertinentibus, sed in fundamentalibus quoque fidei articulis errauit, haereticusque fuit. — Magnam famam in me suscipio, cum contra virum, nescio an primus et unicus inter Christianos, insurgo, qui per tot secula sc. laude meritorum floruit.*


pauit.

*pauit.* — En mihi magna minantem hominem! Dici non poteſt, quam inepte rem ſuſceptam egerit; vix enim ſani quidquam haec ſcriptio habet. Vtinam igitur niſi primus et vnicus, ſaltim poſtremus eorum eſſet, qui pueris erudiendis praefecti ipſi vix pueriliter eruditi ſunt.

---

*Wirceburgi* diſſ. inaug. iurid. *De eo, quod circa Auſtregas voluntarias inter Vaſallos, et circa appellationem in feudis extra Curtem iuris eſt* praeſide D. IOS. MARIA SCHEIDT defendit d. IV Sept. a. 1781. IO. HENR. DEMPER, auctor. (pagg. 58.) Duplicem quaeſtionem tractat. De prima: *Num cauſae feudales, de quibus vaſalli inter ſemet diſcordant, neglecta curia feudali, Auſtregis libera diſcrepantium concordia ſelectis, dirimendae valeant concredi?* variae ſunt ICtorum ſententiae. Auctor noſter negat, re diligenter aeſtimata ad Germanicas feudorum leges et conſuetudines, ad genuinum finem eiusmodi iudiciis auſtregalibus olim propoſitum, ad ipſas imperii conſtitutiones, et praxin imperii veterem nouamque. Altera quaeſtio haec eſt: *Quonam ſuper feudis extra Curtem appellandum ſit?* Reſpondetur: non ad dominum

minum territorialem, sed in prima instantia ad dominum feudalem, in altera ad Cameram imperii.

---

*De sermone atque scriptura*, commentatio prior, naturam sermonis et scripturae pandens vtriusque ad animi sensus comparatione instituta: expositis simul variis scripturae generibus: qua praemissa ad actum oratorium Principis rev. etc. FRIDERICI, M. Brit. Principis etc. natalium vigesimo sacrum — inuitat IOANN. FRIDERIC. KLEVKER, Gymnasii Euangelici Rector. Osnabrugi, typis Kislingianis. 1782. 4. p. 30. Doctissima haec commentatio tribus quaestionibus absoluitur, quarum prima de sermonis et scripturae ad animi sensus ratione interna, altera de variis scripturae generibus huc vsque vsu adhibitis, tertia de genere scripturae antiquissimo agit. In quaestione altera soluenda optimos quos sequeretur duces elegit clar. auctor, nimirum WACHTERVM, DE BROSSES, DEGVIGNES, GOGVET, alios, ita tamen vt appareat eum hos non compilasse, sed magno cum iudicio et acumine in vsus adhibuisse. Duo facit genera scribendi, quorum alterum *res* ipsas, alterum *vocis* huma-

ne-

nae ſigna et characteres exprimit. Prius eſt ſymbolicum, cuius ſpecies ſunt ſcriptura, kyriologica et hieroglyphica; poſterius organicum; quod quidem diſpeſcitur ſcriptura ſyllabica, ſi ſcilicet ſigna integras ſyllabas indicant, et elementari, quum ſingulae literae ſiue elementa tantum repraeſentantur. Licet vero certum ſit iam antiquiſſimis temporibus alphabeta hominibus innotuiſſe, cuius rei in Bibliis Hebraicis aperta indicia extant: tamen definiri nequit quodnam eorum fuerit primum, vel quo auctore, quo tempore et vbi terrarum primum inuentum. Stili obſcuritas et dictio parum Latina nos hic illic offendit, e. g. p. 15. *nec licet omnia — videantur idonea, non tamen deſperandum arbitror de probabili huius difficultatis* EXPEDITIONE, p. 21. *cum certum ſit ipſum vtriusque* (ſcripturae ſymbolicae et organicae) *vſum pluribus monumentis quae extant ſeculis priorem fuiſſe.* Corrige: *monumentis, quae extant pluribus ſec. pr. fu.* Ignoſcat velim auctor eiusmodi maculas nos aegrius ferre in rectore ſcholae, quam in aliis.

---

*Blancoburgi* proluſionem Teutonice ſcriptam *ad interpretandum locum Philipp. II, 6, 7. 8.*

7. 8. edidit IO. MATTHIAS MEYER, Prior coenobii ad lap. Michael. et Rector scholae. (1782. pagg. 82. 4.) Aduersus recentiores quosdam interpretes, TELLERVM potissimum et BAHRDTIVM disputat: Μορφὴν Θεοῦ explicat de *dignitate et gloria diuina.* Sed numquam hoc significat μορφή. Dan. IV, 36. sermo est de recuperata *figura humana,* non de *dignitate regis* Nabuchodonosari. Verba: οὐχ' ἁρπαγμὸν ἡγήσατο noue interpretatur ex analogia verbi Latini *rapere,* quod *alliciendi, attrahendi, vehementer appetendi* notionem habeat, et comparat phrasin illam cum ista: οἱ βιασταὶ ἁρπάζουσι τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ Matth. XI, 12. ac vertit: *non vnice appetebat hoc, pro Deo haberi, non habebat hoc tanti, vt vnice affectaret etc.* Sed nulla adsunt exempla, quibus vel ἁρπαγμὸς vel *rapina* rem vnice expetendam significet, ac durior et insolentior haec interpretatio firmetur. In reliquis verbis magis ad consuetam rationem accedit auctor, cui doctrinae et accurationis laudem nefas est derogare. Sed nimis operose atque ad puluisculum excutit verba singula.

---

# IIII. Noua literaria.

*Halberstadii* d. XIV Aug. obiit CHRIST. GOTTFR. STRVENSEE, consiliar. consistor. et Rector scholae cathedralis, vir pius et doctus, vt probant scripta eius exegetica in V. et N. T. Aetatem perduxit vsque ad a. LXVI.

---

*Regiomonti* mense Sept obiit IAC. FRID. WERNER, eloqu. et poes. Prof. ac bibliothecae Wallenrotianae praefectus, anno aet. L.

---

*Basileae* apud Serinium nouissime prodierunt: *Briefe über ein Schweizerisches Hirtenland* (pagg. 135. 8.) Eaedem sunt epistolae, quae olim legebantur ab omnibus summa cum voluptate et admiratione graphicae artis, quam auctor in describendis regionibus amoenissimis tenet, in *Mercurio Teutonico.* Auctor, quem falso rumor sparsit esse Cl. MÜLLERVM, Prof. Cassellanum, est Generos. DE BOMSTEDT.

---

*Marburgensis* academiae Cancellarius denominatus est Ill. DE SELCHOW, Professor iuris Gottingensis.

---

Halae

*Halae* Cel. KNAPPIVS Professoris theolog. ordinarii munus adeptus est.

---

*Ienae* S. Ven. GRIESBACHIVS nunc primum Professoris theologiae locum ornat; secundum nuper occupauit S. Ven. DÖDERLEIN, ante Prof. Altorfinus; tertius concessus est S. Ven. AVSFELD, antea archidiacono Longosalissensi. Professoris theologiae ordinarii honoribus, sine loco in facultate, donatus est S. Reu. BLASCHE.

---

*Carolsruhae* mense Oct. obiit cl. SANDER, natus annos XXVIII.

---

# INDEX.

## I. *Anecdota.*



## II. *De libris nouis.*



8.

# ANNALES LITERARII

## NOVEMBER
## ANNI MDCCLXXXII.

### I. Anecdota.

*De tabula xylographica* tentationes daemonis *Bibliothecae publicae Helmstadiensis.*

Rariorum ex omni genere literarum monumentorum in Bibliotheca publica Helmstadiensi maior est copia, quam vulgo creditur: quod luculento iterum documento demonstratum ibo. Perlustrando codices Mstos huius Bibliothecae incidi in quendam, cuius tegumentum auersum tabula ornabat xylographica chartacea, insignis, vt primo obtutu comparebat, antiquitatis. Est autem ipsa tabula formae vt vocant folio: in cuius summa ora hic titulus; *Incipiunt temptationes demonis temptantis hominem de septem peccatis mortalibus et eorum ramis.* Et statim sequitur *defensio boni angeli custodis hominis contra haec sacram scripturam allegantis.* Cernuntur imagines, rudi Minerua effictae diaboli

hominis monachicum veſtitum induti et angeli volantis. Subter figuram diaboli ſcripta ſunt *ſeptem peccata mortalia, ſuperbia cum ramis, inuidia cum ramis, ira cum ramis, accidia cum ramis* (neſcio num nomen *accidia*, pro *deſidia*, alibi occurrat. Deponens *accidiari* notant Lexicographi ex Petro Damiano) *auaricia cum ramis, gula cum ramis, luxuria cum ramis*. Huic columnae illa eſt proxima, cui inſcripta eſt: *dyabolus temptaus dicit*. Exhortatur vero primum ad ſeptem peccata mortalia generatim: *ſuperbus ſis, inuide, iraſcere, triſtare, cupidus eſto, ingurgitare, luxuriare*. Deinde ad ſuperbiam reliquaque vitia excitat, ſeptem vel octo admonitionibus e. g. ad ſuperbiam hisce: *in altum erigere, inobediens eſto, iacta te* etc. Homo vero his omnibus reſpondet *non, quia ſcriptum eſt*. Atque tum ſingulae tentationes dicto quodam biblico debellantur, quod tentationibus e regione oppoſitum eſt. Dictis his ſuperſcriptum eſt: *angelus defendens contradicit*. Poſtrema columna, quae eſt ordine quinta, loca Bibliorum, vnde dicta deſumta ſunt, refert. Quum haec tabula xylographica ad initia et prima tentamina artis imprimendi mihi referenda videretur, auidus arripui MEERMANNI Origines typographicas vt ſcirem, quae

ſit

ſit huius celeberrimi viri hac de tabula ſententia. Quum vero deprehenderem, eam ſolertiſſimo huic viro nunquam viſam ſed tantum ex aliorum relationibus notam eſſe: raritatem huius tabulae non ſatis mirari, neque meam felicitatem praedicare potui, quod mihi contigerit eam poſtliminio luci reſtituere. En MEERMANNI verba p. 239. l. c. „*Non dubium eſt, quin ex officina Laurentiana plura alia huiusmodi ſiue opera integra ſiue ſpecimina prodierint cum blattis tineisque forte adhuc certantia. Huc refero ſpecimen, quod Scriuerii aetate adhuc ſupererat, cuius verba apponam ex cl. Wolfii verſione.*„ „Adhaec vidi typis rudibus minusque politis latine excuſas quasdam tentationes daemonis tentantis hominem de ſeptem peccatis mortalibus et eorum ramis. Et ſtatim ſequitur defenſio boni angeli cuſtodis hominis contra haec ſacram ſcripturam allegantis. Haec vni folio in plano aut patente vt aiunt forma impreſſa ſunt. Sordidum eſt opus, ſed in quo prima artis rudimenta ac tentamina ope atramenti impreſſorii recens inuenti non tantum obuerſantur oculis, ſed manibus quaſi palpari poſſunt.„ *Indicium illud impreſſionis in* ſolio patente *diuerſum omnino opus notare videtur ab illis tentationibus daemonis et exhortationi-*

*bus angeli, quae partem constituunt artis moriendi.* Consulens deinde cel. de HEINEKE in *Nachrichten von Künstlern und Kunstsachen*, reperi etiam illum tabulam hanc nunquam suis adspexisse oculis; vult enim *artem moriendi, de tentationibus morientium et tentationes daemonis* diuersos vnius eiusdemque libri titulos esse: quod secus esse comparatio ipsa docet. Haec omnia quum eximiam huius tabulae raritatem satis superque ostenderent, neque mihi BREITKOPFII, viri et ingeniosissimi et literatissimi labor, quem conscribendae historiae artis typographicae impendit, ignotus esset: illico misi tabulam ad BREITKOPFIVM, sententiam huius viri exploraturus. Respondet, omnino sibi eandem videri, quam SCRIVERIVS olim oculis vsurpauerat, quia verba a SCRIVERIO citata exactissime iis, quae haec tabula sistit, conueniunt. Quod de *forma patente* SCRIVERIVS habet, non ex hodierna consuetudine, secundum quam de *foliis integris* verbum istud sumitur, explicat BREITKOPFIVS, sed ita, vt etiam de *dimidiis foliis, (halben Bogen)* cuius generis haec tabula est, intelligatur. Putat etiam, tabulam non titulum libri *Ars moriendi* esse, vt HEINEKIO videbatur, qui eam penes BREITKO-

PFIVM

PFIVM obiter inspexit, et argumentum libro praemissum habuit, sed totum aliquod esse et integrum; fortasse summam artis moriendi, quae ligno incisa erit, vt aeque ac aliae ligno incisae sanctorum imagines parieti affigeretur et conspiceretur. Tandem tabulam hanc aeri incidendam curauit, vt historiae suae artis typographicae inseratur. Exemplum, quod mihi perhumaniter transmisit cum tabula illa xylographica, exacte conuenit et Bibliothecae Academiae Helmstadiensis illatum est.

---

## II. *De libris nouis.*

*Specimen variarum lectionum Sacri textus et Chaldaica Estheris additamenta, cum latina versione ac notis.* Ex singulari codice priuatae bibliothecae Pii VI. P. O. M. Edidit variisque disputationibus illustrauit IOANNES BERNARDVS DE ROSSI, Publicus in R. Parmensi Academia Sacrarum et Orientalium Literarum Professor ac Theologicae Facultatis Vice-Praeses. Accedit eiusdem auctoris appendix de celeberr. codice tritaplo Samaritano Bibliothecae Barbe-

 rinae.

rinae. Editio altera, Romana auctior atque emendatior. Tubingae sumtib. Iac. Frid. Heerbrandt, MDCCLXXXII. pag. XII. et 196.

Egregium hunc libellum in Germania repetendum curauit cl. SCHNVRRER, consentiente et approbante doctissimo auctore, qui nouae editioni praefationem praemisit. Narrat ibi, quod omnibus rerum Biblicarum studiosis pergratum erit et periucundum, mense quo praefationem scribebat Septembri apparatum eius Hebraeo-Biblicum mstorum et editorum codicum a se conferendorum recensionem continentem proditurum esse; operis autem magni s. variarum lectionum sylloges primum volumen, quo clauis ac descriptio omnium codicum, Prolegomena ac varietas lectionis in tres priores Pentateuchi libros reperta comprehendentur, proximo Ianuario vel Februario, *nisi exiguus obstet subscriptorum numerus*, certissime praelo traditum iri. Intra quadriennium totum opus, quod IV constabit voluminibus, absoluetur. Pro vnoquoque volumine in antecessum soluendum est vnum aureum, *Zecchino* Italis appellatum, Germanis *Dukaten*. Qui non soluerint antequam opus praelo commissum est, cariori id redimient pretio. Pergit etiam auctor

ctor stupendum quem possidet numerum mstorum et typis impressorum codicum Hebraeo-Biblicorum in dies augere; atque iam possidet mstos 395. sed breui vt sperat, vltra quadringentos possidebit. Comparauit vero sibi magnum thesaurum non solum librorum Biblicorum, sed etiam rarissimorum Rabbinicorum tum manu exaratorum tum typis excusorum vt ex libello animaduertimus. Hunc quidem magno nouarum rerum desiderio erecti auidissime percurrimus. Spem enim commouerat DE ROSSI in Typogr. Ferrar. fore vt hic codex Pontificius alios omnes pro KENNICOTTO collatos longe superaturus sit. At magna quam conceperamus spe, quod saepe in codicibus Hebraicis, nobis vsu venit, excidimus, et pontificius ille codex *singularis* appellatus a DE ROSSIO, id tantum singulare habet et memorabile, quod ad priuatam Pontificis bibliothecam pertinet, ceterum minime omnibus aliis dignitate, antiquitate et praestantia lectionum antecellit. DE ROSSIVS ne vnam quidem ex eo profert lectionem, quam Biblia Kennicottiana non suppeditant. Ipse codex binis constans voluminibus, praeter Hebraica Biblia continet versionem Chaldaicam versibus alternis, excepto Daniele, Ezra, Nehemia, Chronicis. Cha-

 racter

racter Germanicae est inflectionis ac formae, ostenditque codicem ad XIV seculum vel initium XV referendum esse. Hinc de praestantia codicis iudicent lectores criticarum rerum non ignari. De cura, quam librarius conscribendo codici impendit, nihil habet DE ROSSIVS. Nos vero vel oblato pignore certare ausimus, eundem codicem, quem ob praestantiam nonnullarum lectionum extollit, multis et apertissimis scribae mendis scatere. Petimus a Doctiss. DE ROSSIO, cui licet suorum codicum honor curae cordique sit, tamen veritatem magis caram esse certissime persuasi sumus, vt suspicionem hanc vel tollat vel confirmet. Verisimile enim nobis est, codicem istum ad familiam codicum 84. 150. 155. 160. 309. etc. Biblior. Kennicott. pertinere, qui licet se nonnullis bonae frugis lectionibus commendent, tamen ob immania multaque vitia, quibus foedati sunt, parum ponderis et auctoritatis apud Criticos nanciscentur. A crisi in singulas 40 varias lectiones ex hoc codice a DE ROSSIO prolatas eo lubentius abstinemus, quia viri, quibus scripta MICHAELIS, LILIENTHALII, SCHELLINGII, KENNICOTTI et aliorum nota sunt, dudum sciunt, cuius generis, modi et momenti sint lectiones ex codicibus

dicibus Hebraicis vel iam excerptae vel in posterum desumendae. Pauca tantum in vnam alteramue lectionem in praesens animaduertemus. Lev. XXVI, 39. multus est DE R. in citandis testibus, qui sistunt איביהם. Editio vero Pentateuchi et prima et optima consentit cum textu Masoretico. Ier. XLIX, 21. multi consentiunt codices et editiones in קולם; quam lectionem falsam esse, contextus demonstrat. Nam צעקה plane abundaret, hac lectione admissa. Irrepsit vero, quia נשמע קולם occurrit Ies. XV, 9. Ps. XIX, 4. נשמע קולה hoc tantum loco, quin קולם multo saepius in Bibliis exstat, quam קולה. Confusio et permutatio locorum parallelorum foecundissima est mater variarum lectionum, vel illarum, quae speciem veritatis prae se ferunt. Quam quidem veritatem, qui vel in dubium vocat vel negat, eum credo nullos vnquam codices Hebraicos manu versasse. Ezech. XI, 19. בקרבם reperitur etiam in Bibliis Complut. caeteroquin ad amussim Masorae confectis. Laudamus diligentiam, quam DE ROSSIUS in excutiendis tum suis tum alienis codicibus collocat; sed tempus nos docebit, num plures ille maculas Hebraico textui absterfurus sit, ac KENNICOTTUS fecit. Quomodocunque res ceciderit,

 vtilis

vtilis est et minime superuacaneus immensus ille DE ROSSII labor, immo dignissimus, qui consiliis, libris, pecuniis omnium eruditorum cuiuscunque sint gentis et religionis, sustentetur et adiuuetur.

De Chaldaica Paraphrasi Pontificii codicis ita agit, vt primo eius vsum in restituendo Hebraico textu varia afferendo exempla demonstret: qua data occasione nonnullas etiam profert lectiones non inutiles versionis Hellenisticae recentioris, quam continet codex Venetus. Deinde quantum iuuet ad interpretandos Scripturae locos, exemplo ex 1 Sam. VI, 19. petito probat, siquidem Targum huius codicis ita: LXX *viros, qui erant in turba vel coetu quinquaginta millia virorum.* Huius loci explicationem, quam olim dederat, defendit contra MICHAELIS et HVFNAGELII duumvirorum celeberrimorum obiecta. Responsionem iis examinandam relinquimus. Editiones antiquas *ex praestantibus* codicibus *optimaeque notae* haustas esse, iudice DE ROSSIO non merae sunt coniectationes. Constare enim hoc ait ex amplissimis typographorum ac correctorum testimoniis, tum ex facto ipso et conditione editionum. Vtrumque falsissimum nobis videtur, miramurque virum, qui in hoc litera-

rum genere habitat et amplissimo librorum apparatu instructus est, adeo falso de origine Hebraicarum editionum sentire. Suademus ei, vt ea tantum legat et attente consideret, quae editores Hagiogr. Neapoli 1487. de codicibus a se adhibitis narrent. Additamenta Estheris Chaldaica, quae DE ROSSIVS profert ex Pontificio codice, adiecta lectionis varietate ex codice Vaticano atque alio, quem ipse possidet, desumta, sunt eadem, quae ASSEMANI in Catalogo Mstorum Hebraicorum Bibliothecae Vaticanae primus in lucem emiserat, repetita deinde in Danielis versione LXX virali Romae edita. Sed quia vterque liber rarus est, inprimis in Germania, pro hoc supplemento DE ROSSIO grates persoluent Biblicarum rerum studiosi. Eadem vero additamenta sine dubio in aliis codicibus Chaldaico-Hebraicis reperiuntur, e. g. Reuchliniano II. Erfurtensi I. Berolinensi I. Dresdensi, vti etiam coniicit DE ROSSIVS. Nos olim ex codice Kennicot. 380. quem Pferschenae iuxta Augustam Vindelicorum Low Simon Vlmann Iudaeus possidebat, ea descripsimus, vnde vnam alteramue lectionem alio tempore notabimus. Quin in codice quodam Turicensi, designato in Bibliis Kennic. 394. idem fragmentum s. somnium Mardochaei

doctrael Hebraice extat, quod ανεκδοτον in posterum typis describendum curabimus. Desunt quaedam circa finem fragmenti, a me nescio qua de causa omissa. Hebraicum hoc fragmentum breuius est Chaldaico, atque ex eo procul dubio transsumtum; quod vel Chaldaica verba in eo retenta demonstrant e. g. היתגרויתי et מיזרות. Chaldaicorum additamentorum auctor et aetas ignoratur. Ex Latina vel Graeca versione non hausta esse, dissensus, qui inter Chaldaicum textum et versiones intercedit, verisimile reddit. Coniicit DE ROSSIVS cum nonnullis doctis viris antiquum Estherae librum ab hodierno multum discrepasse et Chaldaica lingua a Mardochaeo concinnatum esse, vnde fortasse fragmenta supersunt, licet sequioribus temporibus interpolata. Appendix libelli Rossiani spectat ad celeberrimum codicem Samaritanum Tritaplum Bibliothecae Barberinae. Haec dissertatio varias continet obseruationes, quae auctori cum cl. TYCHSEN. in diss. Tom. XI. Repertorii inserta communes sunt. Ex quo patet viros acumine et doctrina praestantes, si eandem rem tractandam sumserint, non posse non in easdem incidere obseruationes. BIÖRNSTAHLII, HWIIDII, ac aliorum errores, quorum in descri-

ptione

ptione huius codicis rei fuerunt, castigantur et emendantur. Probat ante BIÖRNSTAHLIUM codicem in Italia notissimum fuisse, quod etiam fecit TYCHSEN. l. c. Affert varias librorum subscriptiones a duumuiris istis Hyperboreis vel plane non lectas vel male, aut non omnino interpretatas, ex quibus efficitur supplementum codicis adiectum esse a. hegirae 887. De Samaritana codicis versione obseruat, eam Chaldaicam interpretationem nonnunquam verbatim sequi. Idem animaduertit TYCHSEN l. c. Versio Arabica codicis tritaplaris ita comparata est, vt, vbi versio Samaritana a textu Samaritano discedit, Arabica modo ab ea recedat, modo cum ea consentiat. Eius auctorem non Saadiam habet, vt coniecit TYCHSEN, sed Abusaidum. Dignus erat omnino liber, qui in Germania recuderetur.

---

*Bibliothek der alten Aerzte;* h. e. Bibliotheca veterum medicorum, seu eorum scripta translata et in epitomen redacta. *Pars secunda,* quae libros Hippocratis spurios, Thucydidis de peste Atheniensi, Aristotelis, Theophrasti, et sectatorum Hippocratis continet. E graeco in germani-

manicum sermonem conuertit D. CHRIST. GOTTL. GRVNER, Sereniss. Saxon. Duci ab aulae consiliis, et Med. Professor Ienensis, variis societatibus literariis adscriptus. Lipsiae apud Weidmanni haeredes et Reichium. 1782. pagg. 638. 8nis mai.

Illustris GRVNERVS de republica literaria, in primis vero de medicis, qui linguam graecam non ita callent, vt ex ipsis fontibus limpidum potum haurire queant, bene mereri pergit. Libros Hippocratis spurios Ill. Interpres ita dispescuit, vt primo eos, qui de diaeta praecipiunt, quales sunt liber de salubri victus ratione, et libri tres de diaeta; deinde illos, qui ad pathologiam pertinent, verbi gratia, librum de natura pueri, de glandulis, de corporis partibus, libros quatuor de morbis, librum de internis adfectionibus, de flatibus, de dentitione, de morbo sacro et mania, de natura muliebri, de superfoetatione, de his, quae vterum non gerunt, de mulierum et virginum morbis; tum eos, qui ad semiologiam pathologicam spectant, nempe fragmenta quaedam e libro de alimentis et corporis partibus; postea libros chirurgicos, e. g. de vlceribus, de fistulis, de haemorrhoidibus, de visu, de foetus in vtero mortui exsectione; deni-

que

que eos, qui ad therapeuticen referri possunt, dissertatiunculam de vero purgantium remediorum et hellebori vsu, poneret. Sequitur Thucydidis descriptio pestis Atheniensium; nonnulla ad medicinam pertinentia ex scriptis Aristotelis, Theophrasti et sectatorum Hippocratis, Euryphontis, Dioclis Carystii, Praxagorae, Philotimi et Chrysippi. III. Interpres cuilibet sectioni praemisit breuem et acutam cuiusuis scripti diiudicationem, et notas doctas addidit, quibus tum res ipsas egregie illustrauit, tum vocabula graeca obscura explicuit. Quum Vir Illustris ea, quae in recensione argumenti primae partis huius libri in medium promsi, perhumaniter acceperit, liceat mihi et nunc coniecturas quasdam, nam nihil aliud sunt, proferre. Pag. 9. III. Interpres haec verba: *ημφιεσθαι δε χρη του χειμωνος, καθαρα ιματια· του δε θερεος, ελαιοπινεα*, sic germanice reddidit: *Im Winter können weiße, im Sommer gefärbte Kleider angezogen werden.* Et in nota adiecta docet, Galenum vocabulum *ελαιοπινεα* per *ρυπαρα* explicuisse, sed simul monuisse, reiiciendum esse hoc vocabulum, quia vestimenta oleo imbuta aestati non apta essent. Sed fortasse scriba vel vocabula *χειμωνος* et *θερεος*, vel *καθαρα* et *ελαιοπινεα* transposuit, sic, vt sensus

ſus horum verborum ſit: hieme veſtes oleo imbutas induere conuenit, aeſtate vero puras. Nam aer corpus proxime ambiens et calefactus per veſtimenta oleo infecta penetrare nequit, ideoque dum diutius retinetur, corporis calorem conſeruat. Et quamuis igneae particulae in motu conſtitutae ſenſim in aera frigidum abeant, hoc tamen non tam celeriter fieri poteſt, quam ſi tota corporis atmoſphaera calida auferatur. Norunt hoc illi, qui lacerna ex ſerico cera imbuto confecta Anglorum more et ad pluuiam et ad frigus corpore arcendum vtuntur, et podagrici, qui eiusmodi ſaccis pedum calorem retinere, eorumque ſudorem elicere ſtudent. Sed mera haec eſt coniectura, quae ponit, veteres iam ſicut nos, experientia edoctos reſciuiſſe, hac ratione corporis calorem diutius conſeruari poſſe. Pag. 302. verba: ην αἱμα εμεῃ εκ τοκου του ἡματος ἡ συριγξ τετρωται, ſic interpretatus eſt: *Wenn ſich nach der Geburt Blutbrechen einſtellet, ſo iſt die Leberader zerriſſen,* et quidem recte, ſicut iam FOESIVS praeceperat. In nota addita putat, hunc ſanguinis vomitum ex nexu vaſorum ventriculi et iecinoris explicari poſſe. Nonne etiam ſanguis in hepate ipſo effuſus, et per ductum hepaticum ad inteſtinum duodenum translatus, ſicut bilis, mo-

in retrogrado in ventriculum deferri et sic vomitu reiici potest? P. 553. ex Aristotelis historia animalium enarratur, puerorum pubescentium vocem paullo grauiorem, asperiorem et inaequabilem fieri, et verba Aristotelis καλουσι τραγιζειν vertuntur: *Das heißt man riechen wie ein Bock.* Sed quamuis alias τραγιζειν hircum olere significare possit, hoc tamen loco nihil aliud mihi notare videtur, quam vocem hirci nec nimis altam, nec grauem, sed quasi mediam et paullo asperiorem, ex alto in grauiorem sonum saltu quodam delabentem, et germanice reddi posset: *meckern wie ein Bock.* Nam et verba sequentia non de foetore, sed cuncta de mutatione vocis interpretari possunt. P. 144. lapsu typographico vel vocabulum *boeseste* in *beste* mutatum, vel verba quaedam omissa esse videntur. Nam sequentia verba: *Das beste Zeichen ist, wenn die Haare ausfallen. Einen solchen Krancken muß man gar nicht annehmen,* sibi repugnare videntur. Sermo est de pessimis signis phthiseos, ad quae omnino pertinent comarum defluuia, id quod etiam Ill. Interpres paullo ante, recte his verbis testatus erat: *Wenn dem Krancken die Haare ausfallen und der Kopf glatt wird, wie nach einer Kranckheit, und der auf Kohlen gespuckte Auswurf*

 übel

*übel riecht, so wird er gewiß innerhalb kurzer Zeit sterben.* Sed fortasse Ill. Interpres illis verbis docere voluit capillorum defluuium optimum hoc est certissimum esse signum mortis praesentissimae. Haec sunt pauca, quae mihi hunc librum attentius perlegenti dubia visa sunt. Si innumera illa ioca obscura, in ceteris et veris Hippocratis scriptis non tam frequenter occurrentia, quae Illustris GRVNERVS dilucida explicatione illustrauit, huc transscribere vellem, nec spatium nec tempus sufficeret. Ipsa graeca corrupta vocabula egregie emendauit, e. g. pag. 351. pro οϛε ὀλιγῳ legere suadet οϛεουλκῳ. Suas ipsius obseruationes in notis adiecit, qualem eximiam e. g. p. 396. lectores inuenient. Ego sane grato animo et summa animi voluptate confiteor, me multa loca difficilia ab Ill. GRVNERO explicata inuenisse, eiusque interpretationem omnes reliquas longe antecellere.

Be.

---

*Ueber die Blitzableiter*; h. e. dissertatio de fulmina auertendi artificio, iussu Serenissimi Principis et Marchionis Badensis, elaborata a IOANNE LAVRENTIO BOECKMANNO, Seren. Marchioni Badensi

Badensi a consiliis aulae, Professore Physices, et variis societatibus literariis adscripto. 1782. pagg. 80. 8nis.

Illustris Auctor primum de vtilitate et noxa tempestatum, de variis subsidiis contra fulminum effectum a variis rebus petitis, differit, et tum tormentorum explosionem, tum campanarum pulsum durante tempestate dissuadet. Ex monumentis Academiae scientiarum Parisiensis multa exempla hominum eo tempore, quo campanas pulsarunt, fulmine necatorum profert. Deinde praemissis paucis de natura et φαινομενοις corporum electricorum, docet, materiam fulminis esse electricam, et qua ratione et FRANKLINVS et alii recentiores auctores ad fulmina auertendi artificium inueniendum et perficiendum adducti sint. Tum exempla effectuum fulminis corpora metallica sequentis enarrat, et ex iis probat, fulmina numquam aedes laesisse, in quarum superficie metalla continua ab culmine ad terram vsque reperta sunt. Postea sex praecepta experientia nixa proponit, ex quibus duodecim exquisita bonae machinae, qua fulmina aedibus arceri queant, recenset. Praeter ea eorum opinionem refellit, qui cum WILSONO perhibent, perticam in parte superiori globulo praeditam, iis praestare, quae

 cuspi-

cuspidem haberit. Deinde dubitationes, quas nonnulli mouerant, egregiis argumentis diluit. Postea breuem narrationem subiunxit, quibus in locis hoc artificium aedibus adaptatum est. Postremo eodem artificio adhibito et multis perticis acuminatis grandinis noxas auerti posse, existimat. Serenissimus Marchio Badensis eiusmodi machinas eodem fine in duabus regionibus, quae in ditione Eius sunt, fieri iussit. Gratulor Viro Illustri, quod voti sui, iam anno 1774 prolati, compos factus sit, gratulor Illi de merito insigni, quod ciuium suorum aliorumque commodis et securitati, eleganti ac perspicuo hoc scripto inseruire studuerit.

Be.

---

x. *Ueber die Lehren, Thaten und Schicksale unsers Herrn etc.* De placitis, rebus gestis ac fatis Domini nostri; appendix historiae Iesu ab huius auctore scripta, Turici apud Orell. et socios. 8. pagg. XII. et 443. 1782.

Ita inscripsit S. Reuer. HESSIVS *duodecim commentationes*, quibus historiam euangelicam doctius, quam pro consilio libri laudatissimi *de vita Iesu per postremum triennium*

*eius*

*eius* liceret, illustrare studuit. Hic enim liber popularі vsui scriptus erat, ad explicandam sacrorum historicorum narrationem facili paraphrasi, aptus; illo, quem nunc addidit, exercitatioribus et maiorem lucem historiae huius desiderantibus ab illorum temporum, quibus Iesus vixit, hominumque, inter quos vixit, notitia inseruire auctor voluit. His igitur iam vberior quasdam offert obseruationes circa ingenium illius seculi, publicam Iudaici populi conditionem, vitam priuatam, instituta, opiniones, et peculiarem Iesu docendi agendique rationem. Sed singulas commentationes, vel, vt vocare placuit, *sectiones* libri percenseamus diligentius.

I. *Quaedam ex historia Iudaeorum publica, quae scire attinet in historia Iesu.* Incipit a tempore, quo noui Iudaeis domini dati sunt ex Idumaea gente, et apte obseruat, tum iam reuixisse in multis studium pristinae libertatis, ab imperio molli quamquam, tamen peregrino callide vindicandae, et gliscere coepisse in populo superbo et seruitutis impatiente odia aduersus Romanos; Iudae Galilaei sententiis et conatibus clanculum patrocinatos esse videri Pharisaeos; in Galilaea autem, vmbram adhuc habente regiminis domestici, isto, quo Iesus publice vixerit, tempore non tantam

 fuisse

fuisse libertatis tenendae cupidinem, quantam in Iudaea, Procuratori Romano subiecta, regnasse appareat. Hinc efficit, prudenter Iesum vt plurimum intra Galilaeae fines sese continuisse, quo et minus vanas hominum de Messia vindice ac redemtore ciuitatis suae spes aleret, et amoueret omnem a se rerum nouarum agitandarum suspicionem; securius multo Iohannem Baptistam in ipsa Iudaea versatum esse, siquidem is non eamdem omnino cum Iesu prouinciam, sed priuati magis, quam publici vniuersae nationis doctoris munus egerit. — Haec, quae fusius disputat, legi diligenterque merentur, nisi quod nimium videtur hypothesi suae dare, dum Iohannem in sola Iudaea vitam publicam egisse narrat, quem tamen testatur Iohannes apostolus (euang. III, 23. sq.) in Galilaea etiam baptisasse, et quem postmodo in aula Herodis Antipae multum valuisse gratia et auctoritate scimus. Praeterea in eo etiam, deseritur ab historia, quod narrat, per totum istud temporis spatium, quo multi intestini motus, auctore Pilato, Iudaeam turbarent, Galilaeam pacatissimam fuisse. Herodis enim et Aretae bellum omnino incidit in prima muneris Iesu publici tempora, id quod et causa huius belli, quam Iosephus tradidit, (qui simul suam de

fatali

fatali exitu eius narrationem arcte coniungit cum Iohannis Baptiſtae mentione,) manifeſto arguit, et prodere videtur Lucas, quando (III, 14.) inter illos, qui ad Iohannem veniſſent περαν τȣ Ιορδανȣ, commemorat etiam ϛρατευομενȣς, quos vix alios credibile eſt fuiſſe in iſta regione, ac *militantes Herodi et ſtipendia merentes in bello aduerſus Aretam.* Fruſtra itaque et ſine omni cauſa fingitur ab auctore ſerius demum, ac tum quidem geſtum eſſe hoc bellum, quum Pilatus Romam rediret. — Inſunt autem huic commentationi aliae praeclarae obſeruationes, in quibus haec potiſſimum nobis perplacuit, qua veroſimile facit, Domini noſtri ſermones multum ſine dubio feciſſe ad reprimendos populi animos et ad tranquillitatem reipubl. conſeruandam, itemque illa, qua oſtendit, quomodo factum, vt Ieſus non aeque ac Iohannes odium ſibi contraxerit Herodis. Interim ad intelligendam clare reipubl. Iudaicae iſtius temporis formam plura dicenda erant, quam auctor dixit. De poteſtate tetrarcharum, de prouinciali Iudaeae adminiſtratione, de iure Procuratorum, de ſynedrio Hieroſolymitano, de reliquiis priuilegiorum Iudaicorum etc. lucis aliquid afferri e Ioſepho potiſſimum ad hiſtoriam euangelicam debebant; et ſupererat ſa-

ne spicilegium obseruationum eius generis non omnino occupatarum ab aliis.

II. *De peregrinationibus Domini nostri.* Non loca omnia et singula, quae adiisse Iesum leginus; sed praecipua tantum perlustrat auctor, in quibus ille theatrum quasi rerum a se gestarum posuit. De his ita agit, vt respiciat ad statum, quo illa tum fuerunt, et vt disquirat, quapropter Iesus in illis potissimum commemoratus sit diutius et scholam suam habuerit. Expositum breuiter in vniuersum velim, quapropter non perpetuam in vna aliqua vrbe sedem fixerit, licet facile fit perspectu; itemque quatenus in consuetudine fuerit magistris et Rabbinis Iudaeorum, cum discipulis suis commigrare ab alio loco in alium. Itinera Domini sic distinguit auctor, vt primum ea commemoret, quae ad festas celebritates Hierosolymitanas instituit, deinde quae per Galilaeam fecit passim, ac denique secessus ac diuerticula in finitimis regionibus quaesita. Hierosolymis Iesum tempore festo tantum degere solitum, quo nempe declararet suam prouinciam non tam ad metropoleos ciues, sed ad vniuersum populum pertinere, et plerumque relicta discipulorum et cognatorum societate, ibique diligenter concursus multitudinis vitasse, atque in templi

atriis

atriis et porticubus potissimum versatum esse, egregie obseruauit. Vrbis rationem politicam, incolarum diuersas classes, ciuium mores et ingenia e Philone et Iosepho descripsit; locum Iosephi de templi a monte oliuarum spectati magnificentia (de bell. III. 2.) integrum vellem apposuisset. Cur alias vrbes prouinciae non frequentauerit Iesus, euangelistis tantum narrantibus, eum transiisse per Iudaeam, anxie nimis anquirit. Facile enim est cognitu, hoc non pertinuisse ad peculiare cuiusque euangelistae propositum, diaria componere vel itineraria accuratissima. Multa vero narrarunt de eo, Lucas praecipue, sine mentione loci; multa etiam de primo muneris Iesu publici anno ignorarunt Matthaeus, Marcus et Lucas. Illum vero famam in vrbibus Iudaeae amplissimam habuisse, cum alia multa testantur, (v. c. quod Arimathaeae, Emmaunte, Bethaniae amicos habuit intimos) tum acclamatio coeci mendici prope Hierichuntem — υἱὲ Δαβὶδ etc. et Zachaei magna eum videndi cupiditas etc. — In Galilaea cur maximam vitae suae publicae partem Iesus peregerit, denuo explicat auctor, et ex Iosephi commentariis ostendit, quam opportuna fuerit haec terra iuuandis Iesu consiliis. Quod autem (p. 34.) scribit, Iesum teste Iohanne VII,

1. in illam transiisse, quia *Iudaeae incolae* eum interficere studuissent, videtur neglexisse sollemnem vsum loquendi apud Iohannem, quippe qui plerumque τȣς Ιȣδαιȣς nominat, vbi *optimates populi* significari manifestum est. Ita h. l. illud ἐζητȣν αυτον αποκτεναι, vt saepe, per se non potest nisi de senatoribus intelligi.

III. *De doctrina et methodo docendi, qua Iesus vsus est intuitu temporis, occasionis et auditorum.* Hanc grauis momenti rem quis non cupiat a tam sollerte et perspicace librorum sacrorum interprete plane exhaustam esse! At, quamquam huc et spectent sectio IV. VI. et VIII. vt videbimus, tamen desideriis nostris eum non satisfecisse, libere fatemur. De ipsa *materia* doctrinae Iesu praestabat nihil, quam parum dixisse in tali nempe libro, qualis hic est; sed de *methodo* doctrinae praesertim et quam apposite illam pro varia audientium indole, rerumque opportunitate variauerit, lectores istos, quos auctor sibi cogitauit, curatius et copiosius edoceri velle existimo. Demonstrandum erat, et quid *commune* sit in omni illa disciplina Iesu, et quid *proprium* habeant varii sermones, quos vel ad frequentem habuit multitudinem, vel cum singulis contulit hominibus, vel doctis vel indoctis,

vel

vel amicis vel inimicis, etc. quatenus vel consuetudinem secutus sit aliorum inter Iudaeos magistrorum (vt in parabolis, prouerbiis et paroemiis, precandi formulis, symbolis etc.) vel suum ipse morem seruauerit. — Sed parum abest, quin censeam, HARWOODVM in exili ceterum libro, *introductione in N. T.* melius hanc rem egisse. Noster ordine satis incommodo primum loquitur de sermonibus, quos Iesus in synagogis, deinde de his, quos in coetibus domesticis (fingit enim ritum aliquem Iudaicum, dum in aedibus priuatis numerosas hominum societates ex vicinia et tota vrbe coire solitas esse narrat ad audiendam legem ex ore doctorum et ad pietatem exercendam; locos euangeliorum, quibus abutitur, nihil amplius probare in aprico est, quam Iesum nonnumquam etiam in priuatis aedibus, occasione sibi data, aduentantes forte multos ad videndum thaumaturgum vel exorandum illius auxilium, docuisse) tum in atriis templi, in plateis, in agris vel in litore, priuatim et in conuiuiis etc. habuit. At nimis profecto fortuita res est *locus*, vbi quis verba facit; multa magis cognoscitur apta ratio et vis sermonum, si ad *personas* attenditur, cum quibus res est dicenti. Hoc si fecisset auctor, poterat sane, si quis alius, perfectam nobis

ideam scribere formulae, quam in erudiendis hominibus vsurpauit sapientissimus doctor.

IV. *De consuetudine, quam cum disciplinas suae alumnis proximis Iesus seruauit*, de prima nempe illorum vocatione, de rudimentis doctrinae ipsis principio traditae, de progressu, quem fecit ad fiduciam illorum sibi conciliandam, ad praemuniendos spe, constantia, fortitudine, idoneosque rebus gerendis faciendos, de prudentia, qua nunc illos redarguit et conuicit errorum, nunc πρὸς ὥραν indulsit opinionibus, quibus occupati essent, nunc hortatus est, et qua diuersa illorum ingenia tractauit, etc.

V. *Delineatio opinionum Iudaicarum.* Illas fere tantum dinumerat, quae *ad mores* propius pertinebant. Viue et vere admodum describit perditam populi circa hoc tempus indolem, vanam arrogantiam, hypocrisin, inhumanitatem et odium aduersus alienae religioni addictos, Pharisaeorum et Sadducaeorum propria placita, et, quomodo Iesus sese gesserit, doctrinamque suam informauerit intuitu istorum omnium, quorum animos tam turpi disciplina sciebat infectos, exemplis ostendit.

VI. *De parabolis.* Quid sit *parabola*, quid commune habeat cum metaphora, allegoria, exem-

exemplo, prouerbio, fabula etc. et quid peculiare, omittit quaerere. Hinc omnia huc trahit orationis et sententiarum inuolucra et ornamenta, quibus vsus est Iesus, et alienissima permiscet. Si curatius distinguere voluisset, multo breuior esse poterat, neque opus habuisset v. c. disputare, quidni Iesus in parabolis suis nonnumquam et rebus *abstractis* vitam, aut *mutis animalibus* loquelam dedisset. Ceterum multa et hic reperiuntur acute obseruata, alia vero plane otiosa et inutilia. Quid v. c. illa enumeratio rerum omnium, a quibus Iesus imagines et lumina orationis petiit, per classes instituta, et 1. a re domestica, 2. ciuili, 3. rustica etc. expediat? Namque non plane segnem hominum vitaeque humanae spectatorem fuisse Iesum, quod ex ista copia et varietate similitudinum liquidum facit auctor, longe facilius certiusque effici posse censemus. Nam, quod Iesus ad illas res domesticas, rusticas etc. in orationibus suis respexit, inde vix liceat cogere, admirabilem in illo fuisse rerum circumiacentium obseruatae indolis et virtutis perspicaciam; haec potius maxima laus est imaginum, quibus orationes suas fere distinguere solitus est, quod populares admodum sint et a rebus mutuatae, quae prorsus essent quotidianae, et vbique obuiae,

obuiae, atque rudi cuiuis in sensus incurrebant.

VII. *De rebus variis, quae ad culturam ingenii Iesu aliquid contulerunt.* Est quasi commentarius in verba Lucae: προεκοπτε ἡλικια, σοφια και χαριτι etc. isque verbosus admodum, in quo fieri non potuit, quin auctor coniecturis quibusdam de infantia, adolescentia et educatione Iesu plusculum daret. Neque tamen illae pro temerariis vel indignis censendae sunt figmentis, qualia nuper peperit, impieque et irreuerenter in vulgus sparsit febrile et delirum ingenium BAHRDTII. Sed est fere quod veniam precemur factae de contemtissimo homine mentionis in illo loco, vbi de viri prudentis, pii castique theologi libro sermo erat. — Praeterea fusius de peritia sacrarum scripturarum, quam Iesus tenuit, disputat, et lineamenta quaedam ducit non omnibus patentia animi diuini, quem dictis factisque comprobauit. Praeclare in haec desinit verba: Magnitudo Domini nostri nihil habet splendoris; mera veritas erat; ille non aptus est heros spectaculo, et placet hominibus minus quam multae personae fictae. Sed nescio, (pergit cum BACONE) quomodo veritas ista, vtpote nuda et manifesta lux diurna, personatas huius mundi

di fabulas ineptiasque non tam magnifice et eleganter ostendit, quam taedae lucernaeque diurnae.

VIII. *De habitu vario historiae Iesu ad daemonologiam.* Narrationem de tentatione diaboli literaliter omnino intelligit, quamquam non diserte reiicit interpretationem de ecstasi, in quam correptam esse mentem Domini multi nuper vigilantes somniarunt. Pari modo quae de angelis ministrantibus et in ista narratione et alibi dicuntur. Porro, vbi de diabolo Iesus loquitur, eum non ex concessione et formula Iudaeorum, sed ex animi sententia locutum fuisse, persuasissimum sibi esse fatetur. Nam, inquit, in huius generis sermonibus, in quibus Satanae vel Principis mundi, ceu malignae ac potentis naturae, salutem hominum infestantis sed a se debellandae, mentionem iniicit, Iesus *partim* suos discipulos docet priuatim, quos vero vano metu territos, aut ineptis fabulis deceptos, et, si illis iam innutriti essent, confirmatos esse a Iesu, (idque deliberato; saepe enim ipse coepit, citra occasionem sibi ab illis datam, de Satana disserere, vbi nihil necesse erat, illorum praeconceptis opinionibus aliquid dare tantisper, et vbi igitur silere poterat de Satana) prorsus est incredibile; *partim* vero libere et

acriter

acriter pugnat in his ipsis sermonibus cum erroribus Iudaeorum, nec potest igitur eodem tempore superstitioni cuidam et opiniunculae vel plebis vel scholae indulgere voluisse doctor scilicet ingenii alias minime obsequiosi, praecipue quum et hic non esset, quod iuberet eum simulare. (Vtrum ita sentiat auctor de illa etiam pericopa, in qua de impuro spiritu, loca ἄνυδρα petente, septem alios nequiores secum ducente et redeunte cet. legimus, non reperio.) De his quoque, quos *daemonibus occupatos* euangelica historia commemorat, auctori probatur illorum sententia, qui non modo sanae mentis impotes et vitio corporis infeliciter discruciatos et ex commento vulgari vel certe consuetudine loquendi Iudaica sic dictos, sed vere omnino daemonum imperio subiectos fuisse existimant. Luculenter enim euangelistas ita sibi rem cogitasse, vt verba illorum sonant, eoque prorsus consilio miraculosas hominum eius generis sanationes complures memoriae mandasse, vt Dominum suum non modo malorum corporeorum auerruncatorem sed victorem quoque praepotentem naturarum hostilium ex inuisibili mundo fuisse, pateret. Apostolos autem, quum iam a *spiritu veritatis edocti essent de multis quae antea non cepissent*, necdum

dum videri ab istis ignorantiae Iudaicae nebulis, vt vocari solent haec de Satana et instrumentis eius scita, liberatos, quod sane exspectandum erat, si forte Iesus suam et loquendi et aegros istos tractandi consuetudinem accommodasset adhuc ad imbecillitatem et errores illorum. Sed et hanc accommodationem plane imprudentem et consilio boni doctoris minime consentaneam futuram fuisse. — Haec grauiter, etsi moderato animo, edisserit auctor; atque habebunt sane qui aliter sentiunt, aduersarium non contemnendum, nec facile superandum.

IX. *De ratione, qua Iesus fuit seque gessit intuitu religionis, rei ciuilis et familiaris.* Est et haec commentatio ex optimis, quae multos historiae Iesu locos probabiliter illustrat. Quod autem (p. 296.) ponit, Iesum, recens natum, *sine dubio* censui Romano adscriptum esse, non ausim dicere, nec credere Orosio, nullius fidei in hac re auctori, etsi, vel sine quoquam testimonio, aliqua veri similitudine opinari liceat.

X. *De impari successu, quem inter sui temporis homines habuerunt placita et facta eius.* Primum exponit, quae fuerint in isto statu Iudaeorum res opportunae et vtiles obtinendo consilio Iesu et promouendis susceptis eius

Quoad religionem huc refert publicam aucto-ritatem scriptorum Mosaicorum et propheti-corum, persuasionem de Messia promisso et mox venturo, confessam a plerisque resurre-ctionem mortuorum et vitam post mortem, non omnino nullam in multis pietatem inge-nuam et ductilem sinceritatem, magnam prae-cipue existimationem Iohannis Baptistae. — Ne multa; quidquid vel in hominibus, vel in Iesu ipso, vel in temporum genio et concursu variarum fuerit περιστασεων, quod faceret, vt istum adsensus, laudis ac fidei gradum conse-queretur, quem consecutus est, id omne lo-cuples potissimum in hac materia auctor pro-funde explorauit, vere dilucideque exposuit. Quamdam de *futuro optimo hominum doctore* ominationem animo Socratis obseruatam esse sibi quidem non abhorrere videri, comparato loco celeberrimo in Platonis Alcib. II. (p. 354.) obiter profitetur.

XI. *De miraculis et vaticiniis Domini* Di-gna in primis sunt relatu, quae de miraculis eius monentur. Illa spectanda esse, cum vt *similia* illis, quae a prophetis aliis edita fue-runt, tum vt Iesu *vnice propria* atque ad suam proxime prouinciam pertinentia (respectu *vniuersali* et *particulari*). Priori intuitu ea non fuisse tantum attentionis excitandae in-

stru-

strumenta, sed peculiaria diuinae legationis signa, vera facta Dei, quemadmodum reliquorum omnium veri nominis prophetarum miracula. Quae autem in his σημειοις Iesu singularia et incomparabilia censenda, maxime fuisse haec: vt simul essent primum beneficia; deinde praemia et hortamenta fiduciae in prophetam; tum vt illa partem aliquam doctrinae a se propositae (v. c. se posse peccata remittere, mortuos in vitam reuocare etc.) viuo quasi experimento confirmarent; porro vt ipse solus esset horum auctor miraculorum eo sensu et ambitu, quo de nemine prophetarum dici possit. —

XII. Nam denique properandum est ad finem, in summam contraxit concinnam vniuersam suam diuinae oeconomiae et connexionis rerum a Iesu Christo in his terris gestarum descriptionem, alio libro (*Vom Reich Gottes* etc.) plenius expositam. — Ceterum hoc, de quo huc vsque ad lectores nostros retulimus, auctoris venerandi opus optimis merito adnumeramus historiae Iesu cum recte intelligendae tum vero maxime aestimandae vera sua dignitate subsidiis. Quae hinc inde notauimus, nobis visa minus consulto dicta, nulla prope sunt, et magna copia cogitationum nouarum, grauissimarum et vtilissima-

rum, largiſſime compenſantur. — Acceſſit tabula geographica Palaeſtinae, qualis erat tempore Chriſti et Apoſtolorum. Illam auctor e Germanica editione BACHIENII repetendam curauit.

---

*Lehrbegriff der nöthigſten Kenntniſſe etc.* i. e. IO. GEO. LVNZII, Rector. ſch. Kemptenſ. etc. compendium cognitionum maxime neceſſariarum, in vſum ſcholarum ciuilium. 1782. 8. 260 pagg.

Innumera librorum paedagogicorum copia eſt, ſed plurimi eorum aut non ſatis apti inſtitutioni ſunt, quia ii, qui eos ſcribere auſi fuerant, vix vnum atque alterum puerum erudierunt, aut prorſum abhorrent a futuro vitae genere. Optimae enim res vileſcunt, niſi ad communem vſum comparatae videantur. Laudandus ergo et commendandus hicce libellus eſt, quem nobis indicendum ſumſimus. Nam Cl. LVNZ eum patriae ſcholae vnice accommodatum eſſe voluit, vnde non eruditi homines, ſed boni mercatores et opifices prodire ſolent. His perneceſſaria eſt, hiſtoriae naturalis, phyſices, geographiae, hiſtoriae cet. cognitio, eaque huius libelli praeclari miniſterio facile comparari poterit. Incipit ergo

A.

A. ab historia naturali, eiusque partes, regnum minerale, vegetabile ac animale, breuiter, at vero satis idonee percenset, in primis quae ad hominis corpus, sanitatem et conseruandam, et restituendam, animum eiusque vires, ad societatem tuendam, ad res arte factas, mercaturam, mensuras et pondera, monetarum varia genera, spectare videntur. Neque absimiliter arithmeticam, geometriam, mechanicam, architecturam, item literas varias, linguarum studia, vitae prudentiae et oeconomiae praecepta, pertractauit, id quod etiam de physica, geographia, ne omissis quidem nuperrime detectis Indiae insulis, chronologia, historia, et de religioso Dei cultu valet. In quibus ita versatus auctor est, vt a leuiori ad difficilius progrediatur, pure ac concinne omnia describat, quae iuuentuti scitu necessaria sint, vsus clarissimorum in quouis genere virorum scriptis, neque tamen sine delectu, denique vitae, non scholae prospiciat. Hinc nolumus anxie anquirere peccata, quae hinc inde inuenimus, (in tanto enim rerum ambitu facilis error est) speramus tamen, fore, vt in secunda editione, quam certissime auguramur, deleantur istae maculae.

*Diaetetiſches Wochenblatt etc.* i. e. GRAVMANNI, Profeſſoris Butzouienſis, Ephemerides Diaeteticae, in vſum omnis conditionis hominum, ſ. diſſertationes populares ad conſeruandam valetudinem. *Vol. I.* Roſtochii 1781. 8. pag. 384.

Saepius dictae et ſcriptae ſunt regulae diaeteticae, ſed eae fere aut nimis durae, aut imperfectae. Neque ab hoc vitio immunis auctor noſter eſt, qui potiora diaetetices capita more ſuo i. e. ruditer et ad plebis captum accommodata explicuit, immiſſis aliquot hiſtoriis de edicto reginae Anglorum, *Eliſabethae*, de crebriori piſcium eſu, de viro in luna habitante, de halécum ſale praeparandi ratione, de ſingulari appetitu cuiusdam comitis cet. Noua ergo hic quaerenda non ſunt, nota tamen placebunt iis, qui vitae valetudinique conſeruandae ſtudent.

---

GASTELIERS — *Abhandlung vom Frieſel etc.* i. e. GASTELLIERI de purpura puerperarum diſſert. quae praemium tulit a Facultate medica Pariſienſi, e Gall. verſ. in linguam theotiſcam. Manhemii ap. Schwan. 1782. 8. pag. 99.

Purpura puerperarum, etiamſi hodie rarior,

rior, longe recedit a vera purpura, ideoque non videbatur noua explicatione digna, praesertim cum in causa proxima mire varient atque disceptent inter se medici. Statuit ergo auctor, purpuram puerperarum a lacte retropulso oriri, febremque adiunctam esse symptomaticam, hinc eruptionem nequaquam criticam, symptomata ergo spectanda esse in curatione, non exanthematis formam, morbum esse perueterem, purpuram puerperarum simplicem s. benignam esse febrem lacteam protractam, et curari facillime victu et medicina frigida, interdum malignam putridam euadere, sequi eam tantum non semper puerperii purgationem suppressam vel impeditam, signa euentus esse ancipitia, eas potissimum afficere feminas, quae lactare recusant, vel laute viuunt, prorsum differre purpuram vtramque, colorem in purpura puerperarum varium nihil conferre ad morbi naturam mutandam, danda esse humectantia et putredini aduersa potus genera, alui lotiones serosas, tartarum emeticum saepius, sed parua dosi, rarius vinum et oxymel ad vitae vires concitandas, sudorifera esse fugienda, venaesectionem rarius requiri, ad diarrhoeam fetidam prodesse ipecacuanham, post purgationem aptam decoctionem corticis cum acido vi-

 trioli

trioli missam, incipientem abscessum lacteum euocare vesicantia, camphoram interdum mire proficuam, in primis vbi citanda videbatur eruptio, sub grauiditate prouidendum esse, ne talia post partum incommoda eueniant cet. Hanc itaque medendi viam septem morbi curati historiis comprobare annisus auctor est. Tanta ergo opera etiamsi superflua omnino non sit, tamen inutilis putanda est, quia, nisi tales exterorum libelli noua quaedam continent, vix video, quare transferantur. Germani enim nostri medici talia dudum nouerunt, fecerunt, descripserunt.

---

*Fragment eines Versuchs etc.* h. e. Symbolae de reuelatione mediata et immediata. Occasionem scribendi praebuit Berolinensis commentatio super origine cognitionis veri ac disciplinarum. Dessau. et Lips. ex officina eruditorum. pagg. 72. 8vo.

Per ignes se incedere doloso cineri suppositos, in titulo libelli lectores praemonet auctor anonymus. Eam, quae viuis debetur, reuerentiam promittit exhibetque scriptori Berolinensi, contra quem reuelationis diuinitus factae veritatem defendere sibi proposuit; non

non sine acumine disputans, et suaui vsus stilo, vt prorsus pari marte cum aduersario in arenam descendisse videatur. Quatenus religionis notitia Deo tribuenda sit, neque clare definiit, neque definiri patitur, vagiori reuelationis notione contentus. Quia tamen de Baillianis ac Silberschlagianis coniecturis, ad asserendam antediluuianis eximiam astronomiae cognitionem, sibi nondum persuaderi fatetur, in hominibus autem proxime ab Adamo oriundis experientiae longinquae vestigium apparere pernegat, cuius sententiae ex monumentis Mosaicis comprobandae diligentiam primariam commentationis dotem dixerim, vltro quidem aduersario concedit, paullatim proprio studio humanum genus peruenire potuisse ad tantum scientiae religiosae fastigium, quantum beate vitam acturis sufficeret; sed quoniam, vt ab ipso aduersario monstratum fuit, nimis lente hoc negotium procedere oportuerit, historicis autem rationibus pateat, cognitionem veri numinis (de immortalitate enim non constare) insedisse in mentibus Adamidarum, Deo hoc acceptum referri contendit, quod statim ad egregiam illam notitiam perducerentur primaeuorum animi, rebus externis fauentibus et conspirantibus ad excitandum pietatis sensum. Purio-

rem Christi doctrinam a Iudaismo, quem paruis vulgo inspirari conqueritur, reuocatam et loco ac temporibus accommodatam cupit cum S. Ven. TELLERO. Ex sola propagationis celeritate, quum aestuantis ingenii vis ne in originibus quidem christianis negari queat, diuinitatis veritatem perperam defendi obseruat. Neque etiam fraudis accusandum fuisse largitur, si quis, de generis humani aut populi salute solicitus, Deo auctori cum Numa tribuerit, quae a rebus diuinitus prospectis aut ab ingenio diuiniore profecta sint; quanquam in nostra sacra propter *historiam* satis explicitam et communem miraculorum vere patratorum fidem ac resurrectionis testimonia luculentissima talis suspicio neutiquam cadat. His itaque rationibus inductum, quantumuis sententiis aduersarii indulgere studuisset, sicuti omnino laxandam iamiam esse reuelationis notionem ex illius lectione sibi persuaserit, se non posse praedicat, quin religionis initia et successum tanquam *effectum Dei immediatum atque extraordinarium* venerabundus adoret. Aetatem patriarcharum vt contrahat, Mosen coniicit noluisse mancis genealogiis supplendis noua nomina confingere, at annos prudenter dispertiisse inter eos, quorum mentio ad suam memoriam peruenerit;

nerit; fortasse etiam ingenio populari prodigiorum amantiori obtemperasse; idque tanto fuisse conuenientius, quod inaudita Iudaeis non essent in Aegypto regna in millenos aut duodecies centenos annos protenta. Quare chronologiae sacrae veritatem constare, licet generationum longitudo dubia sit quam maxime. Nos, etsi aequum censemus, scrupulis philosophorum largiri tantum, quantum veritas permittit, auctorem ingeniosum sibi ipsi in isthac coniectura parum constare arbitrati sumus. Etenim si sola nomina dedisset historicus, adiecta sub finem supputatione annorum, iustum id ac rationibus et consuetudini genealogorum consentaneum foret, nomina tantum memorabiliora aut pro arbitrio selecta notari, annos temporis totos subiungi. Quum autem *historiae* singulorum anni vitae cuiusuis adscripti legantur; haud perspicimus, quomodo is, qui *historicis* argumentis plus tribuendum praedicauerat, quam *philosophicis coniecturis*, ideoque simulationem per se non turpem in primis christianismi assectis pernegauerat, et resurrectionis veritatem ex hoc capite vindicauerat, Mosi istam simulationem sine iniuria tribui putet, aut, si propter sapientes rationes mortuum ad vitam reuocari posse

posse profitetur, vitam propter rationes Deo dignas protendi non potuisse fingat.

V.

---

D. FRANZ DOMIN. HAEBERLINS *neueste Teutsche Reichsgeschichte;* h. e. Nouissimae imperii Germanici historiae — *Tomus XIII.* 1782. Halae ap. Gebauer. pagg. 590. praef. CXVI. octon. mai.

Continuatur historia regiminis Rudolphi secundi inde ab Augustanis comitiis a. 1582. vsque ad a. 1584. primordia. Maximam enim huius tomi partem (p. 1 - 438.) capit narratio de turbulentissimis consiliis et conatibus Electoris et Archiepiscopi Coloniensis *Gebhardi,* e domo Truchlessiorum, quem nimirum notum est, amore nefasto Agnetis, Comitis Mansfeldensis actum, instigatumque ab huius propinquis aliisque amicis euangelicae religioni addictis, legitimum ineundi matrimonium, euangelica sacra amplectendi et in episcopatum suum publice recipiendi, sicque et perturbandi omnem regiminis episcopalis formam et sibi plenam in terras sibi administrandas potestatem arrogandi, consilium cepisse, atque tam audaci coepto infinitis ciuium Romanensium, capituli maxime cathedralis

Colo-

Coloniensis, querelis et accusationibus, motibus ac turbis intestinis, bellisque cruentis et diuturnis occasionem dedisse, sibi ipsi vero multas magnasque calamitates contraxisse, ac denique, alio in eius locum surrogato Electore, dignitate sua priuatum, exsulem et extorrem patriae factum esse. Quarum quidem rerum omnium eo accuratiorem diductioremque historiam facere, operae pretium arbitratus est illustris auctor, quo magis in confesso est, turbas has Truchsessianas cum per se ipsas, tum vero propterea maxime dignas esse, quae ab origine sua, progressu et caussis plenius et explicatius, quam adhuc factum est, memoriae tradantur, quia primum exemplum offerunt ad effectum a Catholicis perducti *Reseruati ecclesiastici*, pace religiosa stabiliti, quod quidem ad ista vsque tempora a statibus imperii, qui sacra colebant euangelica, saepissime fuerat impugnatum. Praeterea monumenta et scripta authentica, e quibus haurienda erat interior harum rerum, et caussarum ab vtraque parte, quae inniçem pugnasset in illis dissidiis, expositarum cognitio, hodie fere oculis et vsui plerorumque se subtraxerant, vt peritum neminem et aequum arbitrum futurum esse credamus, quin auctori ob vbertatem istam suam, non dico ignoscat,

sed

sed gratias agat. Ceterum omnes sine dubio probabunt iudicium illud, quod de vniuerso isto negotio tulit historicus noster. Nimirum ex impuro fonte fluxisse istud repurgandae religionis publicae propositum, a Gebhardo initum, ideoque non potuisse non infelicissimo exitu esse censet. Porro etiam, re citra partium studium ponderata, iniuste pariter atque imprudenter egisse Gebhardum; iniuste. quod, contra tenorem legis, in pace religiosa sancitae, et capitulationis, ad quam, vt ad reliqua pacta et statuta territorialia ipse sollemni sacramento sese obstrinxerat, religionem catholicam deserere, simul vero archiepiscopatum suum retinere voluerit, quod quidem ferri aequo animo haud potuerit a collegio canonicorum et a Catholicis, cum praesertim plures iam episcopatus post pacem religiosam in iura concessissent Euangelicorum, adeoque Administrator archiepiscopatus Magdeburgensis, qui tunc temporis erat, in matrimonio viueret; imprudenter autem, 1) quod tamquam sacerdos rite inauguratus coniugium iniret, placitis religionis suae plane aduersum; 2) quod immemor esset eorum. quae accidissent vni praecessorum suorum, Hermanno, e Comitibus de Wied, quippe qui, propter intentatam (honestioribus de

causis)

causis) sacrorum in suis terris emendationem, dignitate episcopali exutus erat; 3) quod religioni *Reformatorum* se daret, quae tum odii multum inter Germanos habebat, necdum pacis religiosae beneficiis fruebatur; alioquin enim sperandum fuisset fore, vt non verbis modo, quod fecerunt, sed re ipsa illum sustentarent Electores Saxo et Brandenburgensis, quorum subsidia multo erant maiora illis, quae Iohannes Casimir, Comes Palatinus, praebebat; 4) quod inconsultius et vehementius omnia faceret tabularium electorale spoliaret et ecclesias, militum, quos parce alebat, perditis moribus atque pecuniarum exactionibus indulgeret, clericos matrimonia inire cogeret, et omnium inuidiam sibi pareret; 5) quod non repelleret initio statim suspicionem et rumorem, se religionem patriam in gratiam coniugii potius, quam ex conscientia, permutasse; et 6) quod nullam potentium aemulorum rationem haberet, noxiis illorum coeptis praeuenire studeret. Damnosissimas autem libertati et iuribus Germanici imperii has turbas fuisse iudicat auctor, quod illae occasionem dederint Gregorio XIII. P. M. immiscendi se rebus Germanicis et e suo tribunali pronunciandi de causa, quae ad Imperatorem potius et imperii status pertineret.

Rudol-

Rudolphum II. permisisse hoc Pontifici, ut ipse immunis esset ab indignatione Protestantium, eamque in aulam Romanam deuolueret. Nec tamen dici posse causam istam mere ecclesiasticam, quia Gebhardus non minus perderet Electoris et Principis Germanici, quam Archiepiscopi dignitatem. Denique obseruat, quamquam tunc, cum de Gebhardi transitu ad ecclesiam Protestantium disceptaretur, plures iam essent in Germania Episcopi, qui ad eamdem se contulissent, eorum tamen in scriptis apologeticis, quae vel ipse Gebhardus pro se, vel alii Euangelici Principes dedissent, numquam iniectam reperiri mentionem, nisi quod semel Iohannes Casimir ad isthaec exempla prouocasset, nullo tamen illorum nominatim adducto. Putat itaque, deliberato silentio praetermissa esse haec exempla, ne nimirum Catholici magis adhuc exasperarentur, et Episcopis illis molestia quaedam crearetur.

Cetera pars huius tomi consumitur aliorum negotiorum imperialium in re feudali, monetaria, camerali, hanseatica et comitiali, a. 1583 agitatorum recensu. Praecipue vero narrantur adhuc, quae circa calendarii Gregoriani receptionem, et receptionis huius effectus in terris mixtae religionis, actae fuerint

vtrim-

vtrimque in variis regionibus controuersiae et deliberationes; tum quae in Palatinatu, mortuo Electore Ludouico VI. ad introducendam confessionem Reformatorum tentata fuerint ab Administratore regiminis, Ludouici fratre, Iohanne Casimiro; deinde quid factum sit de comitatu Spiegelbergensi et Pyrmontano, mortuo coelibe Comite Philippo, etc. — In praefatione supplementa suppeditantur historiae comitiorum Augustanorum ex actis, quae serius peruenerant in manus auctoris, quam vt in elaborando tomo XII. potuisset in vsum conuertere.

---

*Medicinisches Wochenblatt etc.* i. e. Ephemerides Medicae in vsum Medicorum, Chirurgorum et Apothecariorum, auct. IO. IAC. REICHARD. Francof. ad Moenum.

Quotannis inde ab anno 1780. prodiit volumen docti et vtilis huius operis, in quo et iudicia de libris medicis, et obseruationes, et experimenta atque id genus alia scitu necessaria continentur. Cuius continuationem vbi in se suscepit Cl MÜLLER post REICHARDI obitum, tres huius anni partes accepimus, prioribus non absimiles, interdum superiores,

Sed quia tales libri eam ob causam indicendos putamus, vt sciant lectores, quorum haec scire interest, quousque res peruenerit, non attinet pluribus eum libellum commendare.

---

*Eine zuverl. Beschreib. von der Entzünd. des Magens etc.* i. e. Vera et accurata descriptio signorum et curationis gastritidis et enteritidis, auctore practico quodam medico. Ed. II. Hafniae 1781. 8. pagg. 106.

Priorem editionem non vidimus, alteram serius accepimus, ideoque breuiter nominandam putamus. Id potissimum sibi demonstrandum sumserat Cl. HENNINGS, primum quae sint vera et certa gastritidis et enteritidis signa, deinde quare interdum ista mala sine febre incidant, attamen cum dolore lancinante ac vrente copulata, denique quantum praestet eius medendi ratio cuique alii. Hinc putat A. neminem ante se naturam et curationem diri huius nouisse, quia signa inflammationis communia hic quaererent, et pessime fallerentur, certas inflammationis huius perfectae notas esse post praegressum horrorem dolorem plus minus insignem, vomitum, ructum et aluum adstrictum, at imperfectae notas esse tensionem vel pressuram

quan-

quandam in scrobiculo cordis, appetitum prostratum, frigus quoddam vniuersi corporis et obstructionem alui, causas esse abundantem et tenacem sanguinem, suppressos fluores, repressam materiam quandam subtilem, refrigerationes, exitum morbi esse ancipitem, et formam aliam in aliam transire posse, proxima viscera in sodalitatem venire, curationem denique, neglectam illam, vt A. videtur, ab omnibus medicis, in eo contineri, vt sanguis mittatur, donec vomitus et dolor vrens conquiescat, sine vllo febris respectu, camphora, cum nitro et liquore anod. copulata, propinetur, item decocta mucilaginosa, externe oleum camph. inungatur, interdum lintea calida superhabeantur, ad finem aluus leniter euacuetur, ad longam gastritidem plurimum prodesse mixturam, cuius partes erant liqu. anod. Spir. bez. Buss. et camph. posthaec pulueres e sulphure conflati. Haec etiam ad inflammationem pancreatis proficua esse auctor est, at in enteritide spectandum esse locum dolentem, constrictionem intestinorum, quae nec flatus, nec aluum exire sinat, murmura ventris nulla cet. Habes ergo, lector, nouum et admirabile HENNINGII inuentum; quod si nouum et inauditum est, quid tandem sit, nescimus. Sed male tulit iudi-

cium duri atque immitis critici, TODII, eique multis respondit, sed huius litis participes nec esse, nec aestimatores videri volumus. Viderint alii, quibus pectus triplici aere aduersus TODII calumnias munitum adest.

---

*Annalen der Baierischen Litteratur vom Jahr 1781.* — Annalium literaturae Bauaricae a. 1781. *Tom. II.* cum vita *Leonhardi ab Eck.* Norimb. in offic. Grattenauer. 1782.

De primo huius operis tomo diximus alibi. (Vol. I. pag. 408.) Laudem demerentur auctores magnam, quod perstant in illa iustitiae et παῤῥησίας regula, quam sibi scripserant in describendis rei literariae, vel librariae saltim, incrementis. Sed praecipuam ac duraturam vtilitatem commentariis suis conciliant inferendo relationes de antiquiore statu literarum in Bauaria, deque viris et scriptoribus, quos illa tulit olim quacumque de causa celebriores. Sic (pag. 1-152.) traditur historia eruditionis inter Bauaros a vetustissimo tempore vsque ad fundationem academiae scientiarum Monachiensis. (a. 1759.) Sed paullo ampliores de viris illustribus cuperemus relationes. Nec superfluum fuisset, patrias certe, illorum indi-

indicare, ne quis putet ſorte, qui inter Bauaros inclaruerunt, Bauaros natu eſſe omnes, quod potius de pauciſſimis tantum valet. — Ita Sturmius, (qui et Sturmio) primus Abbas Fuldenſis init. ſec. VIII. quem primum aetate inter omnes ſcriptores Boicos fuiſſe docemur, in Norico, Virgilius, epiſcopus Salisburgenſis eod. ſec. in Hibernia natus erat. De huius Virgilii philoſophia nimium magnifice loquitur auctor, quum, quae ſapientia inſit libro, quem *de Antipodibus* ſcripſit, vel deperdito vel inedito adhuc, ignoretur. De Ottone Friſingenſi vel in breuiſſimo compendio plura dicenda erant. Nomen *Gerhoi* falſo ſcribitur *Gerhohus*. In hiſtoriae literariae epitome dignum non erat relatu, Ludouicum Ducem, quum prima eſſet Ingolſtadii promotio doctoralis, non ſolum coenam opiparam dediſſe, *ſed etiam tubicines ſuos aulicos adeſſe iuſſiſſe*. Per totum obſeruamus, non aequum ſatis modum in delectu et in laudibus, quas diſtribuit, tenuiſſe auctorem. Vtilius autem, quam in ceteris periodis temporum, verſatus eſt in aeuo reformationis Mentio fit apoſtatarum quorumdam, qui Ingolſtadii vel ſacris vel academiae praefuerant, et quorum memoriam theologi Ingolſtadienſes in auditorio ſuo *inuerſo ſtemmate* ſeruarunt, vt *Ioh. Pettendorferi,*

*feri, Balth. Hubmeieri* etc. Iesuitas in academiam vocatos et duabus cathedris theologicis donatos esse docemur, hac adiecta clausula: *quamdiu se reipublicae vtiles exhibebunt.* Varia traduntur memorabilia de horum hominum artibus, studiis, inceptis, fraudibus. Idem auctor alias partes historiae patriae, et literariae quidem, in posterum tractabit; optandum quoque, vt promisso stet, quod dedit, commentaria concinnandi de instructissimis Bauariae bibliothecis. Sequuntur spicilegia historiae bonarum artium sub Maximiliano Iosepho; tum vero relationes de anno 1781. Horresco legens, Ingolstadii denuo regnare socios exstincti ordinis, atque tot vbique inimicos superesse bonae causae, tot barbariae pristinae patronos. Clarius hoc perspicere licet, nec sine taedio perspicitur ex iis, quae de scholarum superiorum et triuialium constitutione et de scriptis nouissimis referuntur. Interea volupe est etiam animaduertere, haud contemnenda ingenia multa subinde prodire et emergere. In fine adiecta vita LEONHARDI ECCII, Cancellarii et Iurisconsulti, famam consecuti egregiam tempore LVTHERI, cuius coeptis fortiter obstitit, nimis manca est et ieiuna. Ex rebus gestis, non ex honoribus, laudibus ac fortunis,

nis, virorum immortalium dignitas metienda est. Scripta viri ne verbo quidem attinguntur. VRBANI RHEGII ad IO. FABRVM epistola (in epistolis Erasmi, nr. 230. ed. Cler.) praetermittenda non erat auctori.

---

*Physical. und medic. Abhandlungen etc.* i. e. Academiae Regiae scientiarum Berolinensis dissertationes physicae et medicae, conuersae theotisce ex ling. lat. et gall. a L. C. MÜMLER. Gothae ap. Etting. 1781. *P. I.* pagg. 462. cum fig. *P. II.* pagg. 440.

*Abhandl. zur Naturgeschichte etc.* Dissertationes ad historiam naturalem, Chemiam, Anatomiam, Medicinam et Physicam spectantes, ex scriptis Instituti Bononiensis editae a NATH. GOTTFR. LESKE. Brandenburgi ap. Halle. *P. I.* 1781. pagg. 375. *P. II.* 1782. pagg. 378. c. fig.

Inuasit aliquo abhinc tempore furor quidam Germanos, vnumquemque librum in theotiscam linguam conferendi, quasi vero adeo facilius studiosis literarumque cupidis via aperienda sit, vt possint per quietem docti et sapientes fieri scilicet. Ab hac tamen lege immunes putamus eos, qui magna academia-

rum opera, saepius in bibliothecis ditiorum acquirenda, sibi vertenda sumunt at vero non sine delectu, idque fecerunt viri clarissimi, quos supra nominaui, magna cum accuratione. Hinc speramus, fore, vt ad finem perducantur feliciter. Argumenta vero et obseruationes hic relatas, quis est, qui a nobis enumerari cupiat? Notissima enim erant plurimis, sed ab vsu aliena. Vtantur ergo, quorumque libuerit.

---

*Compendium dialectorum Graecarum in vsum scholarum. Concinnauit* IOAN. FRIDER. FACIVS, Prof. extraord. gymnas. Casimir. Coburg. Norimb. sumtibus Grattenaueri. 1782. 8. X pl. c. dimid.

Carere poterunt secure hoc vel alio eius generis libello Graecae linguae studiosi, dum grammaticas institutiones satis bonas, quales v. c. sunt WELLERI, anno superiori iterum editae a Cl. FISCHERO, habeant, et in versandis scriptoribus Graecis consulant, vbi ad aliquam difficultatem ex dialecto minus vulgari natam inciderint. Nam hoc quidem non speramus auctorem compendii huius optasse, vt illud in scholis praelegatur a magistro

gistro et tironibus ediscendum commendetur, qui labor non modo nihil profuturus, verum etiam allaturus esset nauseam et taedium; sed, quamuis *in vsum scholarum* concinnatus esse libellus iste dicatur, tamen ad priuatos iuuenum vsus, quo habeant, vnde auxilium petant in legendis suo Marte scriptoribus, proxime spectare videtur. Et sane, quibus non est in promtu WELLERVS, HENNINIVS, vel alius bonus Grammaticus, illis non inutilis futura est haec Cl. FACII opera, siue aliquoties perlegant, vt formam ac rationem dialectorum quodammodo teneant, siue adeant libellum huncce, sicubi haeserint in lectione sua. Cui quidem vsui commode inseruit index alphabetica singularum vocum et formarum, quae in libro occurrunt. Diuersas enim formas Graecorum in pronunciandis, scribendis, flectendisque verbis diligenter notauit, secutus praecipue optimum ducem, MICHAEL. MAITTAIRIVM. Agit I. de dialecto Attica, II. Ionica, III. Dorica, IV. Aeolica, V. Poetica, quam ait *proprie* dialectum dici non posse; nos nec *improprie* sic dici debere putamus. Homerum vero, vt putat, non propria vsum esse dialecto, sed pluribus illo tempore communibus, nec tam docte discretis, nemo facile concesserit. Prae-

 stitisset

ſtitiſſet forſan, ſi auctor ſingulas has dialectos ſub vnum conſpectum redegiſſet, vt illarum et communis et peculiaris ratio cognoſci poſſet. — Accentus non eſſe expreſſos, in tali libro improbamus maxime. — Praeter illos ſcriptores de dialectis, quos auctor commendat, praecipue memorandus nobis videtur, quem vtilem vſu diuturno et lectiſſimis obſeruationibus inſtructum cognouimus, ANGELVS CANINIVS, Anglarenſis, cuius Ἑλληνισμὸς optime editus eſt a THOM. CRENIO, Lugd. B. 1700. 8.

---

*Entdeckung eines neuen Mittels an die Stelle der Chinarinde etc.* i. e. D. RVD. BVCHHAVE nouum medicamentum a ſe inuentum, quod non ſolum in ſebribus quotidianis, ſed etiam in aliis morbis loco corticis Peruuiani eſſe poteſt, ex lat. verſ. cum ſupplementis auctoris et notis D. IO. CLEM. TODII. Haſniae et Lipſ. ap. Fabrum et Nitſchke. 1782. 8. 164 pagg. c. fig. geum vrbanum repraeſentante.

Ecce, iterum Criſpinus, nouum medicamentum adferens ſcilicet! Geum vrbanum eſt, notum maioribus, relictum a iunioribus, ab obliuio-

obliuione vindicatum ab hoc inuentore. Ostendit certe obseruationibus 123. eius radicem habere vim febrifugam, experimentis vero vim antisepticam, adfert testimonia Cl. AASKOW, CALLISONII, LANGII, SCHOENHEYDERI, TODII, lamentatur de remedii specifici inefficacia, causam in mala collectione, siccatione ac praeparatione latere putat, et nouis obseruationibus extra omnem dubitationis aleam ponit, nihil ea radice potentius esse ad fugandas febres quotidianas, tertianas, quartanas, nec non ad morbos periodicos iugulandos, ad extinguendas febres malignas, ad neruorum distentionem, hysteriam, paralysin, tussim conuulsiuam, obstructionem alui, malam digestionem, diarrhoeam, dysenteriam persanandam Sed ohe, iam satis est. Medicina ista non specifica tantum, sed vniuersalis est. Quis est, qui post tot tamque praeclaras obseruationes dubitare amplius audeat? Versione tamen carere poterant ciues et medici nostri.

---

*Repertorium für biblische und morgenl. Litteratur etc.* i. e. Repertorium literaturae Biblicae et Orientalis *Pars XI.* Lipsiae ap. haer. Weidm. et Reich. pag. 282. 8.

Neque

Neque hic tomus ceteris, qui prodierunt, grauitate et dignitate cedit. Breuiter argumenta dissertationum eo contentarum perstringemus. I. IO. IAC. REISKII *epistolae de re nummaria Arabum*. pars III. qua Reiskianum de nummis Arabicis epistolarum commercium absoluitur. Commentatur in nummos nonnullos, quibus imagines incisae sunt, e seculis XII et XIII. Memorat etiam nummum, qui Hulagu Chan Muhamedanum praedicat, etsi plerique auctores Christianum eum fuisse contendunt. Index quorundam auctorum, qui de nummis Arabicis egerunt, adiicitur, sed multo prolixiorem et accuratiorem promisit cl. EICHHORNIVS in supplemento harum epistolarum. II. F. A. STROTHII *tentamen catalogi Mstorum versionis των O*. Pars tertia, qua codices enumerantur, qui singulos V. T. libros, praecipue Psalmos, continent. In his primus est antiquissimus Cottonianus, cuius collatio a GRABIO instituta et a cl. OWEN edita a. 1778 a STROTHIO non memoratur. III. H. H. CLVDIVS *de Indis in Asia minori*. 1 Macc. VIII, 8. affirmatur, Indiam Mediam Lydiam aliasque regiones, potestate Antiochi M. olim subiectas a Romanis Regi Pergami Eumeni donatas fuisse. Qui quidem locus

inter-

interpretes haud parum torsit. Quis enim vnquam de Media et India in *Asia* minori situs audiuit? Difficultatem tollere conatur auctor, dum ex Xenophonte et Plinio probat, circa amnem Indum in Cibyratarum iugis inter Cariam et Ciliciam gentem Indorum fuisse, quae vel ab amne nomen traxit, vel illud ei dedit. Mediam corrigit in Mysiam. Si WERNSDORFII doctissima commentatio de fide historica librorum Maccabaeorum auctori ad manus fuisset: dubiis quibusdam a WERNSDORFIO contra hanc solutionem suggestis fortasse respondisset. IV. O. G. TYCHSEN *disquisitio, num R. Saadias Haggaon auctor sit versionis Arabicae Pentateuchi Bibliorum Polyglotticorum.* Variis argumentis verisimile efficit cl. auctor, de cuius acumine et eruditione inter omnes constat, versionem Arabicam Pentateuchi codice Tritaplari Barberino contentam, quoad maximam partem, a Saadia Gaone confectam esse, eam vero quam Polyglotta sistunt, ab Abusaido Samaritano circa ann. C. 1070. vel elaboratam vel saltem emendatam esse. V. *In Canticum Canticorum;* illustrantur inde cap. IV, 8. quae supersunt cantici huius suauissimi. VI. IO. BERNARDI KOEHLERI *Obseruationes ad Elmacini Historiam Saracenicam* ab ipso

KOEH-

[illegible]

[illegible] ... Syra [illegible] agit. De- [illegible] ... Iuiis [illegible] ... Iuiis vero est fructus [illegible] et ligni. Fructum, [illegible] ... [illegible] est, [illegible] ipso [illegible].

VII. [illegible] *Eusebianae ex Syriaco lingua versa a* D. L. BRVNS. Syrus quidam, cuius nomen et aetas ignoratur, Eusebii Chronicon in compendium redegit: quod quidem compendium a BRVNSIO nostro in codice Bodleiano repertum Teutonica lingua cum eruditis communicatur, ut inde perspiciant quamnam rationem Syri in abbreviandis

uiandis et interpretandis Graecis scriptoribus, qui non sunt Biblici, sequi soleant. Syriacus Textus omissus est. Notulae, quae adsperguntur, collationem sistunt versionis Syriacae cum ipso textu Graeco Eusebii.

---

*Neue Bemerkungen und Erfahr. zur Bereicher. der Wundarzneykunst und Arzneygel.* i. e. IOH. CHR. ANTON. THEDEN Nouae obseruationes et experimenta in incrementum chirurgiae et medicinae. *T. II.* 1782. 8. pagg. 270. c. fig. trib.

Laeti ac hilares indicendum putamus huncce Cl. THEDENII librum, doctum et obseruationibus grauissimis plenum, vnde chirurgi ac medici plurimum vtilitatis capiant, at vero dolemus et nobiscum viri quique probi ac iusti rerum meritique arbitri, eum scriptum esse, vt agmen claudat. Tale enim consilium, ni fallimur, dura et improba TODII censura extorsit! Sed quis prudens insulsa et plebeia huius iatromastigis iudicia curet. Decurrat ergo vlterius THEDENIVS in studio, quamdiu fata iubebunt. Iam redeamus ad librum ipsum, capp. 33. constantem, quibus de hydro - et sarcocele, de trepano non temere

temere adhibendo. de diuerso exfoliationis tempore, de aneurysmate ligaturis persanando, de concussionibus earumque sequelis, de noua quadam tinctura antimonii, ceteris longe anteferenda, de palpitatione cordis ab obstructione hepatis oriunda, de incisuris cutaneis, de sugillationibus, de vulnere pectoris feliciter curato, de reductore HAGENII, de resina elastica, indeque parando cathetere, de machinis ad fracturas ossium aptis, de resina guaiaci et asa fetida debellandae podagrae ac rheumatismo vtilissima, de oleo asphalti et belladonna, de haemorrhoidibus vesicae mucosis, de anasarca vniuersali, de abscessibus lacteis, de noua panantii forma cet. agitur.

Lubet hinc potiora memorare. Trepanum in infantum laesionibus est remedium nec tutum, nec salubre, cui praeferenda sit rasura vitri ministerio, aneurysma verum et spurium ligatura et aqua vulneraria more auctoris peracta persanatur, tinctura antimonii, cum sale alcali et aceto vini concentrato parata, est saponaceae naturae, et glandularum obstructionem, dolorem arthriticum, cancrum occultum, scirrhosum testem et stomachum angustatum mirifice iuuat. Reductor HAGENII, Rauatoniano melior, in luxationibus et fracturis humeri et femoris mire profuit.

fuit. Ol. asphalti vomicas pulmonum varias, belladonnae vero folia, cum puluere rhei copulata, obstructionem viscerum, indurationem glandularum et scirrhos, scabiem, tineam, ophthalmiam a scabie retropulsa, atque veneream sustulerunt. Haemorrhoides vesicae mucosae gonorrhoeam mentiuntur, et post annum tricesimum fere sequuntur. In abscessibus lacteis crurum profundis braccae arcte constrictae, in iis, qui externa membra affligunt, lintea compressa. Panaritium ab resorbta materia purulenta ortum est, quae in tela cellulosa vsque ad caput musculi diffusa erat. Supersedemus, quae A. de ligaturarum vsu, de fugienda funiculi spermatici ligatura, de aqua frigida benefica, de dolore dentium ab immunditie, de vtero deficiente cet. literis consignauit. Figurae ostendunt machinam, fracturae sinistri femoris, forcipem polypo narium extrahendo, et machinae lacti attrahendo fabrefactam.

---

Ἡρωδιανου ἱϛοριων βιβλια ὀκτω. Herodiani historiarum libri VIII. recogniti et notis illustrati. Basileae ap. Ioh. Schweighäuser. 1782. I Alph. VII pl. 8.

Quis curam egerit huius editionis, plane

 igno-

ignoramus. At neque operae neque gloriae magnae laborem perfecit, quisquis est, quum tamen, si quis alius, is esset scriptor Herodianus, in cuius libris, turpiter sane deprauatis incuria librariorum et editorum ac satis diu temere neglectis, partim sanandis et expoliendis partim interpretandis vtiliter desudare atque meritum et decus praeclarum comparare sibi potuisset. Quam quidem opportunitatem adeo spreuit hic editor, vt plane securus et imparatus ad istum recognoscendi et illustrandi Herodiani laborem accessisse, ac mercenarii instar in illo versatus esse satis festinanter, videatur. Textum HENR. STEPHANI fideliter iterari curauit; emendationes eius et coniecturas ipsi textui temere inseruit fere omnes Reliqua omnia lectionis verae vel probabilioris explorandae praesidia, (vt. ZANETTI et BONGIOVANNI lectiones varias ad Herodianum e cod. mſ. bibliothecae S. Marci, alia) vel ignorauit vel neglexit. POLITIANI versionem addidit, quae tamen quum libera sit, vt in illa Herodianum agnoscere, STEPHANO iudice, ii demum possint, qui magnum in Graecae linguae cognitione progressum fecerunt, parum sane accommodata est ad consilium editoris, tironibus quam maxime gratum faciendi. Licet

tet enim scribat, se hanc versionem *pro verborum et sensus exigentia* paulo immutauisse; vix tamen vestigium aliquod immutationis comparando deprehendimus. Denique adiecit notulas quasdam STEPHANI, MEMMII, SYLBVRGII que. Recentiores enim alii, qui Herodiano illustrando cum fructu et laude operam dederunt, prorsum non innotuerunt homini. Exspectamus igitur adhuc Herodiani editionem, quam nuper pollicitus est Cl. IRMISCH.

---

Lugduni Batauorum prodierunt quidam libri anatomici, auctore Cl. SANDIFORT, iique commendatione dignissimi, quippe et naturam ad viuum exprimunt figurae nitidissimae, et lucida atque tersa oratione describuntur res. Sed lubet eos percensere ordine temporis, quo apparuerunt.

1. EDVARD. SANDIFORT, Prof. Anat. Tabulae intestini, L. B. ap. v. d. Eyk et Vygh. 1780. 4. c. figg. aen. quinque, 50 p.

Si verum est et experientia comprobatum, arduam, sed summe necessariam operam esse, suo quodque viscus loco et nexu demonstrandi et artificiose exprimendi, dubitari nullo modo potest, quin Cl. SANDIFORTVS

laudes et plausus proborum mereatur, dum descriptionem et situm intestini duodeni ad naturam quinque tabulis delineandum curabat. Nam et illud ab anteriori et posteriori, vacuo et pleno, integro et aperto ventriculo, sistit, et dextre describit. Hinc capite primo vniuerse refert situm decursumque duodeni, secundo praeparationes, iconi aptas, enarrat, tertio figuras explanat.

a. ED. SANDIFORT Icones herniae inguinalis congenitae L. B. ap. v. d. Eyk et Vygh 1781. 4. c. tabb. aen. quatuor, pagg. 31.

Est hernia congenita, si qua alia, curatiori anatomicorum inquisitione digna, quia inde magna operatori lux accenditur. Habet autem cl. SANDIFORT hoc veluti priuum atque proprium, vt figuris suis morbosum partium, situm exprimendum curaret, et herniae inguinalis congenitae descriptionem vberiorem e cadaueris sectione daret, in hac peritonaeum nequaquam, vt in reliquis formis, in saccum extendi, sed vbi elongata ipsius per anulum ex abdomine productio non concreuit, violenta pressione deorsum ferri omentum vel intestina, et testis membrana contineri ostenderet, inque eo causam latere doceret, quare, aperto sacco, nudus conspiciatur

testis.

ectis. Haec et alia plura huc spectantia docte vir cl. demonstrauit.

3. ED. SANDIFORT Descriptio musculorum hominis, L. B. ap. eosd. 1781. 4. pagg. 340.

Est ista musculorum historia magno cum labore ac studio conscripta ideo, vt haberent lectores aliquod compendium, tabulis ALBINI respondens. Quae opera quam dura et improba sit, ii auctori clarissimo facile credent, qui simili via ingressi sunt. Hinc vbique sequitur ALBINVM, ostendit, qua in tabula, et quid significarit, addit, quae EVSTACHIVS habet, interdum nec alios testes omittit, v. c. VALSALVAM, DVVERNOIVM, VESALIVM, SANTORINVM, COWPERVM, VERHEYENVM, CASSERIVM, idque potissimum in sectione prima, quae musculorum in singulis corporis regionibus enumerationem vniuerse complectitur, in sectione vero secunda singulatim omnes percenset, cum memoratione tabulae ALBINI vel EVSTACHII. Descriptio accurata et perfecta est, oratio, quoad eius fieri potest, pura, denique vsus breuiter dictus, hinc in certam spem ingredimur, fore, vt haec musculorum historia cuique anatomes studioso auro carior breui reputetur. Rari

omnia sunt communicati, qui tale opus doctum scribere vel possint, vel velint.

---

*Le Soleil adoré par les Taurisques sur le mont Simplon.* Dissertation de M. le Baron de ZURLAUBEN, Commandeur de l'Ordre Royal et militaire de S. Louis, Lieutenant-General des Armées du Roy etc. dediée à la Société Helvetique assemblée à Olten, le 15 May, 1782. Tiguri apud Orellium et socios. 1782. 4 mai. II pl. aen.

Perillustrem de veterum antiquitatum virorum et Musarum familiari colloquio inscriptum quam maxime aliis iam pluribus ingenii monumentis probavit auctor, licet Marti sua studia proprie addixerit. Docte explicat gemmam in museo Florentino servatam, et a Gorio descriptam, vel potius uberius illustrat observationes Gorii de hac gemma. (Gemm. antiq. T. II. tab. XIV. nr. I p. 36) Cavae in incisa est, paullo inelegantius, quam ut possit a Romano artifice profecta putari, sculpta figuram habens iuvenis capite radiato dextram exporrigentis, sinistra virgam tenentis, insistentis fundamento, quod sese extollit super montium prominentium anfractus;

ctus; ad dextrum latus legitur vox TAVPIC, ad ſiniſtrum apparet capra barbata, cornubus duobus acutis, verſus dextram procedens. *Solis* haec ſymbola eſſe, luculenter apparet, et ſimillima eſt figura ſtatuae Solis Rhodienſi. Vocem TAVPIC pro *Tauriſci* inſcriptam eſſe, more antiquo, Graecas literas in artificum operibus immiſcendi Latinis, ſtatuit Auctor. *Solem* vero ab antiquis Gallis adoratum eſſe, alia vetuſtatis documenta declarant. *Tauriſcos* autem, Gallicam origine, e Prouincia deductam, Heluetis vicinam in Alpibus gentem, quae et *Turicum*, vrbem, ſtruxiſſe dicitur, gemmam iſtam Florentinam *Soli* dedicaſſe, admodum eſt veriſimile. Nomen *Tauriſcorum* a voce Celtica *Taur*, quae *montem* ſignificat, deriuatur. Illis inter Alpes, quas incolebant, propria in primis ſedes fuit mons, qui iam ante Chriſtianae religionis initia, nomen *Gotthardt* geſſit, et qui ab antiquis ſcriptoribus *ſummae Alpes* vocari ſolet, quem vero medio aeuo Chriſtiani cognomini cuidam Sancto *Gotthardo*, epiſcopo Hildeſienſi, quem ſeculo XII. Innocentius II. P. R. canoniſauit, ſacrum fecerunt. Nomen vero illud, *Gotthard*, Celtico de fonte fluxit; *ardh* antiquis Britannis idem erat, quod Latinis *ſummus*; *Gotthardt* itaque vel *Deum ſummum* vel *locum*

KOEHLERO Latine conſcriptae. P. III. procedit a pag. 20. hiſtoriae Elmacini. Multa hiſtoriae et geographia capita his notis illuſtrantur. VII. *Hiſtoria naturalis Sycomori ex veterum Botanicorum monumentis et itinerariis conſcripta ab* HENRICO EHRENFRIED WARNEKROS, Latino idiomate conſcripta. Magna cum diligentia cl. auctor collegit, quae antiquiores ſcriptores et recentiores de hac arbore narrant. Significationem, orthographiam, nomina, genera Sycomori accurate indicat, item de regionibus, vbi reperitur Aegypto et Palaeſtina, Syria, Iapane agit. Deſcriptionem partium arboris ex HASSELQVISTO ſuppeditat, probatque ſycomorum e vero genere ficus eſſe, foliis tantum moro reſpondere. Vtilis vero eſt fructu, vmbra et ligno. Fructum, qui interioribus granis caret, magnitudine ficus atque dulcis et eſu iucundus eſt, non ramis ſed caudice ipſo fert. VIII. *Epitome Chronici Euſebiani ex Syriaca lingua verſa a* P. I. BRVNS. Syrus quidam, cuius nomen et aetas ignoratur, Euſebii Chronicon in compendium redegit: quod quidem compendium a BRVNSIO noſtro in codice Bodleiano repertum Teutonica lingua cum eruditis communicatur, vt inde perſpiciant quamnam rationem Syri in abbreuiandis

uiandis et interpretandis Graecis ſcriptoribus, qui non ſunt Biblici, ſequi ſoleant. Syriacus Textus omiſſus eſt. Notulae, quae adſperguntur, collationem ſiſtunt verſionis Syriacae cum ipſo textu Graeco Euſebii.

---

*Neue Bemerkungen und Erfahr. zur Bereicher. der Wundarzneykunſt und Arzneygel.* i. e. IOH. CHR. ANTON. THEDEN Nouae obſeruationes et experimenta in incrementum chirurgiae et medicinae. *T. II.* 1782. 8. pagg. 270. c. fig. trib.

Laeti ac hilares indicendum putamus huncce Cl. THEDENII librum, doctum et obſeruationibus grauiſſimis plenum, vnde chirurgi ac medici plurimum vtilitatis capiant, at vero dolemus et nobiscum viri quique probi ac iuſti rerum meritique arbitri, eum ſcriptum eſſe, vt agmen claudat. Tale enim conſilium, ni fallimur, dura et improba TODII cenſura extorſit! Sed quis prudens inſulſa et plebeia huius iatromaſtigis iudicia curet. Decurrat ergo vlterius THEDENIVS in ſtudio, quamdiu fata iubebunt. Iam redeamus ad librum ipſum, capp. 33. conſtantem, quibus de hydro- et ſarcocele, de trepano non temere

temere adhibendo. de diuerso exfoliationis tempore, de aneurysmate ligaturis persanando, de concussionibus earumque sequelis, de noua quadam tinctura antimonii, ceteris longe anteferenda, de palpitatione cordis ab obstructione hepatis oriunda, de incisuris cutaneis, de sugillationibus, de vulnere pectoris feliciter curato, de reductore HAGENII, de resina elastica, indeque parando cathetere, de machinis ad fracturas ossium aptis, de resina guaiaci et asa fetida debellandae podagrae ac rheumatismo vtilissima, de oleo asphalti et belladonna, de haemorrhoidibus vesicae mucosis, de anasarca vniuersali, de abscessibus lacteis, de noua panantii forma cet. agitur.

Lubet hinc potiora memorare. Trepanum in infantum laesionibus est remedium nec tutum, nec salubre, cui praeferenda sit rasura vitri ministerio, aneurysma verum et spurium ligatura et aqua vulneraria more auctoris peracta persanatur, tinctura antimonii, cum sale alcali et aceto vini concentrato parata, est saponaceae naturae, et glandularum obstructionem, dolorem arthriticum, cancrum occultum, scirrhosum testem et stomachum angustatum mirifice iuuat. Reductor HAGENII, Rauatoniano melior, in luxationibus et fracturis humeri et femoris mire profuit.

fuit. Ol. afphalti vomicas pulmonum varias, belladonnae vero folia, cum puluere rhei copulata, obftructionem vifcerum, indurationem glandularum et fcirrhos, fcabiem, tineam, ophthalmiam a fcabie retropulfa, atque veneream fuftulerunt. Haemorrhoides veficae mucofae gonorrhoeam mentiuntur, et poft annum tricefimum fere fequuntur. In abfceffibus lacteis crurum profundis braccae arcte conftrictae, in iis, qui externa membra affligunt, lintea compreffa. Panaritium ab reforbta materia purulenta ortum eft, quae in tela cellulofa vsque ad caput mufculi diffufa erat. Superfedemus, quae A. de ligaturarum vfu, de fugienda funiculi fpermatici ligatura, de aqua frigida benefica, de dolore dentium ab immunditie, de vtero deficiente cet. literis confignauit. Figurae oftendunt machinam, fracturae finiftri femoris, forcipem polypo narium extrahendo, et machinae lacti attrahendo fabrefactam.

---

Ἡρωδιανου ἱςοριων βιβλια ὀκτω. Herodiani hiftoriarum libri VIII. recogniti et notis illuftrati. Bafileae ap. Ioh. Schweighäufer. 1782. I Alph. VII pl. 8.

Quis curam egerit huius editionis, plane igno-

ignoramus. At neque operae neque gloriae magnae laborem perfecit, quisquis est, quum tamen, si quis alius, is esset scriptor Herodianus, in cuius libris, turpiter sane deprauatis incuria librariorum et editorum ac satis diu temere neglectis, partim sanandis et expoliendis partim interpretandis vtiliter desudare atque meritum et decus praeclarum comparare sibi potuisset. Quam quidem opportunitatem adeo spreuit hic editor, vt plane securus et imparatus ad istum recognoscendi et illustrandi Herodiani laborem accessisse, ac mercenarii instar in illo versatus esse satis festinanter, videatur. Textum HENR. STEPHANI fideliter iterari curauit; emendationes eius et coniecturas ipsi textui temere inseruit fere omnes Reliqua omnia lectionis verae vel probabilioris explorandae praesidia, (vt. ZANETTI et BONGIOVANNI lectiones varias ad Herodianum e cod. mſ. bibliothecae S. Marci, alia) vel ignorauit vel neglexit. POLITIANI versionem addidit, quae tamen quum libera sit, vt in illa Herodianum agnoscere, STEPHANO iudice, ii demum possint, qui magnum in Graecae linguae cognitione progressum fecerunt, parum sane accommodata est ad consilium editoris, tironibus quam maxime gratum faciendi. Licet

tet enim scribat, se hanc versionem *pro verborum et sensus exigentia* paulo immutauisse; vix tamen vestigium aliquod immutationis comparando deprehendimus. Denique adiecit notulas quasdam STEPHANI, MEMMII, SYLBVRGIIque. Recentiores enim alii, qui Herodiano illustrando cum fructu et laude operam dederunt, prorsum non innotuerunt homini. Exspectamus igitur adhuc Herodiani editionem, quam nuper pollicitus est Cl. IRMISCH.

---

Lugduni Batauorum prodierunt quidam libri anatomici, auctore Cl. SANDIFORT, iique commendatione dignissimi, quippe et naturam ad viuum exprimunt figurae nitidissimae, et lucida atque tersa oratione describuntur res. Sed lubet eos percensere ordine temporis, quo apparuerunt.

1. EDVARD. SANDIFORT, Prof. Anat. Tabulae intestini, L. B. ap. v. d. Eyk et Vygh. 1780. 4. c. figg. aen. quinque, 50 p.

Si verum est et experientia comprobatum, arduam, sed summe necessariam operam esse, suo quodque viscus loco et nexu demonstrandi et artificiose exprimendi, dubitari nullo modo potest, quin Cl. SANDIFORTVS

laudes et plausus proborum mereatur, dum descriptionem et situm intestini duodeni ad naturam quinque tabulis delineandum curabat. Nam et illud ab anteriori et posteriori, vacuo et pleno, integro et aperto ventriculo, sibi, et dextre describit. Hinc capite primo vniuerse refert situm decursumque duodeni, secundo praeparationes, icoui aptas, enarrat, tertio figuras explanat.

A. ED. SANDIFORT Icones herniae inguinalis congenitae L. B. ap. v. d. Eyk et Vygh 1781. 4. c. tabb. aen. quatuor, pagg. 32.

Est hernia congenita, si qua alia, curatiori anatomicorum inquisitione digna, quia inde magna operatori lux accenditur. Habet autem cl. SANDIFORT hoc veluti priuum atque proprium, vt figuris suis morbosum partium situm exprimendum curaret, et herniae inguinalis congenitae descriptionem vberiorem e cadaueris sectione daret, in hac peritonaeum nequaquam, vt in reliquis formis, in saccum extendi, sed vbi elongata ipsius per annulum ex abdomine productio non concreuit, vi aliena pressione deorsum ferri omentum vel intestina, et testis membrana contineri ostenderet, inque eo caussam latere doceret, quare, aperto sacco, nudus conspiciatur testis.

nectis. Haec et alia plura huc spectantia docte vir cl. demonstrauit.

3. ED. SANDIFORT Descriptio musculorum hominis, L. B. ap. eosd. 1781. 4. pagg. 340.

Est ista musculorum historia magno cum labore ac studio conscripta ideo, vt haberent lectores aliquod compendium, tabulis ALBINI respondens. Quae opera quam dura et improba sit, ii auctori clarissimo facile credent, qui simili via ingressi sunt. Hinc vbique sequitur ALBINVM, ostendit, qua in tabula, et quid significarit, addit, quae EVSTACHIVS habet, interdum nec alios testes omittit, v. c. VALSALVAM, DVVERNOIVM, VESALIVM, SANTORINVM, COWPERVM, VERHEYENVM, CASSERIVM, idque potissimum in sectione prima, quae musculorum in singulis corporis regionibus enumerationem vniuerse complectitur, in sectione vero secunda singulatim omnes percenset, cum memoratione tabulae ALBINI vel EVSTACHII. Descriptio accurata et perfecta est, oratio, quoad eius fieri potest, pura, denique vsus breuiter dictus, hinc in certam spem ingredimur, fore, vt haec musculorum historia cuique anatomes studioso auro carior breui reputetur. Rari

enim ſunt anatomici, qui tale opus doctum ſcribere vel poſſint, vel velint.

---

*Le Soleil, adoré par les Taurisques ſur le mont Gotthardt.* Diſſertation de M. le Baron de ZUR LAUBEN, Commandeur de l'Ordre Royal et militaire de S. Louis, Lieutenant-General des Armées du Roy etc. dediée a la Societé Helvetique, aſſembée à Olten, le 13 May, 1782. Turici apud Orellum et ſocios. 1782. 4 mai. II pl. c. dim.

Peritiſſimum ſe patriarum antiquitatum virum et Muſarum familiari conſortio innutritum quam maxime aliis iam pluribus ingenii monumentis probauit auctor, licet Marti ſua ſtudia proprie addixerit. Docte explicat gemmam in muſeo Florentino ſeruatam, et a GORIO deſcriptam, vel potius vberius illuſtrat obſeruationes GORII de hac gemma. (Gemm. antiqu. T. II. tab. XIV. nr. I. p. 36.) Cornela nimirum eſt, paullo inelegantius, quam vt poſſit a Romano artifice profecta putari, ſculpta, figuram habens iuuenis capite radiato, dextram exporrigentis, ſiniſtra virgam tenentis, inſiſtentis fundamento, quod ſeſe extollit ſuper montium prominentium anfractus;

ctus; ad dextrum latus legitur vox TAVPIC, ad finiftrum apparet capra barbata, cornubus duobus acutis, verfus dextram procedens. *Solis* haec fymbola effe, luculenter apparet, et fimillima eft figura ftatuae Solis Rhodienfi. Vocem TAVPIC pro *Taurifci* infcriptam effe, more antiquo, Graecas literas in artificum operibus immifcendi Latinis, ftatuit Auctor. *Solem* vero ab antiquis Gallis adoratum effe, alia vetuftatis documenta declarant. *Taurifcos* autem, Gallicam origine, e Prouincia deductam, Heluetis vicinam in Alpibus gentem, quae et *Turicum*, vrbem, ftruxiffe dicitur; gemmam iftam Florentinam *Soli* dedicaffe, admodum eft verifimile. Nomen *Taurifcorum* a voce Celtica *Taur*, quae *montem* fignificat, deriuatur. Illis inter Alpes, quas incolebant, propria in primis fedes fuit mons, qui iam ante Chriftianae religionis initia, nomen *Gotthardt* geffit, et qui ab antiquis fcriptoribus *fummae Alpes* vocari folet, quem vero medio aeuo Chriftiani cognomini cuidam Sancto *Gotthardo*, epifcopo Hildefienfi, quem feculo XII. Innocentius II. P. R. canonifauit, facrum fecerunt. Nomen vero illud, *Gotthard*, Celtico de fonte fluxit; *ardh* antiquis Britannis idem erat, quod Latinis *fummus*; *Gotthardt* itaque vel *Deum fummum* vel *locum*

*Dei summi adorationi sacratum* significat. Hinc igitur et *montes* illi in gemma Taurisca, et *Solis*, Dei summi, insignia. *Capra* autem, quae in eadem conspicitur, ex illo genere est, quod *alces* appellatur; harum enim Caesar (B. G. VI. 26.) *consimilem capris figuram esse* testatur. Incolae pagi *Vraniensis*, qui et ipsi a Tauriscis descendunt, et montis Gotthardt hodie Domini sunt, in armis suis adhuc habent *taurum ferum*, a quo et nomen *Vri* gerunt. *Vr* enim s. *Uren* antiquis Gallis et Germanis, et hodie adhuc Heluetiae regionum quarumdam incolis, *taurum* valet, sed genus tauri, quod Romani *vrum* vocarunt. Pari modo a Tauriscis, in Noricum et Pannoniam migrantibus, cognatum fere nomen nacta est *Stiriae marchionatus*, a voce Germanica *Stier*. SERVIVS autem (ad Virg. Georg. lib. II. c. 374.) *vros* dici *ἀπο των ὀρεων*, a montibus, ait, et in RVDBECKII Atlanticis *or, ur, urd* valere *loca salubria et rupibus obsita*, docemur. Apparet itaque, quam bene haec omnia conueniant secum. Vetustissima mentio, quam reperimus, *Vraniae*, vel *Vallis* seu *pagelli Vraniae* est e sec. XI. apud HERMANNVM Contractum, qui in chronico ad a. 732. narrat: *Eto, Augiae Abbas, a Theobaldo ob odium Caroli in Vraniam relegatus est*

*eft;* ita enim refcribit Auctor generofiffimus e codice Reichenauienfi eiusdem fere, qua vixit HERMANNVS, aetatis, qnum edita exempla omnia falfo habeant: *in Muraniam.*

Acceffit eruditis his obferuationibus, in quibus tamen de *Vraninfis pagi* originibus plura commemorantur, quam de *Sole Taurifcis adorato,* appendicula de infcriptione lapidari antiqua, cuius reliquias a fe primum detectas in oppido *Olten* ingeniofiffimus auctor integritati reftituere ftudet. Eft vero infcriptio fere talis: ...... AV GAIO NERONI VLTRA IVR.... VALL ROMAN INVII CEPTV SVP.. AN.. ISANI VLTINA... .... NAV STANTES POSVERVNT. Hoc ita fere auctor explet: *In memoriam* (vel etiam *Imperatori*) *Augufto Caio Neroni vltra Jurae* (vel *Juraffi*) *vallum Romanis inuii coeptum fupra Aram* (vel *Aram amnem*) *vicani Vltinatenfes nautae ftantes pofuerunt.* Neque fic tamen plane perfpicua eft mens infcriptionis, nifi quod documento eft antiquitatis vrbis *Olten,* eamque olim *Vltinam,* (vel *Vltinum* potius) appellatam effe oftendat. Alia quaedam huius vrbis memorabilia ex aeuo medio fcite illuftrantur.

---

*Vindiciae sacri generalis concilii Constantiensis*, queis Sessionum IV et V. authoritas oecumenica vindicatur. Pragae, apud Wolfg. Gerle. 1781. oct. VI pl.

Acta agit auctor ignotus, et a doctissimis theologis ecclesiae Romanae, Gallicanis praesertim, vt NATALE ALEXANDRO, BOSSVETO, aliis, iam decertatas lites renouat. Immodicos auctoritatis pontificiae cultores, notum est, robur sessionis IV et V. synodi Constantiensis, quarum decreto disertissime asserta est conciliis oecumenicis indiuisa potestas suprema in ecclesia, et ecclesiam vniuersalem repraesentandi dignitas, numquam non studuisse infringere, dum vel eleuarent catholicam auctoritatem concilii huius, vel decreta ibi de supremo concilii generalis honore promulgata pertinuisse tantum ad ista tempora fingerent, quibus nimirum schismate dilacerata esset ecclesia. Has igitur obiectiones, et, quibus illae fulciri solebant a BELLARMINO, SCHELLSTRATENIO, et huius familiae scriptoribus, argumenta percenset ac diluit auctor harum vindiciarum, solide quidem satis et accurate (nam haec res et per se luce meridiana clarior, et occupata iam est a doctissimis viris) sed nimis anxium se gerit causae confessae ac liquidae actorem,

vt

vt qui poterat vlterius progredi, et ſub imperio IOSEPHI *ſecundi* debebat etiam. Denique vero ſtilo non ſolum inuenuſto, ſed impuro et plane horrido vtitur.

---

Clariſſimi ac magnifici viri IOSEPHI STEPLING, in vniu. Pragenſi aa. ll. et philoſ. D. diſciplinar. mathem. et phyſic. Caeſareo-regii Praeſidis ac Directoris etc. *Literarum commercium eruditi cum primis argumenti.* Wratislauiae ſumpt. Guil. Theoph. Kornii. 1782. 8. pagg. 662.

Rarum eſt noſtro tempore, virorum doctorum epiſtolas amoebaeas de rebus ad literarum ſtudia ſpectantibus in lucem emitti. Quod cum olim ſaepius fieret, non parua inde incrementa lucratae ſunt variae eruditionis partes, et exſtiterunt ſimul ingenii, ſcientiaeque clariſſimorum virorum documenta, quaſi domeſtica et minime fallacia, quae cum fructu inſigni et voluptate magna verſarentur. Habent hae quoque epiſtolae a Cl. STEPLINGIO, et ad eumdem ſcriptae, has virtutes, quae illas cognitu lectuque dignas redditurae ſunt omnibus, qui hoc genus librorum adamant. In primis bene paſcentur illarum lectione quotquot artes mathematicas et phyſicas colunt,

ignoramus. At neque operae neque gloriae magnae laborem perfecit, quisquis est, quum tamen, si quis alius, is esset scriptor Herodianus, in cuius libris, turpiter sane deprauatis incuria librariorum et editorum ac satis diu temere neglectis, partim sanandis et expoliendis partim interpretandis vtiliter desudare atque meritum et decus praeclarum comparare sibi potuisset. Quam quidem opportunitatem adeo spreuit hic editor, vt plane securus et imparatus ad istum recognoscendi et illustrandi Herodiani laborem accessisse, ac mercenarii instar in illo versatus esse satis festinanter, videatur. Textum HENR. STEPHANI fideliter iterari curauit; emendationes eius et coniecturas ipsi textui temere inseruit fere omnes Reliqua omnia lectionis verae vel probabilioris explorandae praesidia, (vt. ZANETTI et BONGIOVANNI lectiones varias ad Herodianum e cod. mſ. bibliothecae S. Marci, alia) vel ignorauit vel neglexit. POLITIANI versionem addidit, quae tamen quum libera sit, vt in illa Herodianum agnoscere, STEPHANO iudice, ii demum possint, qui magnum in Graecae linguae cognitione progressum fecerunt, parum sane accommodata est ad consilium editoris, tironibus quam maxime gratum faciendi. Licet

cet enim scribat, se hanc versionem *pro verborum et sensus exigentia* paulo immutauisse; vix tamen vestigium aliquod immutationis comparando deprehendimus. Denique adiecit notulas quasdam STEPHANI, MEMMII, SYLBVRGII que. Recentiores enim alii, qui Herodiano illustrando cum fructu et laude operam dederunt, prorsum non innotuerunt homini. Exspectamus igitur adhuc Herodiani editionem, quam nuper pollicitus est Cl. IRMISCH.

---

Lugduni Batauorum prodierunt quidam libri anatomici, auctore Cl. SANDIFORT, iique commendatione dignissimi, quippe et naturam ad viuum exprimunt figurae nitidissimae, et lucida atque tersa oratione describuntur res. Sed lubet eos percensere ordine temporis, quo apparuerunt.

I. EDVARD. SANDIFORT, Prof. Anat. Tabulae intestini, L. B. ap. v. d. Eyk et Vygh. 1780. 4. c. figg. aen. quinque, 50 p.

Si verum est et experientia comprobatum, arduam, sed summe necessariam operam esse, suo quodque viscus loco et nexu demonstrandi et artificiose exprimendi, dubitari nullo modo potest, quin Cl. SANDIFORTVS

laudes et plausus proborum mereatur, dum descriptionem et situm intestini duodeni ad naturam quinque tabulis delineandum curabat. Nam et illud ab anteriori et posteriori, vacuo et pleno, integro et aperto ventriculo, sistit, et dextre describit. Hinc capite primo vniuerse refert situm decursumque duodeni, secundo praeparationes, iconi aptas, enarrat, tertio figuras explanat.

2. ED. SANDIFORT Icones herniae inguinalis congenitae L. B. ap. v. d. Eyk et Vygh 1781. 4. c. tabb. aen. quatuor, pagg. 31.

Est hernia congenita, si qua alia, curatiori anatomicorum inquisitione digna, quia inde magna operatori lux accenditur. Habet autem cl. SANDIFORT hoc veluti priuum atque proprium, vt figuris suis morbosum partium, situm exprimendum curaret, et herniae inguinalis congenitae descriptionem vberiorem e cadaueris sectione daret, in hac peritonaeum nequaquam, vt in reliquis formis, in saccum extendi, sed vbi elongata ipsius per anulum ex abdomine productio non concreuit, violenta pressione deorsum ferri omentum vel intestina, et testis membrana contineri ostenderet, inque eo causam latere doceret, quare, aperto sacco, nudus conspiciatur

testis.

nectis. Haec et alia plura huc spectantia docte vir cl. demonstrauit.

3. ED. SANDIFORT Descriptio musculorum hominis, L. B. ap. eosd. 1781. 4. pagg. 340.

Est ista musculorum historia magno cum labore ac studio conscripta ideo, vt haberent lectores aliquod compendium, tabulis ALBINI respondens. Quae opera quam dura et improba sit, ii auctori clarissimo facile credent, qui simili via ingressi sunt. Hinc vbique sequitur ALBINVM, ostendit, qua in tabula, et quid significarit, addit, quae EVSTACHIVS habet, interdum nec alios testes omittit, v. c. VALSALVAM, DVVERNOIVM, VESALIVM, SANTORINVM, COWPERVM, VERHEYENVM, CASSERIVM, idque potissimum in sectione prima, quae musculorum in singulis corporis regionibus enumerationem vniuerse complectitur, in sectione vero secunda singulatim omnes percenset, cum memoratione tabulae ALBINI vel EVSTACHII. Descriptio accurata et perfecta est, oratio, quoad eius fieri potest, pura, denique vsus breuiter dictus, hinc in certam spem ingredimur, fore, vt haec musculorum historia cuique anatomes studioso auro carior breui reputetur. Rari

enim ſunt anatomici, qui tale opus doctum ſcribere vel poſſint, vel velint.

---

*Le Soleil, adoré par les Taurisques ſur le mont Gotthardt.* Diſſertation de M. le Baron de ZUR LAUBEN, Commandeur de l'Ordre Royal et militaire de S. Louis, Lieutenant-General des Armées du Roy etc. dediée a la Societé Helvetique, aſſembée à Olten, le 13 May, 1782. Turici apud Orellum et ſocios. 1782. 4 mai. II pl. c. dim.

Peritiſſimum ſe patriarum antiquitatum virum et Muſarum familiari conſortio innutritum quam maxime aliis iam pluribus ingenii monumentis probauit auctor, licet Marti ſua ſtudia proprie addixerit. Docte explicat gemmam in muſeo Florentino ſeruatam, et a GORIO deſcriptam, vel potius vberius illuſtrat obſeruationes GORII de hac gemma. (Gemm. antiqu. T. II. tab. XIV. nr. I. p. 36.) Cornebla nimirum eſt, paullo inelegantius, quam vt poſſit a Romano artifice profecta putari, ſculpta, figuram habens iuuenis capite radiato, dextram exporrigentis, ſiniſtra virgam tenentis, inſiſtentis fundamento, quod ſeſe extollit ſuper montium prominentium anfractus;

ctus; ad dextrum latus legitur vox TAVPIC, ad finiftrum apparet capra barbata, cornubus duobus acutis, verfus dextram procedens. *Solis* haec fymbola effe, luculenter apparet, et fimillima eft figura ftatuae Solis Rhodienfi. Vocem TAVPIC pro *Taurifci* infcriptam effe, more antiquo, Graecas literas in artificum operibus immifcendi Latinis, ftatuit Auctor. *Solem* vero ab antiquis Gallis adoratum effe, alia vetuftatis documenta declarant. *Taurifcos* autem, Gallicam origine, e Prouincia deductam, Heluetis vicinam in Alpibus gentem, quae et *Turicum*, vrbem, ftruxiffe dicitur; gemmam iftam Florentinam *Soli* dedicaffe, admodum eft verifimile. Nomen *Taurifcorum* a voce Celtica *Taur*, quae *montem* fignificat, deriuatur. Illis inter Alpes, quas incolebant, propria in primis fedes fuit mons, qui iam ante Chriftianae religionis initia, nomen *Gotthardt* geffit, et qui ab antiquis fcriptoribus *fummae Alpes* vocari folet, quem vero medio aeuo Chriftiani cognomini cuidam Sancto *Gotthardo*, epifcopo Hildefienfi, quem feculo XII. Innocentius II. P. R. canonifauit, facrum fecerunt. Nomen vero illud, *Gotthard*, Celtico de fonte fluxit; *ardh* antiquis Britannis idem erat, quod Latinis *fummus*; *Gotthardt* itaque vel *Deum fummum* vel *locum*

*Dei summi adorationi sacratum* significat. Hinc igitur et *montes* illi in gemma Taurisca, et *Solis*, Dei summi, insignia. *Capra* autem, quae in eadem conspicitur, ex illo genere est, quod *alces* appellatur; harum enim Caesar (B. G. VI. 26.) *consimilem capris figuram esse* testatur. Incolae pagi *Vraniensis*, qui et ipsi a Tauriscis descendunt, et montis Gotthardt hodie Domini sunt, in armis suis adhuc habent *taurum ferum*, a quo et nomen *Vri* gerunt. *Vr* enim s. *Uren* antiquis Gallis et Germanis, et hodie adhuc Heluetiae regionum quarumdam incolis, *taurum* valet, sed genus tauri, quod Romani *vrum* vocarunt. Pari modo a Tauriscis, in Noricum et Pannoniam migrantibus, cognatum fere nomen nacta est *Stiriae marchionatus*, a voce Germanica *Stier*. SERVIVS autem (ad Virg. Georg. lib. II. c. 374.) *vros* dici *ἀπο των ὀρεων*, a montibus, ait, et in RVDBECKII Atlanticis *or, ur, urd* valere *loca salubria et rupibus obsita*, docemur. Apparet itaque, quam bene haec omnia conueniant secum. Vetustissima mentio, quam reperimus, *Vraniae*, vel *Vallis* seu *pagelli Vraniae* est e sec. XI. apud HERMANNVM Contractum, qui in chronico ad a. 732. narrat: *Eto, Augiae Abbas, a Theobaldo ob odium Caroli in Vraniam relegatus*

*est*

*eft*; ita enim refcribit Auctor generofiffimus e codice Reichenauienfi eiusdem fere, qua vixit HERMANNVS, aetatis, qnum edita exempla omnia falfo habeant: *in Muraniam.*

Acceffit eruditis his obferuationibus, in quibus tamen de *Vranienfis pagi* originibus plura commemorantur, quam de *Sole Taurifcis adorato*, appendicula de infcriptione lapidari antiqua, cuius reliquias a fe primum detectas in oppido *Olten* ingeniofiffimus auctor integritati reftituere ftudet. Eft vero infcriptio fere talis: ...... AV GAIO NERONI VLTRA IVR.... VALL ROMAN INVII CEPTV SVP.. AN .. ISANI VLTINA... .... NAV STANTES POSVERVNT. Hoc ita fere auctor explet: *In memoriam* (vel etiam *Imperatori*) *Augufto Caio Neroni vltra Iurae* (vel *Iuraffi*) *vallum Romanis inuii coeptum fupra Aram* (vel *Aram amnem*) *vicani Vltinatenfes nautae ftantes pofuerunt.* Neque fic tamen plane perfpicua eft mens infcriptionis, nifi quod documento eft antiquitatis vrbis *Olten*, eamque olim *Vltinam*, (vel *Vltinum* potius) appellatam effe oftendat. Alia quaedam huius vrbis memorabilia ex aeuo medio fcite illuftrantur.

---

*Vindiciae sacri generalis concilii Constantiensis,* queis Sessionum IV et V. authoritas oecumenica vindicatur. Pragae, apud Wolfg. Gerle. 1781. oct. VI pl.

Acta agit auctor ignotus, et a doctissimis theologis ecclesiae Romanae, Gallicanis praesertim, vt NATALE ALEXANDRO, BOSSVETO, aliis, iam decertatas lites renouat. Immodicos auctoritatis pontificiae cultores, notum est, robur sessionis IV et V. synodi Constantiensis, quarum decreto disertissime asserta est conciliis oecumenicis indiuisa potestas suprema in ecclesia, et ecclesiam vniuersalem repraesentandi dignitas, numquam non studuisse infringere, dum vel eleuarent catholicam auctoritatem concilii huius, vel decreta ibi de supremo concilii generalis honore promulgata pertinuisse tantum ad ista tempora fingerent, quibus nimirum schismate dilacerata esset ecclesia. Has igitur obiectiones, et, quibus illae fulciri solebant a BELLARMINO, SCHELLSTRATENIO, et huius familiae scriptoribus, argumenta percenset ac diluit auctor harum vindiciarum, solide quidem satis et accurate (nam haec res et per se luce meridiana clarior, et occupata iam est a doctissimis viris) sed nimis anxium se gerit causae confessae ac liquidae actorem,

vt

vt qui poterat vlterius progredi, et sub imperio IOSEPHI *secundi* debebat etiam. Denique vero stilo non solum inuenusto, sed impuro et plane horrido vtitur.

---

Clarissimi ac magnifici viri IOSEPHI STEPLING, in vniu. Pragensi aa. ll. et philos. D. disciplinar. mathem. et physic. Caesareo-regii Praesidis ac Directoris etc. *Literarum commercium eruditi cum primis argumenti.* Wratislauiae sumpt. Guil. Theoph. Kornii. 1782. 8. pagg. 662.

Rarum est nostro tempore, virorum doctorum epistolas amoebaeas de rebus ad literarum studia spectantibus in lucem emitti. Quod cum olim saepius fieret, non parua inde incrementa lucratae sunt variae eruditionis partes, et exstiterunt simul ingenii, scientiaeque clarissimorum virorum documenta, quasi domestica et minime fallacia, quae cum fructu insigni et voluptate magna versarentur. Habent hae quoque epistolae a Cl. STEPLINGIO, et ad eumdem scriptae, has virtutes, quae illas cognitu lectuque dignas redditurae sunt omnibus, qui hoc genus librorum adamant. In primis bene pascentur illarum lectione quotquot artes mathematicas et physicas co-

lunt.

leant, seu potius interius cognitas habent. Quamquam enim in multis etiam attinguntur quaestiones philosophicae, et theologicae; tamen illarum artium latissimo campo pleraque argumenta deducta sunt, quae tractantur, et de quibus suas obseruationes, iudicia, et inuenta secum communicarunt inuicem illi viri, quorum epistolae hac sylloge comprehenduntur. Sunt vero praeter STEPLINGIVM, nomina quaedam clarissima, vt WOLFII, EVLERI, NOLLETI, DELACALLII, BOSCOVICHII, HELLII, et aliorum, a quibus nihil vile, nihil ludicrum aut mediocre exspectare fas erat. Quo autem ad legendas has epistolas alliciantur, quibus illarum nondum est copia facta, argumenta quarumdam breuiter exponemus. Sunt vero CXI numero. In his nulla est, quae nihil contineat praeter officiosa alloquia et familiares amicorum sermones. Cum WOLFIO, cuius magni philosophi cogitata nemo hic sine admirationis quodam sensu perleget, primarius auctor huius commercii praecipue disserit de lege Leibnitiana virium viuarum, de viribus animarum, de recta tangente curuam in puncto, de systemate harmoniae praestabilitae, de peccato philosophico, de iustificatione hominis ex mente Protestantium et

Catho-

Catholicorum. Cum ESSERO, S.I. et Prof. Ingolstad. colloquitur de variis placitis philosophiae Wolfianae, de continuo et diuisibilitate continui. Ex HISSIO, S. I. et Prof. Ingolstad. quaerit, de sententiis CASSINI et FLAMSTEEDII circa stellae polaris latitudinem, accipit ab illo factam obseruationem Mercurii per discum solis transeuntis; recenset suam de fixarum parallaxi sententiam, proponit dubia contra synopsin anastromiae cometiae Halleianae, et hypothesin DE LA HIRII in computandis tabulis lunaribus etc. MAIRIVS laudatus, quod obseruationibus suis confirmetur systema NEWTONI, et rogatus, vt quid de adiunctis velocitatis cometae sentiat, exponat, differentiam cometae velocitatis compensatione opus non habere demonstrat, et de aliis rebus obseruata ac iudicia sua cum illo communicat. WENDLINGENIVS, S.I. et Indiarum geographus in aula Hispanica, refert de feruore Hispanorum in addiscenda mathesi, de Regis munificentia in comparandis instrumentis; viam in mari explorari neque per funiculum neque per acum magneticum tuto posse, agnoscit; conciliat inter se Hispanorum et Gallorum de figura telluris dissensum; ob inaequalitatem telescopiorum ex solis satellitum Iouis immersioni-

ſionibus et emerſionibus locorum latitudines vix accurate definiri poſſe, cenſet. Cum HVBERTIO, S. I. et Prof. Wirceburg. multa in primis per literas contulit de conſtruendis idoneis inſtrumentis variis, ſpeculo parabolico, quadrante et horologio aſtronomico, micrometro, machina planetarum ab HVBERTIO inuenta, et aliis. — Sed fere deſcribenda eſſent epiſtolarum omnium, in primis illarum argumenta, quas commutauit STEPLINGIVS cum NOLLETO, EVLERO, TESSANECKIO, BOSCOVICHIO, OESTERREICHERO etc. ſi quidquid vel maxime grauioris momenti ineſſet, delibare cuperemus. Rerum pondus compenſat ſtili ſimplicitatem, ſaepe et inelegantiam. In theologia, qui voluerint, cognoſcent STEPLINGVM acerrimum et inexorabilem fidei Catholicae propugnatorem aduerſus Proteſtantes.

---

*Anweiſung eines Adepti, hermetiſche Schriften nützlich zu leſen etc.* i. e. Iſagoge Adepti ad ſcripta hermetica rite intelligenda, notis inſtructa et typis commiſſa a Murario γνησιως libero. Lipſ. 1782. 8. pagg. 120.

Caueat,

Caueat, quaeso, cuicunque sanum sinciput est, ab huius libelli lectione: non solum enim ne hilum quidem confert ad melius intelligenda eiusmodi scripta, quae *hermetica* vocantur, quaeque a nonnullis magni nominis extolluntur chemicis; sed praeterea absurdissima continet, quae ei, quo viuimus, tempori, non exiguo dedecori sunt. Vt enim taceam afferta editoris perquam infrunita, (processus nimirum, ab optimis adeptis propositos, cum eadem quam nominarunt substantia, repetitos, minime cum illorum scriptis congruere; istos si sermone claro vti videantur, falsa proponere experimenta, vera autem aenigmatibus inuoluere:) auctor ipse, de lapidis sic dicti philosophici virtutibus loquens, certissime desipit. Hic enim vitrum non solum ductile, malleoque obtemperans reddit, crudos silices, ipsius impositione, in gemmas pretiosissimas conuertit, morbos insanabiles tollit, miracula sympathiae ope perpetrat, sed quoque ingenii dotibus eximiis stultos beat, praecipuumque ingrediens cuiusdam *naturae speculi* est, in quo, quidquid in sphaera ignis et aeris, aquae et terrae fit, quicquid cogitationum hominum in pectore reconditarum, est, quin etiam praeterita et futura ipsa, clare conspicienda sunt. Cui qui fidem suam spondere

dere poteſt, caput inſanabile eſt, nauigetque Anticyram.

---

*Magazin für die neue Hiſtorie und Geographie*; i. e. ANT. FREDER. BÜSCHINGII theſaurus rerum Hiſtoricarum et Geographicarum. *P. XVI.* cum fig. aeneis. Halae ap. viduam I. I. Curt, 1782. 4.

Quae de Polonia initio huius Tomi ſuppeditantur diſſertationes, inſignes ſunt, et maxime vtiles ad cognoſcendum ſtatum, potentiam, numerum incolarum, et diuitias, huius regni. Notitiae adeo accuratae et prolixae, quales hae ſnnt, a nemine antea in publicam lucem emiſſae fuerunt. Sequuntur deinde obſeruata circa rem militarem, quae cum editore aliquot abhinc annis communicatae ſunt, quorumque auctorem detegere non potuit. Diſſertationes ad Ruſſiam pertinentes etiamſi non omnino nouae ſunt, tamen hac forma et lingua huic Tomo inſeri merebantur. Prima ſiſtit narrationem de inuentis a Ruſſis factis in mari Aſiae et Americae interiacenti, auctore PALLAS, qua celeberrimi COXII, Angli, liber in compendium redactus eſt. Ex calendario Petropolitano-hiſtorico-geographico

phico anni 1782. theotisce versa est a HASIO. Versio conficiebatur, priusquam notum erat cl. BÜSCHINGIO ipsum PALLAS ex libello Coxiano eam particulam, quae res continebat in libris Germanicis nondum expositas, in usum Germanorum supplementis suis Borealibus inseruisse. Attamen non poenituit editorem, primum PALLASII opusculum in thesaurum suum intulisse. Altera commentatio MÜLLERI de gentibus, quae olim Russiam incoluerunt, theotisca lingua nondum prodierat. Tertia eodem MÜLLERO auctore de epistola agit, quam Ludouicus XIII. rex Galliae ad Tzar Michael Fedrowitch a. 1635. scripsisse dicitur. Quarta de constitutione imperii regnante Petro II. Quinta physicis et metereologis commendanda est. Continet frigoris descriptionem quod expertus est DEL'ISLE in Siberia, et MIDDLETON Anglus in America Septentrionali. Postrema descriptio ex transactionibus philosophicis desumta est. His dissertationibus de Russia tractantibus subiiciuntur documenta, quibus vita Comitis de Münich superioribus tomis fusius exposita emendatur et confirmatur. Constant vero haec epistolis ab ipso Comite ad patrem suum et Imperatricem Russorum Catharinam II., adiecta huius responsione,

scriptis, item literis a Rege Borussorum Friderico II. ad eundem datis. Rei statisticae Silesiae et Pommeraniae multum sine dubio lucis afferent tabulae illae, quae quinto loco huius Tomi exhibentur. Sexta pars sistit catalogum clericorum Sardiniae. Tandem 2 commentationes ad Sinensium res spectantes tomum hunc claudunt. Harum prima continet Amioti obseruationes super 3 census Sinensium, qui memorantur in sexto volumine *Memoires concernant l'histoire — des Chinois, à Paris* 1780. adiectis notis celeb. DE GVIGNES. Iudicat DE GVIGNES, Sinensium regnum nondum complecti 120 decies centena millia hominum. Haec licet commentatio iam in Diario Gallico *Journal des Scavans* comparuerit, epistola tamen Iesuitae I. F. GERBILLON ad Reu. FRANÇOIS DE LA CHAISE, Confessorem Regis Christianissimi a. 1689. nunc primum prodit. Interpretis tum munere fungebatur, missus ab Imperatore Sinensium ad legatos Russicos in Tartaria Orientali cum Sinensibus pacem sancituros. Varia narrat de negotio sibi demandato, missionariis etc.

---

Corollarium ad notitiam de libro cl. DE ROSSI, quam dedimus supra p. 389.

KENNICOTTVS ad cod. 150. monuit, somnium Mordecai ibi extare Chaldaice. Idem somnium inter contenta codicum 380 et 394 refert. Minus recte igitur cl. DE ROSSI l. c. p. 108. affirmat, ignotum esse, quinam codices extra Italiam additamenta haec libelli Esther referant. Multus est idem auctor in laudanda paraphrasi Chaldaica 1 Sam. VI, 19. quam in codice Pontificio inuenit; atque inde explicationem, quam dedit, huius loci vexatissimi tuetur. Ex codice 160. i. e. Erfurtensi primo, quem inter et pontificium cognationem intercedere ante suspicati sumus p. 392. similem paraphrasin, sed paulo pleniorem illa, quam exhibet codex pontificius, olim exscripsimus, his conceptam verbis: ומחא בשבי עמא שבעין גברא דאינון בקהלא כחמשין אלפא גברא *et percussit de senioribus populi LXX viros, qui erant in plebe tanquam quinquaginta millia virorum.* Codicis huius paraphrasis ab impressa saepenumero discedit, ideoque digna est, quae a viro harum literarum perito diligenter excutiatur.

---

## III. De libellis academicis et scholasticis.

Vpsaliae dissertationem chemicam *de terris Lithomargae* praeside TORB. BERGMANN ventilandam sistit C. D. HIERTA. (m. Iul. 1780. 4. pagg. 14.) Libellus paruae molis, sed magni ponderis ab ill. BERGMANN, chemicorum, ni fallimur, principe profectus suo iure praetereundus haud est. Quas subiecit examini cel. Vir, terrae argillaceae ad illud genus pertinent, quod perill. CRONSTEDTIVS (*Versuch ein Mineralog.* edit. cl. WERNERI Vol. I. P. I. pag. 190.) nomine *Lithomargae* insigniuit. Prima, cuius characteres externos, et mutationes, quas ab aqua, igne et acidis passa est, fusius describit ill. Auctor, *terrae lemniae* nomine nota est; eiusque centenarius terrae siliceae 47, 0, calcariae crudae 5, 4, magnesiae albae 6, 2, aluminosae 19, 0, martialis 5, 4. et partium aquosarum et volatilium 17, 0, continet. Pari ratione tractata terra fullonum, quam in monte *Osmund* in Dalia inueniunt, (*Schwed. Acad. Abh. Th. I. pag. 242.*) composita est e terrae siliceae 60, 0, calcariae 5, 7, magnesiae albae, 0, 5, aluminosae 11, 1, martialis 4, 7. et partium volatilium 18, 0. Tandem in alia terra fullonum, quam in Angliae illa regione, quae

*Hamp-*

*Hampshire* vocatur, effodiunt, analysi instituta detegit terrae siliceae 51, 8, calcariae 3, 3, magnesiae albae 0, 7 aluminosae 25, 0, martialis 3, 7, et quae igne auolant, 15, 5. Haec summa est experimentorum, quae cum hac lithomarga instituit cel. Vir, quaeque fusius describere limitum angustia prohibemur: sed tota in hac analysi perficienda, methodus adhibita quam maxime digna est, quae aliis exemplaris loco commendetur.

---

*Butstadii* Cl. SCHWABE, scholae oppidanae Rector, coepit nobiliora *Anacreontis* odaria serie programmatum illustrare, Germanico sermone. Initium fecit ab od. XXVIII, quam recte pulcherrimis adnumerat, et in qua poeta magnis laudibus celebratam artem Zeuxis, quidquid in pluribus gratiarum est venerumque in vnum congerendi, mirifice imitatus est. Praemissis obseruationibus quibusdam de hoc artificio poetae, duas versiones Theotiscas suppeditat, ac diiudicat. Deinde obseruationes circa singula verba et ornamenta orationis, rectamque lectionem, addit. Vers. 3. mauult cum aliis lectionem *κοιρανε* tueri pro *τυραννε*, sed causam affert minus idoneam, quia, si Anacreon *τυραννε* scri-

## III. De libellis academicis et scholasticis.

*Vpsaliae* dissertationem chemicam *de analysi lithomargae* praeside TORB. BERGMANN ventilandam sistit C. D. HIERTA. (m. Iul. 1782. 4. pagg. 14.) Libellus paruae molis, sed magni ponderis ab ill. BERGMANN, chemicorum, ni fallimur, principe profectus suo iure praetereundus haud est. Quas subiecit examini cel. Vir, terrae argillaceae ad illud genus pertinent, quod perill. CRONSTEDTIVS (*Versuch ein Mineralog.* edit. cl. WERNERI Vol. I. P. I. pag. 190.) nomine *lithomargae* insigniuit. Prima, cuius characteres externos, et mutationes, quas ab aqua, igne et acidis passa est, fusius describit ill. Auctor, *terrae lemniae* nomine nota est; eiusque centenarius terrae siliceae 47, 0, calcariae crudae 5, 4, magnesiae albae 6, 2, aluminosae 19, 0, martialis 5, 4. et partium aquosarum et volatilium 17, 0, continet. Pari ratione tractata terra fullonum, quam in monte *Osmund* in Dalia inueniunt, (*Schwed. Acad. Abh. Th. I. pag. 242.*) composita est e terrae siliceae 60, 0, calcariae 5, 7, magnesiae albae, 0, 5, aluminosae 11, 1, martialis 4, 7. et partium volatilium 18, 0. Tandem in alia terra fullonum, quam in Angliae illa regione, quae

*Hamp-*

*Hampshire* vocatur, effodiunt, analysi instituta detegit terrae siliceae 51, 8, calcariae 3, 3, magnesiae albae 0, 7 aluminosae 25, 0, martialis 3, 7, et quae igne auolant, 15, 5. Haec summa est experimentorum, quae cum hac lithomarga instituit cel. Vir, quaeque fusius describere limitum angustia prohibemur: sed tota in hac analysi perficienda, methodus adhibita quam maxime digna est, quae aliis exemplaris loco commendetur.

---

*Butstadii* Cl. SCHWABE, scholae oppidanae Rector, coepit nobiliora *Anacreontis* odaria serie programmatum illustrare, Germanico sermone. Initium fecit ab od. XXVIII, quam recte pulcherrimis adnumerat, et in qua poeta magnis laudibus celebratam artem Zeuxis, quidquid in pluribus gratiarum est venerumque in vnum congerendi, mirifice imitatus est. Praemissis obseruationibus quibusdam de hoc artificio poetae, duas versiones Theotiscas suppeditat, ac diiudicat. Deinde obseruationes circa singula verba et ornamenta orationis, rectamque lectionem, addit. Vers. 3. mauult cum aliis lectionem *κοιρανε* tueri pro *τυραννε*, sed causam affert minus idoneam, quia, si Anacreon *τυραννε* scri-

 psisset

pfiffet, librarius nemo pro hac voce vocem aliam, fine dubio fibi minus notam, κοιρανο repofiturus effet; quafi fcilicet librarii veteres cum pueris noftris prius latinum vocabulum *tyrannus*, quam Graecum κοιρανος didiciffe putandi fint. — Πορφυρος verf. 11. idem effe, quod μελας nolim vel propterea dici, quia verf. 7. alterum hoc verbum de re eadem occurrit; eft vero πορφυρ. epitheton *rei cuiusque nitentis fplendentisque*, quare de albo, nigro, rubroque colore aequo iure vfurpari confueuit.

---

*Lipfiae* m. Mart. h. a. diff. inauguralem theolog. habuit M. IO. GOTTLOB RICHTER, Paftor prim et Superint. Freybergenfis: *De Iacobo Schenkio in fcriptis fuis non Antinomo.* (pagg. 35. 4.) Minima parte libelli id egit, quod promittit titulus. Nam de Antinomorum errore primum praefatus eft fufius, quam opus erat. MOSHEMIVM lenius iufto putat de hoc errore fenfiffe, Antinomosque non modo Mofaicae legis inftitutionem, fed omnem omnino legis doctrinam, etiam a Chrifto perceptam, fpreuiffe, vt ad Iudaeos vnice pertinentem, quamquam, non omnium idem error fuerit, fed alii atrocius, alii

alii excuſatius peccauerint. Hinc latius iam exſpatiatur, et monet, noſtris etiam diebus eandem cantilenam repeti a quibusdam, vt a STEINBARTO, cuius de dignitate et vſu V. T. in diſciplina Chriſtiana ſententiam refutat. Deinde ad veteres Antinomos redit, et quomodo litem cum illis actam putat dirimi poſſe, explicat. Tandem ad SCHENKIVM ſuum defertur, in aula Henrici, Saxoniae ducis, Freybergenſi concionatorem et ſacrorum euangelicorum in hac ciuitate inſtauratorem, niſi primum, certe inter primos. Quae de illo ab aliis mandata ſunt memoriae, diligenter exſcripſit; at ſane non video, operae pretium fuiſſe diſquirere, vtrum homo hic, ſatis obſcurus, nec ſcriptis nec factis clarus, propter peſſimam et turbulentiſſimam indolem ab optimis quibusque Euangelicorum contemtus ac notatus (auctor vero noſter eum propterea dicit *immortalitate nominis donatum*) Antinomus fuerit nec ne. Auſim ſine librorum ab illo ſcriptorum notitia, ex rebus ab illo geſtis eum ἀντινομιας et ἀνομιας pertinaciſſimae conuincere. Auctor vero noſter pro vera et orthodoxa SCHENKII doctrina e duabus ſcriptiunculis eius inſtituit, breuem quidem ſatis, at nobis tamen longam nimis apologiam.

Lipsiae munus Professoris moral. et polit. auspicatus est Cl. IO. GEORG. ECCIVS, programmate, quo de vita Antecessoris in munere, b. HENR. GOTTLIEB FRANKII, eleganter disseruit. Natus erat a. 1705. educatus ab auunculo, ICto Vinariensi, Lipsiam missus a. 1724. praeceptores secutus egregios, Kappium, Ridigerum, Conradum, Riuinum, alios, literis historicis, philosophicis ac iuridicis bene instructus a. 1726 honorem Magistri, mox et Actuarii facult. philos. nactus est, scholas aperuit, et a. 1737 causas in foro agere coepit. Interea et scriptis praeclaris doctrinae suae fructum cum orbe erudito communicauit, (quae scripta velimus hoc libello enumerata) sed sero satis, anno nempe 1748, Professor iuris publ. isque extraord. appellatus est, cum stipendio C thalerorum, a. 1762 autem ordinarius moralium et polit. Professor. Neque post illud tempus, praeter mediocres huius muneris reditus, quidquam beneficii aut honoris academici habuit. Exemplo illum esse cupit Cl. ECCIVS viri ferreae diligentiae et constantiae, quem immensa prorsus lectione instructum in rebus historicis viuam bibliothecam appellares, qui omnes fere, omnium aetatum historicos perreptauerat. Talem vero virum ab exiguo auditorum numero

mero frequentatum esse, non mirum ait sibi videri amplius, postquam cognouerit, vulgus discentium nihil fere spectare et suspicere, nisi speciem sensus ferientem, orationis suauitatem et volubilitatem, ac nullo modo se putare proficere posse quidquam ab eo viro, qui moribus antiquam simplicitatem referret, vestitu incederet alieniore ab nostri seculi consuetudine, et cuius capillamentum proauorum nostrorum tempore confectum videretur. Haec vero omnia illum a recto cursu non auocasse, et fuisse omnino, qui eum amarent ornarentque viros doctissimos, multosque Principum amicos; immo Henricum Principem Schwarzburgico-Sondershusanum ei dignitatem Comitis Palatini Caesarei a. 1749 vltro concessisse. Animi eum integritate ac pietate insigni, frugalitate vero tanta fuisse, vt licet in re permediocri constitutus, tamen bibliothecam colligeret multo instructissimam, maxime in genere historico et iuridico. Ex huius bibliothecae venditione, quae pecunia fuisset coacta, eam philosophorum ordini legauit, vt ex foenore tum stipendia distribuerentur literarum studiosis, tum alia quoque legata certis personis quibusdam soluerentur. Obiit in coelibatu d. XIIII Sept. a. 1781 triduo

post magnum ERNESTIVM, narasino senili.

---

*Helmstadii* dissertationem medicam, *praecipua hydropi opposita remedia lustrantem*, pro gradu doctoris publice m. Augusto defendit FRIDERICVS FRANCISCVS LVDOVICVS BODE, Brunouicensis. (4. pagg. 31.) Cuicunque tot tamque diuersa effectu, planeque contraria ad hydropem curandum commendari remedia, mirum videatur, illi iure suo regerit exper. *auctor* morbum, cui tam multae sibique saepe oppositae caussae remotiores viam sternant, diuersam omnino medendi methodum postulare; hinc cautum remediorum congruorum delectum quam maxime requiri: quibus rationibus motus auctor huius argumenti materiam sibi sumsit, speciminis loco vberius pertractandam. Ad debellandum hydropem adhibita sunt in genere purgantia, diuretica, vomitoria, diaphoretica, resoluentia et saliuantia, inspissantia, roborantia, sopientia, antiseptica, emollientia, antiscorbutica; venaesectio, emissaria artefacta, et paracenthesis Hydragoga, vt radix, resinaque ialappae, scammonium, elaterium, gummigutta, colocynthis, gratiola, nonnisi in mali initio, corporis constitutione firmiori, viribus

viribus adhuc vigentibus adhibenda sunt. Longe tutius sunt mitiora, rheum, cremor tartari, tamarindi, senna, salia media nonnulla; quae omnia, minori porrecta dosi, copiosiorem simul vrinae excretionem cient; quaeque inter pilulae *Bacheri* et *Milmanni* methodus prae primis laudantur. Purgantibus in curando morbo diuretica palmam praeripiunt, quorum facile princeps scilla videtur, licet non ab omni vituperatione vacua, eique accedens colchicum: quae si aegri non ferant, tentanda sunt salia, acida alcalina et media, aliaque, vt baccae iuniperi, millepedum suicus, radix hellebori nigri, balsama natiua, interdum aquae soteriae. Vomitum excitantibus laudem quidem omnem non detrahit; sed maxime circumscribit: et emeticis refractiori dosi datis potius fauet. De fortioribus sudori feris dissuadet, eligens potius leniora; infusum florum arnicae sambuci, herbae scordii, ligni sassafras, guaiaci, iuniperi, vincetoxici, vinum antimoniatum cum opii tinctura, puluerem *Doueri*, spiritum *Minder.*, emetica refracta dosi, sulphur, camphoram, aethiopem antimonialem, similiaque, atque externa quaeque huius generis remedia non spernit. Humectantia et potum largiorem saepe salutaria censet; nec minus attenuantia,

vt

vt aromata varia, gummata ferulacea amara, salia alcalina etc. Mercurialia non semper, sed saepe prosunt; quin ad ipsam saliuationem continuata. In nimia humorum tenuitate incrassantia, victus siccior, lac, gelatinosa et mucilaginosa locum habent, vt et ea, quae nimiam aquae copiam corpore educunt. Magnae corporis laxitati medentur roborantia, cortex peruuianus, martialia vinum mercicum adstringens, frictiones, spirituosae fasciationes, corporis exercitationes. Opiata, spasmos doloresque tollendo, transspirationem promouendo iuuare etiam possunt; quod etiam de acidis, vegetabilibus et mineralibus, vt remediis antisepticis, valet; subinde etiam emollientia externe adhibita, inprimis inunctio oleosa conferunt. Antiscorbuticis locus est, si hydrops cum scorbuto complicatus est; et venaesectioni, si ortus est ab euacuationibus sanguineis suppressis, aut si illi plethora sociata est. Euacuatio aquae collectae per externa auxilia, vti vesicatoria, vstiones fontanellae setacea scarificationes, proficua quidem videntur; sed ob metuendam gangraenam circumspectione opus est. Quodsi aqua in corporis cauitatibus haereat, ad puncturam recurrere solent medici, quae si tempestiue instituatur, partesque nobiliores nondum ero-

sae

ſae ſint, non ſolum periculo vacat, atque leuamen affert; ſed etiam remediorum exhibendorum efficaciam, detracta nimirum aquae, viſcera vaſaque reſorbentia comprimentis, copia adiuuare valet. In fine tandem huius diſſertationis, ſingulari cum ſtudio conſcriptae, cl. auctor ſuadet, ortum a ſcabie retropreſſa dirum hydropem curare per materiei ſcabioſae inſitionem.

---

## IIII. Noua literaria.

*Moguntiae* primus ex Proteſtantium eccleſia Profeſſor publicus, diſciplinarum nempe oeconom. et cameralium denominatus eſt Cel. DE PFEIFFER, ampliſſimo ſtipendio, quod ipſe ſibi ſtipulatus erat permiſſu Electoris, donatus.

---

*Petropoli* iuſſu Imperatricis Ruſſorum Cl. PALLAS plantarum vtiliorum ac notabiliorum omnium, quae in imperio Ruſſico inueniuntur, deſcriptionem parat, figuris coloratis circiter DC illuſtrandam. Impenſas pretioſiſſimi huius operis ipſa praebebit Imperatrix, et exemplaria eius deinceps donabit, quibus volet.

---

Vit-

*Vitebergae* vir doctissimus, BENIAM. GOTTLIEB LAVRENT. BODEN, Poes. Professor, d. XX Nou. ex vitae huius miseriis tandem liberatus est, postquam totum abhinc annum tristi delirio egerat, in quod epilepsia tactus inciderat. Nondum aetatis annum quinquagesimum intrarat.

GEDICKE et BIESTER, viri celeberrimi, edere secum constituerunt, singulis mensibus anni proximi, scriptum populare, *Berlinische Monatsschrift,* quo comprehendentur, 1) noua ex toto scientiarum ambitu, quatenus etiam ab indoctis pernoscendus est; 2) relationes de gentibus earumque moribus, quocunque terram orbis angulo lateant; 3) obseruationes super conditione physica morali et ciuili hominum; 4) biographiae virorum minus celebritatis, quam par est, nactorum; 5) supplementa ad cognitionem linguae et literaturae Germanicae e temporibus veteribus et recentioribus; 6) versiones monumentorum necdum satis cognitorum antiquitatis; 7) excerpta ex raris scriptis exteris argumenti popularis; 8) miscellanea, etiam poemata. Fasciculi singuli constant 6 gr.

---

*Altorfii* nunc Prof. theol. ordin. accepit S. Reu. IVNGE, Pastor hucusque S. Helenae in

in territorio Norimbergensi, auctor libri: *Philosophische und theologische Aufsätze.*

---

*Berolini* celeberrimus NICOLAI descriptionem itineris, quod per Germaniam et Heluetiam a. 1781. fecit, in publicam lucem emittere parat. In bina priora volumina, proximis nundinis Lipsiensibus, vt spes est, proditura, soluitur vsque ad festum Paschatos 1783 vnus thal. decem gr.

---

*Goettingae* Hl. MICHAELIS editurus est *Analecta ad lexicon Hebraicum.*

---

*Dessauiae* Cl. BASEDOW nuper ad ecclesiae Reformatae communionem transiit.

---

# INDEX.

# ANNALES LITERARII.

## DECEMBER
## ANNI MDCCLXXXII.

### I. Anecdota.

*De fragmento Salluſtiano bibliothecae publicae Helmſtadienſis.*

Hoc fragmentum Salluſtii, quod tegmini libri neſcio quas quisquilias continentis in auerſa parte glutine affixum erat, licet Ciceronianum illud, cuius varias lectiones nuper dedimus, antiquitate fortaſſe non multum ſuperet: bonitate tamen et praeſtantia magnopere antecellit. Dolendum tantum eſt, exiguum eſſe ἀποσπασμάτιον, et incipere *ſed poſtquam in Hiſpania Hercules*, belli Iugurthini cap. XVIII. deſinere vero cap. XIX. *aliasque vrbes in ora maritima condidere. haeque.* Haec occupant folium aduerſum formae quam vulgo appellant quartam. Auerſum adeo arcte tegmini adhaeſerat, vt illinc nonniſi iactura dimidiae membranae auelli potuerit. Scripturae compendia frequentantur e. g. ſ̄

pro *sunt.* *P̄ns* pro *personae.* *S°* pro *sed.* *in̄sos* pro *immensos.* p̄ i. e. *prae.* q̄ pro *quia.* *g̃am* pro *gloriam.* q pro *quam.* ē pro *est.* *ẽt* pro *enim* Nuſpiam literae i punctum vel accentus imponitur. *Et* contrahitur in &. Litera e caudata est ę. Orthographiam codicis ex his exemplis pete: *affrica.* *temptantes.* *Getuli.* *Medi* *Kartaginem.* *libies.* *Phenices.* *haut.* Ea varias fragmenti lectiones, cum editione Cortiana collati. XVIII. 3. *multis quisque,* omisso *sibi.* 5. *magisque hi alveos.* 7. *sicuti miscuere.* 8. *quae illi mappalia vocant:* sic Fabrician. I. quem 700 annorum esse affirmat Cortius. 11. *nomine Numidiae.* ita codd. nonnulli, e quibus Fabric. I. Correctum videtur in *Numidae.* 12. *Deinde,* vt ceteri codices praeter Guelph. quartus, *cogere.* *Nomen obsessa est.* ita 2 codd. XIX. 1. *muniendae gratia* manifesto errore. *plebe et aliis.* Ita Fabrician. I. a prima manu, atque sic in textu editionis suae legendum esse monet Cortius ad calcem libri.

---

## II. De libris nouis.

*Neue Apologie etc.* h. e. Noua Apologia Apocalypseos Iohannis, auct. D. GOTT-

LOB CHRISTIANO, STORR. Tübingae ap. Heerbrandt. 1783. I Alph. et plagg. 3· 8vo.

In congerendis monumentis historicis diligentiam, in examinando pondere singulorum subtilitatem, vtramque reliquis ipsius scriptis iam satis testatam, his uindiciis, ad defendendam originem Apocalypseos diuinam et ab apostolo profectam compositis, egregie auctor doctissimus comprobasse nobis videtur ei, quisquis libero animo necdum praeiudicatis opinionibus imbuto ad lectionem accesserit. Ex Hartwigiana in primis Apologia, quam in animo maxime versatam titulus indicat, quae confirmandae Reuelationis auctoritati inseruire visa sunt ipsi, in vsus suos conuertit, ab interpretatione eius longe recedens. Neque tamen curam sibi praecipuam fuisse, in praefatione monet, difficillimi libri expositionem implicatam, sed veritatis defensionem se potissimum pro scopo habuisse. Itaque ostendit, Hieronymum, *veterum* scriptorum auctoritatem secutum, etsi Latinos suo tempore Epistolam ad Hebraeos, quia de auctore parum constiterit, scriptis canonicis (catalogum intelligeremus praelectionum publicarum, in quem etiam aliquid humanarum commentationum, quasi *post illa* legen-

dum, referri meminimus) non accessisse, Graecos autem *suo tempore* Apocalypsin non eadem libertate (haesitationem intelligimus, qualis in Eusebio apparet) suscipere dicat, hanc perinde atque illam tanquam *antiquitatis testimonio firmatas*, licet rabiem aduersariorum in vtraque ecclesia praeuiderit, recentiorum tergiuersationem in agnoscenda amborum αὐθεντίᾳ flocci pependisse. Eusebium ex mera haesitatione, (quae si valeret, Danielis quoque numeri XII, 11 sq. immo in loco ab ipso Christo grauissime approbato, cap. IX. dubitationem mouere debebant!) quia abusum tollere cupiuerit, ambigere, vtrum τοῖς ἀντιλεγομένοις, ad quam partem inclinat, an τοῖς ὁμολογουμένοις Apocalypsin adscriberet cum Dionysio suo; fortasse *et aliis* obscuri nominis, qui partes viri admirationem nacti sectarentur, vt opus non fuisset, Eusebium, *nonnullos* appellantem, subdolae fidei insimulari; idque tanto minus, quum ipsius Dionysii verbis modestum ac pium sensum, parum a LVTHERI nostri iudicio alienum, inesse cl. auctor monstrauerit. Interea ex his vestigiis anxii animi conspicuis colligi, Eusebium, quia *historicis* argumentis sententiam sibi arridentem *non* corroborauerit, talia omnino non reperisse; alioquin audacter,

dacter, saluo religiosiorum iudicio, eodem iure, quo reliqua scripta, quae pro diuinis habuerit, ad *ἀντιλεγόμενα* referre debuisse, nisi *antiquitus τοῖς ὁμολογουμένοις* accenseri omnis memoria comprobasset. Hinc, vel si Laodiceni concilii canon sexagesimus spurius inuentus non fuisset, ab odio Montanistarum, in canone octauo elucente, satis probabilem peti potuisse iudicii aduersi explicationem. Postea noua opinionum commenta, quibus fauere visa sit Apocalypsis, faciliorem apud recte sentientes viam fecisse dubitationibus, auctoritate Eusebii sustentatis. His argumentis tanto maiorem tribueremus fidem, quia saepius experti sumus, eos, qui criticis aut historicis rationibus, ad amputandum caput et caudam N. T. se non satis munitos esse sentirent, sicubi, etiam in medio codice, dicto euangelico aut epistolico opiniones suas refelli vidissent, suspectum sibi dicere nunc librum, nunc dicta singula. Tanti praeterea maioris momenti nobis videtur Apocalypseos defensio, quod ad penitius percipiendam vim locorum multorum in prophetis V. T. praestantissimi commentarii instar est. Hactenus diligentissimo historiarum scrutatori assentiti sumus lubentes. Quando autem ex mentione *tubae* 1 Cor. XV. (quam Paullus, nisi ex na-

tura et notione Imperatoris, ex verbis Chriſti Matth. XXIV, 31. petere potuit) lectam conii-cit et approbatam ab hoc Apocalypſin, non ſatis mentem eius a nobis capi fatemur. Tonitru enim, ni fallimur, diuini Imperatoris aduentantis aut redeuntis (Pſ. XLVII.) ſignum praebet; ſicut in anglico carmine:

*There, like a* trumpet, *loud and ſtrong,*
*Thy* thunder *ſhakes our coaſt;*
*While the red lightnings waue along,*
*The banners of thine hoſt.*

Et quanquam ipſi ex pleniori mentione *verbi* (vocis, vocabuli, nominis) *diuini,* Apoc. XIX, 13. coll. Ieſ. LXIII, 1. compar. LXII, 12. 11. ( יהוה ) in τῷ λόγῳ ΤΟΥ ΘΕΟΥ, tanquam ὀνόματι ὃ οὐδεὶς οἶδεν εἰ μὴ αὐτὸς, (ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος,) *plenius* enunciato, perſentiſcere nobis videmur originem atque aetatem compellationis *correptioris* τοῦ λόγου, τῷ השם Iudaeorum conſimillimae, et maioris aetatis Apocalypſi tribuendae veſtigium ſiue apud Clementem Alexandrinum, ſiue apud Tertullianum (nam ſchedulam memorialem perdidimus) aliquando animaduertere ſubobſcure meminimus, plus tamen in argumentis *Storrianis* defenſioni antiquitatis fragmenti Caio adſcripti, ad firmandam hypothe-

pothesin de lecta Paullo Apocalypsi sufficientis, tribuimus, quam fortuitae isti tubae mentioni. Verum vltra persequi non vacat librum accuratae doctrinae plenum, et ex nostro arbitrio in hac quaestione *classicum*. Tantum obiter desiderium exprimere nobis liceat, vt cl. HASSENCAMPIO ad recudendas, vel etiam *Repertorio* inserendas, *Annotationes* suas, (*Anmerkungen über die letzte Paragraphen des Herrn Hofr. Michaelis Einleitung in d. S. d. N. B. von I. M. H. Marb. 1767.*) propter nomen auctoris suppressum minus, quam dignae sunt, vulgo cognitas, easque a STORRIO subinde laudatas, animum apponere placeat.

V.

---

*Die Sündflath etc.* h. e. Contemplationes diluuii, ad illustrandam historiam naturae scriptae, auctore FRID. GVIL. SACK, a cons. aul. et criminal. Regis. Fert animus caussas tantarum expromere rerum! c. iconib. et mappa. Vratislauiae ap. Korn. 1782. 8vo. pagg. 114.

Decem contemplationibus tota commentatio absoluitur, qua, non sine ingenio sententiam Whistonianam emendare atque expolire

lire ſtuduit auctor huius libelli doctiſſimus. Etenim omnino indagandas eſſe monet cauſſas naturales, ſi vires earum ſuffecerint, antequam ad miraculoſum potentiae infinitae effectum in explicandis telluris noſtrae conuerſionibus ſatis manifeſtis confugiamus. Ex his, qui leges ac vires naturae conſuluiſſent, ſibi potiſſimum duos innotuiſſe, fatetur: BVRNETIVM, et WHISTONVM; illius commentum reiicit, huius hypotheſin corrigi poſſe putat. An etiam epiſtolas et Whiſtoniana longe probabiliorem explicationem diligentiſſimi DE LVC examinauerit, neſcimus; certe lectionis veſtigium non apparet; et mentionem exſpectaſſes. In eo autem cum hoc conſentit, quod ab interprete naturalium euentorum poſcit, vt hiſtoriam, et in quaeſtione quidem diluuii expedienda moſaicam, ſedulo perſequatur. Neue miremur, vnde monumenta fide digna atque integra ad Moſen peruenire potuerint, *diarium Noachi authenticum*, obſeruat, in accurata ſingulorum dierum notatione facile agnoſci: illud fortaſſe, hieroglyphicis ſignis conſcriptum, per Mizraimum ad Aegyptios perlatum et in templis ſeruatum fuiſſe. Nam *hieroglyphice* animaduertit exprimi *caeli feneſtris* imbres nubium ruptarum et *fontibus magnae abyſſi* alueos

neos erumpentis oceani penitus exinanitos. Locum praeterea Iob. XXXVIII, 8-11. (potius v. 13 sqq. considerasset,) non solum aliquoties in subsidium adhibuit, verum etiam *fascias* (quae nobis genituram primam poetice, vt Ps. XC, 2. adumbrare videntur) tanquam compressionis emblema interpretatur, et ipsam remoram ad impediendum atque obstruendum vndarum prorumpentium recessum obiectam in verbis laudatis deprehendi ait. Interea rigoris sanctissimae iustitiae inculcandi consilium, quamuis religiosiorem et vel culpatae iam a theologis longaeuitati antediluuianorum patrocinantem iurisconsultum inueniamus, aegre admittit, siquidem hortationibus piis concionatorum, numinis grauitatem euenti tremendi recordatione vrgentium, tribuere mauult, quidquid in enarratione historiae eo spectat. Origines telluris sic animo concipit, vt quasi sedimento ex atmosphaera praecipitato efformatum fingat globum terrestrem, primitus aqua opertum, incolis testaceis (fortasse per multa annorum millia) consitum, et vulcania materia refertum. Ab his primordiis initia descriptionis Mosaicae deducenda esse. Interea montibus supra vndam euehendis ignes vulcanios suffecisse; contraque ea cauernis ac voraginibus immensis,

 aqua

nihil apud Mosen inuenimus, sed decrescentem *paullatim* aquam, הלוך וחסור, VIII, 5. קלו v. 11. siccescentem terram, v. 13. agnoscimus; neque v. 3. verbum repetitum שוב vndam *eadem via* reuersam ostendit, sed adiectum מעל הארץ cum proximis הלוך et ויהסרו significat, *terram*, paullatim fracta vndarum vi, *rursus* siccescere coepisse, quacunque demum via, probabiliter septentrionem versus, terris subtus aqua et igne exesi ruinam patientibus, fluctus delapsi fuerint.) Itaque *cometam* Whistonianum, retro computata periodo 575 annorum Newtoniana, inde ab a. 1680. facile ad annum diluuii aptandum, etsi is non inundauerit tellurem, tamen aequatore suo (circa grad. fortasse lat. 80. long. 230,) insidere potuisse putat vertici telluris antarctico, vt, atmosphaera illius premente atmosphaeram nostram, non solum, alueis repente exhaustis, vim concentricam sentientibus aere et aqua intra cauernas ac voragines subterranea inclusis, totam vndarum eiacularetur molem, terras immersas, pondus praeterea leuante aqua salsa ac paludosa, secum rapturam, verum etiam rotationem globi nostri per aliquot dies inhiberet; quae fortassis caussa fuerit axis abhinc aliquantum inclinati. (nisi hanc inclinationem ob aeris temperiem

magis

magis aequabilem ab initio consulto ordinatam dixerimus.) Vectis anatomici per fluidum, lapidis manu iacti, plumbei globuli sclopeto aeris compressi pleno protrusi, vim, et celeritatem cometae motum globi tormento grandiore vibrati millies superantem, expendere iubet lectores; et huic forsitan *contusioni (Quetschung)* atmosphaerae dimidiae vehementer compressae (Noachumne simul in altera dimidia dicas contusione ista vna cum naue fuisse confractum?) aeris corruptionem et vitae abhinc breuioris culpam tribui posse coniicit. Isthoc conspectu lectionem libri curiosioribus commendare, propositum nobis fuit; quanquam, dum caussas producendis euentis sufficientes *intra atmosphaeram propriam* supersint, hospitis peregrini furoribus siue aduenam ipsum, a nostro globo fortius attrahendum, siue nostrum genus, tanta vi cito misere suffocandum, aegre exponeremus, neque tantas ruinas, donec nouae successerint rerum conuersiones, vnquam metuendas esse habitaculo nostro, numinis sapientiae infinitae tuti confidimus.

V.

---

*Gedenk- und Sittensprüche etc.* i. e. Sententiae ac praecepta moralia, paruis danda

strena-

tura et notione Imperatoris, ex verbis Christi Matth. XXIV, 31. petere potuit) lectam coniicit et approbatam ab hoc Apocalypsin, non satis mentem eius a nobis capi fatemur. Tonitru enim, ni fallimur, diuini Imperatoris aduentantis aut redeuntis (Ps. XLVII.) signum praebet; sicut in anglico carmine:

*There, like a* trumpet, *loud and strong,*
*Thy* thunder *shakes our coast;*
*While the red lightnings wave along,*
*The banners of thine host.*

Et quanquam ipsi ex pleniori mentione *verbi* (vocis, vocabuli, nominis) *diuini,* Apoc. XIX, 13. coll. Ies. LXIII, 1. compar. LXII, 12. 11. ( יהוה ) in τῷ λόγῳ ΤΟΥ ΘΕΟΥ, tanquam ὀνόματι ὃ οὐδεὶς οἶδεν εἰ μὴ αὐτὸς, (ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος,) *plenius* enunciato, persentiscere nobis videmur originem atque aetatem compellationis *correptioris* τοῦ λόγου, τῷ השם Iudaeorum consimillimae, et maioris aetatis Apocalypsi tribuendae vestigium siue apud Clementem Alexandrinum, siue apud Tertullianum (nam schedulam memorialem perdidimus) aliquando animaduertere subobscure meminimus, plus tamen in argumentis *Storrianis* defensioni antiquitatis fragmenti Caio adscripti, ad firmandam hypothe-

pothesin de lecta Paullo Apocalypsi sufficientis, tribuimus, quam fortuitae isti tubae mentioni. Verum vltra persequi non vacat librum accuratae doctrinae plenum, et ex nostro arbitrio in hac quaestione *classicum*. Tantum obiter desiderium exprimere nobis liceat, vt cl. HASSENCAMPIO ad recudendas, vel etiam *Repertorio* inserendas, *Annotationes* suas, (*Anmerkungen über die letzte Paragraphen des Herrn Hofr. Michaelis Einleitung in d. S. d. N. B. von I. M. H. Marb. 1767.*) propter nomen auctoris suppressum minus, quam dignae sunt, vulgo cognitas, easque a STORRIO subinde laudatas, animum apponere placeat.

V.

---

*Die Sündfluth etc.* h. e. Contemplationes diluuii, ad illustrandam historiam naturae scriptae, auctore FRID. GVIL. SACK, a consil. aul. et criminal. Regis. Fert animus caussas tantarum exprome- re rerum! c. iconib. et mappa. Vratislauiae ap. Korn. 1782. 8vo. pagg. 114.

Decem contemplationibus tota commentatio absoluitur, qua, non sine ingenio sententiam Whistonianam emendare atque expo-

lire studuit auctor huius libelli doctissimus. Etenim omnino indagandas esse monet caus- sas naturales, si vires earum suffecerint, ante- quam ad miraculosum potentiae infinitae ef- fectum in explicandis telluris nostrae conuer- sionibus satis manifestis confugiamus. Ex his, qui leges ac vires naturae consuluissent, sibi potissimum duos innotuisse, fatetur: BVRNE- TIVM, et WHISTONVM; illius commen- tum reiicit, huius hypothesin corrigi posse putat. An etiam epistolas et Whistoniana longe probabiliorem explicationem diligen- tissimi DE LVC examinauerit, nescimus; certe lectionis vestigium non apparet; et men- tionem exspectasses. In eo autem cum hoc consentit, quod ab interprete naturalium e- uentorum poscit, vt historiam, et in quae- stione quidem diluuii expedienda mosaicam, sedulo persequatur. Neue miremur, vnde monumenta fide digna atque integra ad Mo- sen peruenire potuerint, *diarium Noachi au- thenticum*, obseruat, in accurata singulorum dierum notatione facile agnosci: illud fortas- se, hieroglyphicis signis conscriptum, per Mizraimum ad Aegyptios perlatum et in tem- plis seruatum fuisse. Nam *hieroglyphice* a- nimaduertit exprimi *caeli fenestris* imbres nu- bium ruptarum et *fontibus magnae abyssi* al-

ueos

neos erumpentis oceani penitus exinanitos. Locum praeterea Iob. XXXVIII, 8-11. (potius v. 13 sqq. considerasset,) non solum aliquoties in subsidium adhibuit, verum etiam *fascias* (quae nobis genituram primam poetice, vt Ps. XC, 2. adumbrare videntur) tanquam compressionis emblema interpretatur, et ipsam remoram ad impediendum atque obstruendum vndarum prorumpentium recessum obiectam in verbis laudatis deprehendi ait. Interea rigoris sanctissimae iustitiae inculcandi consilium, quamuis religiosiorem et vel culpatae iam a theologis longaeuitati antediluuianorum patrocinantem iurisconsultum inueniamus, aegre admittit, siquidem hortationibus piis concionatorum, numinis grauitatem euenti tremendi recordatione vrgentium, tribuere mauult, quidquid in enarratione historiae eo spectat. Origines telluris sic animo concipit, vt quasi sedimento ex atmosphaera praecipitato efformatum fingat globum terrestrem, primitus aqua opertum, incolis testaceis (fortasse per multa annorum millia) consitum, et vulcania materia refertum. Ab his primordiis initia descriptionis Mosaicae deducenda esse. Interea montibus supra vndam euehendis ignes vulcanios suffecisse; contraque ea cauernis ac voraginibus immensis,

aqua et aëre abhinc implendis, in imis visceribus globi locum dedisse terras ac montes in altum protrusos. Terram, cometis eatenus similem, primum, quum propter soles aestiferos, materiam ignium ad feruorem excitantes, tum propter rotationis vehementiam rapidiorem, attolli et fluctibus nudari debuisse primum sub aequatore. Iam vero huic suae hypothesi aduersam esse obseruat speciem telluris, qualis nunc est; nam si in quatuor partes globum cogitando diuidamus, haemisphaerio septentrionali circiter tres earum, australi nonnisi vnam, aequatori autem in primis minimam partem competere. Sicut autem vastationis violentae inundationumque vestigia luculenta (quibus figuram cuneatam accenset) antarcticae regiones praeferant, spoliique ab austro aduecti rudera innumera, elephantorum, rhinocerotum, hippopotamorum, crocodilorum fragmenta, (vbi dentes ex Siberia aduectos 400 libris graues typographo, in aliis etiam numeris negligentiori, attribuimus,) sub arcto supersint, (cuius rei documenta maxime verbis BVFFONII commemorat,) ita tribus potissimum exemplis commonstrari, *terras in haemisphaerium boreale cum animalibus repente obrutis inde ab austro quasi subuolutas fuisse.* Nempe monocerotem,

tem, prope Quedlinburgum, referente LEIBNITIO in Protogaea, repertum, ſtantem armis, poſticis pedibus depreſſum; Elephantum Burgtonna Thuringum, cui, teſte TENZELIO, mercator diu in India commoratus, ex dentibus iudicans, ducentorum circiter annorum aetatem tribuiſſet, aperte ſuppreſſum; oſſea cadauera grandia ſex, a KROGHONIO in Canada ad ripam ſalſi fluuii detecta, corporibus erectis ſepulta: certo prodere ruinam, quae ſub calida plaga beſtiis adhuc viuis contigerit. Talem igitur *vim* tantamque (ni fallimur, ex coniunctis aquarum, igniumque, et aeris a calore expanſi, viribus, ac terrae motibus per menſes complures vehementius continuatis, ab auſtro paullatim ſeptentrionem verſus prouoluta tempeſtate, animo concipiendam) vulcaniis furoribus (de quibus an HAMILTONEM conſuluerit, ignoramus) tribui ideo non poſſe contendit, quia terrae quidem ſublationem in altum, (transuectionem etiam, crederemus, etſi non ſubitaneam, tamen lentius prouolutis ruderibus natantibus,) neutiquam vero tantam inundationem, qua *alueos oceani penitus exhauſtos* imaginatur, excitaſſent. Neque commode *refluxum* vndarum ex illa cauſſa explicari. (Nos de *refluxu,* quantum memoria ſuggerit,

nihil

nihil apud Mosen inuenimus, sed decrescentem *paullatim* aquam, הלוך וחסור, VIII, 5. קלו v. 11. siccescentem terram, v. 13. agnoscimus; neque v. 3. verbum repetitum שוב vndam *eadem via* reuersam ostendit, sed adiectum מעל הארץ cum proximis הלוך et ויחסרו significat, *terram*, paullatim fracta vndarum vi, *rursus* siccescere coepisse, quacunque demum via, probabiliter septentrionem versus, terris subtus aqua et igne exesi ruinam patientibus, fluctus delapsi fuerint.) Itaque *cometam* Whistonianum, retro computata periodo 575 annorum Newtoniana, inde ab a. 1680. facile ad annum diluuii aptandum, etsi is non inundauerit tellurem, tamen aequatore suo (circa grad. fortasse lat. 80. long. 230.) insidere potuisse putat vertici telluris antarctico, vt, atmosphaera illius premente atmosphaeram nostram, non solum, alueis repente exhaustis, vim concentricam sentientibus aere et aqua intra cauernas ac voragines subterranea inclusis, totam vndarum eiacularetur molem, terras immersas, pondus praeterea leuante aqua salsa ac paludosa, secum rapturam, verum etiam rotationem globi nostri per aliquot dies inhiberet; quae fortassis caussa fuerit axis abhinc aliquantum inclinati. (nisi hanc inclinationem ob aeris temperiem magis

magis aequabilem ab initio consulto ordinatam diximus.) Vectis anatomici per fluidum, lapidis manu iacti, plumbei globuli sclopeto aeris compressi pleno protrusi, vim, et celeritatem cometae motum globi tormento grandiore vibrati millies superantem, expendere iubet lectores; et huic forsitan *contusioni (Quetschung)* atmosphaerae dimidiae vehementer compressae (Noachumne simul in altera dimidia dicas contusione ista vna cum naue fuisse confractum?) aeris corruptionem et vitae abhinc breuioris culpam tribui posse coniicit. Isthoc conspectu lectionem libri curiosioribus commendare, propositum nobis fuit; quanquam, dum caussas producendis euentis sufficientes *intra atmosphaeram propriam* supersint, hospitis peregrini furoribus siue aduenam ipsum, a nostro globo fortius attrahendum, siue nostrum genus, tanta vi cito misere suffocandum, aegre exponeremus, neque tantas ruinas, donec nouae successerint rerum conuersiones, vnquam metuendas esse habitaculo nostro, numinis sapientiae infinitae tuti confidimus.

V.

---

*Gedenk- und Sittensprüche etc.* i. e. Sententiae ac praecepta moralia, paruis danda

strena-

ſtrenarum nomine. Berolini et Stetini ſine die et conſule, plagg. 5. form. min. 8vo. ap. Frid. Nicolai.

Quaſi *libelli moralis Campiani ſupplementum*, vt in titulo vocantur, gratiam ſibi parentum conciliabunt pagellae iſtae. Conſilium, quale nuper etiam cl. WILLIVS in edenda *Ethices prouerbiis Germanorum expreſſa* tentauerat, in vniuerſum non diſplicet; et inſunt huic opuſculo auctoris incerti multa paruis admodum vtilia futura, (ex SALOMONE quoque, PAVLLO, GELLERTO,) quamquam etiam alia nimis vulgaria, nec ſatis eleganter dicta. Interea commendandus erit libellus iis potiſſimum, qui, adhibitis *Campiano libro ac primis lineis Reſewitzianis*, (*Grundſätze der Tugend- und Klugheitslehre,*) ludimagiſtros futuros in ſcribendo et concipiendis cogitatis ſuis de rebus ad mores ac vitam pertinentibus exercere voluerint. Editor, qui nobis cl. NICOLAI eſſe videtur, in praefatione de *vi ſententiarum* ad ſenſum honeſti tenellis animis informandum rectum pronuntiat iudicium; hoc vnum addere placet, vim illam *ex conſcientia diuinae auctoritatis*, quomodo in ſcholis vulgo ſententiae biblicae inculcari ſolent diſcipulis, mirum quantum adaugeri.

---

Sonder-

*Sonderbare Geschichte etc.* i. e. PIGATTI memorabilia ex vita IOH. BAPT. NEGRETTI noct-ambulonis, ab Ital. conuers. *rell.* Norimbergae in offic. Bauer. et Bischoff. plagg. 3. 8vo.

Indicamus plagulas, quibus praestantiores libri cognoscuntur ac leguntur, (ex minus notis nominabimus *Muratori della forza della fantasia umana,*) tum, quia singula exempla huius generis consideratione digna sunt, tum maxime propter carmen appendicis loco annexum et ad *obseruationes psychologicas memorabiliores* referendum; siquidem strophas ternas, quas apponere decreuimus, per somnum scripsisse fertur studiosus Lips. mens. Mai. a. 1776. Fingitur, hinc diues abundantia rerum plenissima male fruens, illinc alius, rurali felicitate perquam beatus:

*Doch — — wies nun ewig kam? — Der Mann*
*War nimmer recht zufrieden.*
*Mit kalten Blicken sah ers an,*
*Wenn seine Gärten blühten;*
*Oft bey dem schmelzendsten Concert*
*Fand man ihn herzlich gähnen*
*Und bey der Tafel stochert er*
*Vor Ueberdruß in Zähnen.*

*Auf*

*Auf seiner kleinen Meyerey,*
*Nicht ferne von dem Reichen,*
*Sah Damon unbemerkt und frey*
*Dahin sein Leben schleichen.*
*Hier fand man nicht Tapezerey'n,*
*Kein schimmernd Haußgeräthe;*
*Sein Tafelzimmer war der Hayn,*
*Wo ihm der West umwehte.*

*Er schöpfte seinen Tafeltrunk*
*Aus klarer, kühler Quelle,*
*Und Nachtigallenwettgesang*
*War seine Hofkapelle.*
*Doch grüßt' er schon den ersten Strahl*
*Des Morgens mit Entzücken,*
*Und gieng zur Arbeit durch das Thal*
*Mit heitern, frohen Blicken.*

---

*Ueber das Wunderbare und die Verwunderung etc.* h. e. De eo, quod mirabile vocamus, et de admiratione; periculum psychologicum. *Pars I.* 1782. Vitebergae et Seruestae, ap. Zimmermann. 8. pagg. 364.

In fine praefatiunculae libri huius egregii auctorem se professus est S. Reuer. FRANC. VOLKMAR. REINHARD, theologus Vitebergensis. Natam esse ait hanc suam disputatio-

tationem e studioso examine argumentorum, quibus veritas Christianae religionis demonstrari soleat, et e quaestionibus de modo, quo animus humanus vires suas explicet sensim, seque ad cultum aliquem conformet; hoc enim genere studiorum, sane quam grauissimo et persona viri dignissimo, sua se otia per complures iam annos distinguere solitum esse. Et profecto, etiamsi eadem veritate, qua modestia, dixisset auctor, suum hoc periculum psychologicum nihil continere, quod nouum videri possit peritis; tamen futurum esse neminem putamus, qui in illo libro desideret maturam et vsu lectioneque multiplice subactam aciem ac solertiam cogitandi de illa re, quam sibi explicandam et edisserendam auctor sumsit. Recte iudicauit, si diligentius naturam et virtutem illarum rerum, quae hominibus iniiciant admirationem, inuestigauerimus, multam id ac variam habiturum esse vtilitatem. Ad intelligendam enim permagnam vim, quam in animis, in factis et moribus hominum exercent res eiusmodi; quae admirationem illorum excitant, nihil magis fuerit necessarium; huius vero cognitionis eximios fructus esse posse, tum in educanda feliciter iuuentute, tum in regenda ciuitate, manifestum est. — Deinde vero in disquisitione

planissimam viam sterni, diiudicando praecipuo generi euentorum mirificorum, eorum nempe, quae ad stabiliendam confirmandamque religionem quamcunque *positiuam*, vt aiunt, Iudaicam in primis et Christianam, accidisse dicuntur, quiuis intelligit. Et in hoc quidem genere potissimum elucescet, vt speramus, vtilitas disputationis, ab auctore institutae. Plerique enim, qui de *miraculis* scripserunt, neglexerunt fere dispicere, quid illis in vniuersum commune insit cum ceteris rebus, quas *mirabiles* dicere consueuimus, planeque discreuerunt a se inuicem eiusdem generis et ordinis euenta. Haec autem diuulsio duplex incommodum peperit; primo, quod a consuetudine loquendi et a notitiis, quas omnis antiquitas de miraculis in religione aluit, prorsus recederetur; deinde, quod opus esset, signa quaedam et notas constituere, quibus *miracula* á reliquis omnibus *euentis mirificis* distinguerentur. — Denique poetis etiam, oratoribus, et reliquis omnibus, qui cupiunt, vel ingenii vel artis audacia percellere alios, plurimum profuerit scire, quid et quale hoc sit, cui, per oculos vel aures demisso in mentem, adstupescant homines; ita enim demum scient, quos effectus habitura sint inuenta sua, quos fines et quas leges seruare de-

ceat,

ceat, rel. — Triplicem hunc vſum, quem accurata naturae et efficaciae rerum admirabilium exploratio promittit, diligenter ob oculos habuit auctor libri noſtri, eoque iam laudem demeretur magnam, quod non modo ſumſit materiam per ſe ſat ponderoſam, verum illam etiam ab vtilitate ſua potiſſimum ſpectauit. Diſcuſſit autem ſic, vt nobis fere nihil feciſſe reliqui videatur. Quamuis enim, vt ipſe vidit ac faſſus eſt, non prorſus noua et intacta ſit res illa, quam tractat; nouam tamen ingreſſus eſt viam, eamque, niſi fallimur, optimam, in qua ampliſſimum hunc campum peragraret.

Quam in aliis viri huius libris cognouimus legitimae dilucidaeque diſpoſitionis curam, quae in diſputationibus philoſophicis primaria virtus eſt, eam in hoc etiam, de quo agimus, fecundae ſollertiae et ἀκριβειας monumento animaduertimus. Ante omnia igitur in *ſectione prima* inueſtigauit et declarauit in vniuerſum *notionem* τȣ θαυμασιȣ, admodum ſollicite. E multis exemplis rerum *inſolitarum* et *inexſpectatarum*, quarum nempe obſeruatione efficitur, vt *miremur*, colligit hoc, quod in illis commune eſt. Ita certe, quid ferat vſus et conſuetudo loquendi in hoc genere, patet. Quum igitur *peregrina* quae-

que, *noua, periculosa*, vulgaria etiam, si modo vel ratione temporis locique aliquid minus obuium repraesentant, vel peculiarem aliquam virtutem, antea non perceptam, offerunt, soleant admirationem excitare; liquet hinc, quoties nobis appareat aliquid a consueto cursu et ordine rerum alienum, quo series quasi cogitationum nostrarum interrumpatur, toties *mirum* aliquid adesse. *Mirum* itaque cuique videtur, *quidquid eius aliquantisper percellit et confundit intelligentiam.* (Verba auctoris propria idem ostendunt: *Wunderbar scheint jedem, was ihm als unbegreiflich auffällt.*) Id vero percellit cogitantem, in quo is quamdam sentit dissimilitudinem, quae ceteris suis ideis suaeque scientiae modulo repugnare videtur. Explicatius his expositis, consequitur, nihil per se mirum esse, sed *κατα τινα*, et mirari idem esse, ac fateri limites cognitionis suae; infinitam igitur naturam nihil mirari; inter homines vero admirationis fontem esse cum ignorantiam, tum scientiam etc. (Nobis videtur hoc praecipuum institutae quaestionis momentum esse, vt hae causae *subiectiuae*, vt loquuntur, admirationis curate perquirantur et dispiciantur. Tunc enim demum intelligitur, quae sit natura eius, quod mirificum est, si condi-

tio

tio et varietas illorum, qui mirantur, luculentius cognofcitur. Tunc etiam de variis effectibus, qui funt rerum mirabilium, et de vario gradu illorum optime iudicari, et doceri poteft, cur eadem neque omnibus, neque iisdem infolentia videantur, cur non fit

*— tam mirabile quidquam*
*Principio, quod non minuant mirarier omnes*
*Paullatim. —*

Multae vero funt, et variae in fingulis hominibus, caufae et occafiones mirationis, quae, quam poterant copiofiffime, dinumerandae erant. Neque enim fola *copia cognitionis* facit, vt aliquid alteri mirum fit, alteri non fit. Magna hic etiam vis eft *naturae* et *ingenii* hominum; alii enim ex tarditate et fomnolentia non mirantur, quae alios vehementer rapiunt; alii vero prae viuacitate mentis nihil vident, vbi fegniores fafcinantur. Similiter et *ftatus* confiderandus eft, in quo verfamur *eo tempore*, quo mirificum aliquid accidit, et vel fenfibus vel animo obiicitur. Qui enim *attenti* funt, eo ipfo tempore faepe grauiter percelluntur, quo eadem res aliorum fenfus et animum praeterfluit; qui *exfpectat* euentum aliquem, non miratur, fed non opinatus miratur; qui *dolore*, *ira*, *metu* afficitur,

 miri-

mirificentiſſimis rebus non facile mouetur; in multis ſola *voluntas* et *ſtudium* aliquod in cauſa eſt, cur vel mirentur aliquid vel contemnant, vt, qui deperiit amore Neaerae alicuius, Venerem ipſam vix mirabitur. — Nihil horum plane neglexit auctor, ſed ab enumerandis ordine ſuo illis, quae vnice faciunt, vt aliquid mirabile ſit ac dicatur, hanc diſputationem putauerim inchoandam fuiſſe.)

Hinc vero iam progreditur ad varia *genera* rerum mirabilium expromenda. Sunt enim in vniuerſum vel in *mundo corporeo* ſeu *adſpectabili*, vel in *ſpirituali* ſeu *intellectuali;* de illis ſectione *ſecunda*, de his *tertia* agitur. Quidquid vero inter ea, quae in ſenſus incurrunt, mirificum eſt, vel *natura* exſiſtit vel *arte* efficitur. In operibus *naturae* porro et *res ipſae* ſeu *corpora*, et *mutationes in rebus* conſiderantur. In *corporibus* igitur miramur, ſi abhorrent a ſolitis *formis*, ſi magnitudine et varietate eminent, ſi vel immenſa vel nimium parua videntur, ſi metum iniiciunt; in *mutationibus* vero et effectibus corporum, ſi cauſas ignoramus, et vel vim quamdam et vehementiam, vel celeritatem, vel durationem, vel raritatem τȣ φαινομενȣ, vel concurſum plurium περιςασεων ſingularem obſeruamus. Huc et refert illas res, quae per ſe ſpectatae

neinini

nemini mirationem faciunt, ſpeciem vero mirificam obtinent a *voluntate et conſilio intuentis*, vt, quae putantur, omina, auguria, portenta eſſe. (Hinc iam patet, antequam *obiectiuae* cauſae, a quibus admiratio pendet, diſquirantur, generatim iam indagandas fuiſſe *ſubiectiuas*.) In illis, quae *arte* conſtant, qui artis periti non ſunt, mirantur vel *opera*, vel *artificem*; in *operibus* quidem difficultatem et laborem iis inſumtum, vt ſi vel praemagnae et immanis, vel perexiguae molis, vel multiplicis varietatis et conſenſionis partium, vel non ſperatae ſimilitudinis ſint cum forma quadam primitiua, vel durationis, vel vtilitatis eximiae videantur eſſe; in *artifice* vero vim quamdam ſingularem, ſiue illa in paucis tantum viſa ſit, ſiue cum fiducia et audacia coniuncta, ſiue ſimulet incantationem; quod genus mixtum iam eſt ex rebus corporeis et incorporeis. De his priusquam ſermo ſit, commemoratur adhuc genus quoddam rerum, in quibus mirabundi haerere ſolent homines, quae tamen neutri iſti claſſi ſubiici poſſunt, nempe opulentia et paupertas magna, itemque celebritates ac pompae ſolennes. (Incommodam eſſe igitur diuiſionem iſtam rerum mirabilium in *corporeas* et *incorporeas*, apparet; melior quamuis non ſuccurrat, quae

omnia et complectatur et satis distinguat a se inuicem.) In rebus *intellectualibus* ingentem ciendae admirationis potestatem exercet *primum magnitudo* vel spatii ac temporis, vel virtutum, vel vitiorum. Quod ad *virtutes*, nihil natura *Dei* admirabilius cogitari potest, sed ab illis tantum, qui concipere aliquam eius notitiam possunt. (In mentem hic venit BACONIS illud: *Contemplatio creaturarum, quantum ad creaturas ipsas, producit* Scientiam; *quantum ad Deum,* Admirationem *tantum, quae est quasi abrupta scientia.* De augm. sc. lib. I.) Hominis vero virtutes metimur vel amplitudine, vel vi ingenii, vel *cogitationibus,* quae et *per se,* quando nempe aut lucem egregiam affundunt multis aliis veris enunciatis, aut secundae sunt proposito quodam aut facto praeclaro, et *per elocutionem* censentur magnae; vel efficacia in *rebus agendis,* animo, vehementia, perseuerantia; vel sublimitate animi, vel bonitate. (In *vitiis,* quid sit mirandum, et quare, breuius exponitur.) — *Secundo nouitas* et *paradoxia,* vel in notitiis et opinionibus, vel in oratione, vel in sensibus, actionibus, moribus ac cerimoniis. — *Tertio,* quaecumque res *arcana* nobis est. „*Magna,* inquit, mirantur, quia, quamuis distincte cognita, *dissimilia sunt ceteris rebus,*

quas

*quas cognouimus*, et *mensuram excedunt nostram; noua* vero et *paradoxa*, quia, quamuis distincte cognita nec dissimilia ceteris rebus, quas cognouimus, *insolito nobis modo inter se copulata appareant; arcana* denique, quia vel omnino, vel hoc certe et illo tempore, *non intelliguntur*.„ Huius generis sunt, quae vel *plane obscura* sunt, vt, quae in *artibus*, quas ipsi non didicimus, nobis videntur humanas vires superare, et quae in *theologia* mysteria vocantur, inuenta nimirum ab humano ingenio, quod auderet explicare doctius et disparare acutius simplicia et facilia intellectu omnibus placita religionis Christianae; vel quae saltem *aliqua ex parte clara* sunt, vt multa naturae rerum euenta, animae humanae indoles, Dei virtutes etc.; vel quae *in se singula satis clara sunt, sed comparata inuicem et cum aliis sententiis rectis*, tenebris inuoluuntur.

Porro ad demonstrandum id, quod *efficitur* mirabilium rerum obseruatione, pergit. Quod quum vel *proxime sequatur*, vel *longius remotum* sit; duplex hinc effectuum genus constituitur. Alterum, de quo *sectione quarta* agitur, vno vocabulo *admirationis* continetur. Hic iam auctor subtiliter inquisiuit in caussas admirationis, quae in homine sunt, et multa

*Auf seiner kleinen Meyerey,*
*Nicht ferne von dem Reichen,*
*Sah Damon unbemerkt und frey*
*Dahin sein Leben schleichen.*
*Hier fand man nicht Tapezerey'n,*
*Kein schimmernd Hausßgeräthe;*
*Sein Tafelzimmer war der Hayn,*
*Wo ihm der West umwehte.*

*Er schöpfte seinen Tafeltrunk*
*Aus klarer, kühler Quelle,*
*Und Nachtigallenwettgesang*
*War seine Hofkapelle.*
*Doch grüßt' er schon den ersten Strahl*
*Des Morgens mit Entzücken,*
*Und gieng zur Arbeit durch das Thal*
*Mit heitern, frohen Blicken.*

---

*Ueber das Wunderbare und die Verwunderung etc.* h. e. De eo, quod mirabile vocamus, et de admiratione; periculum psychologicum. *Pars I.* 1782. Vitebergae et Seruestae, ap. Zimmermann. 8. pagg. 364.

In fine praefatiunculae libri huius egregii auctorem se professus est S. Reuer. FRANC. VOLKMAR. REINHARD, theologus Vitebergensis. Natam esse ait hanc suam dispu-

tatio-

tationem e studioso examine argumentorum, quibus veritas Christianae religionis demonstrari soleat, et e quaestionibus de modo, quo animus humanus vires suas explicet sensim, seque ad cultum aliquem conformet; hoc enim genere studiorum, sane quam grauissimo et persona viri dignissimo, sua se otia per complures iam annos distinguere solitum esse. Et profecto, etiamsi eadem veritate, qua modestia, dixisset auctor, suum hoc periculum psychologicum nihil continere, quod nouum videri possit peritis; tamen futurum esse neminem putamus, qui in illo libro desideret maturam et vsu lectioneque multiplice subactam aciem ac sollertiam cogitandi de illa re, quam sibi explicandam et edisserendam auctor sumsit. Recte iudicauit, si diligentius naturam et virtutem illarum rerum, quae hominibus iniiciant admirationem, inuestigauerimus, multam id ac variam habiturum esse vtilitatem. Ad intelligendam enim permagnam vim, quam in animis, in factis et moribus hominum exercent res eiusmodi, quae admirationem illorum excitant, nihil magis fuerit necessarium; huius vero cognitionis eximios fructus esse posse, tum in educanda feliciter iuuentute, tum in regenda ciuitate, manifestum est. — Deinde vero eius disquisitionis


planis-

nihil apud Mosen inuenimus, sed decrescentem *paullatim* aquam, הלוך וחסור, VIII, 5. קלו v. 11. siccescentem terram, v. 13. agnoscimus; neque v. 3. verbum repetitum שוב vndam *eadem via* reuersam ostendit, sed adiectum מעל הארץ cum proximis הלוך et ויחסרו significat, *terram*, paullatim fracta vndarum vi, *rursus* siccescere coepisse, quacunque demum via, probabiliter septentrionem versus, terris subtus aqua et igne exesi ruinam patientibus, fluctus delapsi fuerint.) Itaque *cometam* Whistonianum, retro computata periodo 575 annorum Newtoniana, inde ab a. 1680. facile ad annum diluuii aptandum, etsi is non inundauerit tellurem, tamen aequatore suo (circa grad. fortasse lat. 80. long. 230.) insidere potuisse putat vertici telluris antarctico, vt, atmosphaera illius premente atmosphaeram nostram, non solum, alueis repente exhaustis, vim concentricam sentientibus aere et aqua intra cauernas ac voragines subterranea inclusis, totam vndarum eiacularetur molem, terras immersas, pondus praeterea leuante aqua salsa ac paludosa, secum rapturam, verum etiam rotationem globi nostri per aliquot dies inhiberet; quae fortassis caussa fuerit axis abhinc aliquantum inclinati. (nisi hanc inclinationem ob aeris temperiem

magis

magis aequabilem ab initio consulto ordinatam dixerimus.) Vectis anatomici per fluidum, lapidis manu iacti, plumbei globuli sclopeto aeris compressi pleno protrusi, vim, et celeritatem cometae motum globi tormento grandiore vibrati millies superantem, expendere iubet lectores; et huic forsitan *contusioni (Quetschung)* atmosphaerae dimidiae vehementer compressae (Noachumne simul in altera dimidia dicas contusione ista vna cum naue fuisse confractum?) aeris corruptionem et vitae abhinc breuioris culpam tribui posse coniicit. Isthoc conspectu lectionem libri curiosioribus commendare, propositum nobis fuit; quanquam, dum caussas producendis euentis sufficientes *intra atmosphaeram propriam* supersint, hospitis peregrini furoribus siue aduenam ipsum, a nostro globo fortius attrahendum, siue nostrum genus, tanta vi cito misere suffocandum, aegre exponeremus, neque tantas ruinas, donec nouae successerint rerum conuersiones, vnquam metuendas esse habitaculo nostro, numinis sapientiae infinitae tuti confidimus.

V.

---

*Gedenk- und Sittensprüche etc.* i. e. Sententiae ac praecepta moralia, paruis danda

strena-

ſtrenarum nomine. Berolini et Stetini ſine die et conſule, plagg. 5. form. min. 8vo. up. Frid. Nicolai.

Quaſi *libelli moralis Campiani ſupplementum*, vt in titulo vocantur, gratiam ſibi parentum conciliabunt pagellae iſtae. Conſilium, quale nuper etiam cl. WILLIVS in edenda *Ethice prouerbiis Germanorum expreſſa* tentauerat, in vniuerſum non diſplicet; et inſunt huic opuſculo auctoris incerti multa paruis admodum vtilia futura, (ex SALOMONE quoque, PAVLLO, GELLERTO,) quanquam etiam alia nimis vulgaria, nec ſatis eleganter dicta. Interea commendandus erit libellus iis potiſſimum, qui, adhibitis *Campiano libro ac primis lineis Reſewitzianis*, (*Grundſätze der Tugend- und Klugheitslehre,*) ludimagiſtros futuros in ſcribendo et concipiendis cogitatis ſuis de rebus ad mores ac vitam pertinentibus exercere voluerint. Editor, qui nobis cl. NICOLAI eſſe videtur, in praefatione de *vi ſententiarum* ad ſenſum honeſti tenellis animis informandum rectum pronuntiat iudicium; hoc vnum addere placet, vim illam *ex conſcientia diuinae auctoritatis*, quomodo in ſcholis vulgo ſententiae biblicae inculcari ſolent diſcipulis, mirum quantum adaugeri.

---

Sonder-

*Sonderbare Geschichte etc.* i. e. PIGATTI memorabilia ex vita IOH. BAPT. NEGRETTI noct-ambulonis, ab Ital. conuers. *rell.* Norimbergae in offic. Bauer. et Bischoff. plagg. 3. 8vo.

Indicamus plagulas, quibus praestantiores libri cognoscuntur ac leguntur, (ex minus notis nominabimus *Muratori della forza della fantasia umana,*) tum, quia singula exempla huius generis consideratione digna sunt, tum maxime propter carmen appendicis loco annexum et ad *obseruationes psychologicas memorabiliores* referendum; siquidem strophas ternas, quas apponere decreuimus, per somnum scripsisse fertur studiosus Lips. mens. Mai. a. 1776. Fingitur, hinc diues abundantia rerum plenissima male fruens, illinc alius, rurali felicitate perquam beatus:

*Doch — — wies nun ewig kam? — Der Mann*
*War nimmer recht zufrieden.*
*Mit kalten Blicken sah ers an,*
*Wenn seine Gärten blühten;*
*Oft bey dem schmelzendsten [illegible]ncert*
*Fand man ihn herzlich gähnen*
*Und bey der Tafel stochert er*
*Vor Ueberdruß in Zähnen.*

Auf

*Auf seiner kleinen Meyerey,*
*Nicht ferne von dem Reichen,*
*Sah Damon unbemerkt und frey*
*Dahin sein Leben schleichen.*
*Hier fand man nicht Tapezerey'n,*
*Kein schimmernd Haußgeräthe;*
*Sein Tafelzimmer war der Hayn,*
*Wo ihn der West umwehte.*

*Er schöpfte seinen Tafeltrank*
*Aus klarer, kühler Quelle,*
*Und Nachtigallenwettgesang*
*War seine Hofkapelle.*
*Doch grüßt' er schon den ersten Strahl*
*Des Morgens mit Entzücken,*
*Und gieng zur Arbeit durch das Thal*
*Mit heitern, frohen Blicken.*

---

*Ueber das Wunderbare und die Verwunderung etc.* h. e. De eo, quod mirabile vocamus, et de admiratione; periculum psychologicum. *Pars I.* 1782. Vitebergae et Seruestae, ap. Zimmermann. 8. pagg. 364.

In fine praefatiunculae libri huius egregii auctorem se professus est S. Reuer. FRANC. VOLKMAR. REINHARD, theologus Vitebergensis. Natam esse ait hanc suam disputatio-

tationem e studioso examine argumentorum, quibus veritas Christianae religionis demonstrari soleat, et e quaestionibus de modo, quo animus humanus vires suas explicet sensim, seque ad cultum aliquem conformet; hoc enim genere studiorum, sane quam grauissimo et persona viri dignissimo, sua se otia per complures iam annos distinguere solitum esse. Et profecto, etiamsi eadem veritate, qua modestia, dixisset auctor, suum hoc periculum psychologicum nihil continere, quod nouum videri possit peritis; tamen futurum esse neminem putamus, qui in illo libro desideret maturam et vsu lectioneque multiplice subactam aciem ac sollertiam cogitandi de illa re, quam sibi explicandam et edisserendam auctor sumsit. Recte iudicauit, si diligentius naturam et virtutem illarum rerum, quae hominibus iniiciant admirationem, inuestigauerimus, multam id ac variam habiturum esse vtilitatem. Ad intelligendam enim permagnam vim, quam in animis, in factis et moribus hominum exercent res eiusmodi, quae admirationem illorum excitant, nihil magis fuerit necessarium; huius vero cognitionis eximios fructus esse posse, tam in educanda feliciter iuuentute, tum in regenda ciuitate, manifestum est. — Deinde vero in disquisitione

planiſſimam viam ſterni, diiudicando praecipuo generi euentorum mirificorum, eorum nempe, quae ad ſtabiliendam confirmandamque religionem quamcunque *poſitiuam*, vt aiunt, Iudaicam in primis et Chriſtianam, accidiſſe dicuntur, quiuis intelligit. Et in hoc quidem genere potiſſimum eluceſcet, vt ſperamus, vtilitas diſputationis, ab auctore inſtitutáe. Plerique enim, qui de *miraculis* ſcripſerunt, neglexerunt fere diſpicere, quid illis in vniuerſum commune inſit cum ceteris rebus, quas *mirabiles* dicere conſueuimus, planeque diſcreuerunt a ſe inuicem eiusdem generis et ordinis euenta. Haec autem diuulſio duplex incommodum peperit; primo, quod a conſuetudine loquendi et a notitiis, quas omnis antiquitas de miraculis in religione aluit, prorſus recederetur; deinde, quod opus eſſet, ſigna quaedam et notas conſtituere, quibus *miracula* á reliquis omnibus *euentis mirificis* diſtinguerentur. — Denique poetis etiam, oratoribus, et reliquis omnibus, qui cupiunt, vel ingenii vel artis audacia percellere alios, plurimum profuerit ſcire, quid et quale hoc ſit, cui, per oculos vel aures demiſſo in mentem, adſtupeſcant homines; ita enim demum ſcient, quos effectus habitura ſint inuenta ſua, quos fines et quas leges ſeruare deceat,

ceat, rel. — Triplicem hunc vſum, quem accurata naturae et efficaciae rerum admirabilium exploratio promittit, diligenter ob oculos habuit auctor libri noſtri, eoque iam laudem demeretur magnam, quod non modo ſumſit materiam per ſe ſat ponderoſam, verum illam etiam ab vtilitate ſua potiſſimum ſpectauit. Diſcuſſit autem ſic, vt nobis fere nihil feciſſe reliqui videatur. Quamuis enim, vt ipſe vidit ac faſſus eſt, non prorſus noua et intacta ſit res illa, quam tractat; nouam tamen ingreſſus eſt viam, eamque, niſi fallimur, optimam, in qua ampliſſimum hunc campum peragraret.

Quam in aliis viri huius libris cognouimus legitimae dilucidaeque diſpoſitionis curam, quae in diſputationibus philoſophicis primaria virtus eſt, eam in hoc etiam, de quo agimus, fecundae ſollertiae et ἀκριβείας monumento animaduertimus. Ante omnia igitur in *ſectione prima* inueſtigauit et declarauit in vniuerſum *notionem τȣ θαυμαστȣ*, admodum ſollicite. E multis exemplis rerum *inſolitarum* et *inexſpectatarum*, quarum nempe obſeruatione efficitur, vt *miremur*, colligit hoc, quod in illis commune eſt. Ita certe, quid ferat vſus et conſuetudo loquendi in hoc genere, patet. Quum igitur *peregrina* quae-

que, *nova, periculosa,* vulgaria etiam, si modo vel ratione temporis locique aliquid minus obuium repraesentant, vel peculiarem aliquam virtutem, antea non perceptam, offerunt, soleant admirationem excitare; liquet hinc, quoties nobis appareat aliquid a consueto cursu et ordine rerum alienum, quo series quasi cogitationum nostrarum interrumpatur, toties *mirum* aliquid adesse. *Mirum* itaque cuique videtur, *quidquid eius aliquantisper percellit et confundit intelligentiam.* (Verba auctoris propria idem ostendunt: *Wunderbar scheint jedem, was ihm als unbegreiflich auffällt.*) Id vero percellit cogitantem, in quo is quamdam sentit dissimilitudinem, quae ceteris suis ideis suaeque scientiae modulo repugnare videtur. Explicatius his expositis, consequitur, nihil per se mirum esse, sed *κατα τινα*, et mirari idem esse, ac fateri limites cognitionis suae; infinitam igitur naturam nihil mirari; inter homines vero admirationis fontem esse cum ignorantiam, tum scientiam etc. (Nobis videtur hoc praecipuum institutae quaestionis momentum esse, vt hae causae *subiectiuae*, vt loquuntur, admirationis curate perquirantur et dispiciantur. Tunc enim demum intelligitur, quae sit natura eius, quod mirificum est, si condi-

tio et varietas illorum, qui mirantur, luculentius cognoscitur. Tunc etiam de variis effectibus, qui sunt rerum mirabilium, et de vario gradu illorum optime iudicari, et doceri potest, cur eadem neque omnibus, neque iisdem insolentia videantur, cur non sit

*— tam mirabile quidquam*
*Principio, quod non minuant mirarier omnes*
*Paullatim. —*

Multae vero sunt, et variae in singulis hominibus, causae et occasiones mirationis, quae, quam poterant copiosissime, dinumerandae erant. Neque enim sola *copia cognitionis* facit, vt aliquid alteri mirum sit, alteri non sit. Magna hic etiam vis est *naturae* et *ingenii* hominum; alii enim ex tarditate et somnolentia non mirantur, quae alios vehementer rapiunt; alii vero prae viuacitate mentis nihil vident, vbi segniores fascinantur. Similiter et *status* considerandus est, in quo versamur *eo tempore*, quo mirificum aliquid accidit, et vel sensibus vel animo obiicitur. Qui enim *attenti* sunt, eo ipso tempore saepe grauiter percelluntur, quo eadem res aliorum sensus et animum praeterfluit; qui *exspectat* euentum aliquem, non miratur, sed non opinatus miratur; qui *dolore, ira, metu* afficitur,

 miri-

mirificentiſſimis rebus non facile mouetur; in multis ſola *voluntas* et *ſtudium* aliquod in cauſa eſt, cur vel mirentur aliquid vel contemnant, vt, qui deperiit amore Neaerae alicuius, Venerem ipſam vix mirabitur. — Nihil horum plane neglexit auctor, ſed ab enumerandis ordine ſuo illis, quae vnice faciunt, vt aliquid mirabile ſit ac dicatur, hanc diſputationem putauerim inchoandam fuiſſe.)

Hinc vero iam progreditur ad varia *genera* rerum mirabilium expromenda. Sunt enim in vniuerſum vel in *mundo corporeo* ſeu *adſpectabili*, vel in *ſpirituali* ſeu *intellectuali*; de illis ſectione *ſecunda*, de his *tertia* agitur. Quidquid vero inter ea, quae in ſenſus incurrunt, mirificum eſt, vel *natura* exſiſtit vel *arte* efficitur. In operibus *naturae* porro et *res ipſae* ſeu *corpora*, et *mutationes in rebus* conſiderantur. In *corporibus* igitur miramur, ſi abhorrent a ſolitis *formis*, ſi magnitudine et varietate eminent, ſi vel immenſa vel nimium parua videntur, ſi metum iniiciunt; in *mutationibus* vero et effectibus corporum, ſi cauſas ignoramus, et vel vim quamdam et vehementiam, vel celeritatem, vel durationem, vel raritatem τȣ φαινομενȣ, vel concurſum plurium περιςασεων ſingularem obſeruamus. Huc et refert illas res, quae per ſe ſpectatae

nemini

nemini mirationem faciunt, speciem vero mirificam obtinent a *voluntate et consilio intuentis*, vt, quae putantur, omina, auguria, portenta esse. (Hinc iam patet, antequam *obiectiuae* causae, a quibus admiratio pendet, disquirantur, generatim iam indagandas fuisse *subiectiuas*.) In illis, quae *arte* constant, qui artis periti non sunt, mirantur vel *opera*, vel *artificem*; in *operibus* quidem difficultatem et laborem iis insumtum, vt si vel praemagnae et immanis, vel perexiguae molis, vel multiplicis varietatis et consensionis partium, vel non speratae similitudinis sint cum forma quadam primitiua, vel durationis, vel vtilitatis eximiae videantur esse; in *artifice* vero vim quamdam singularem, siue illa in paucis tantum visa sit, siue cum fiducia et audacia coniuncta, siue simulet incantationem; quod genus mixtum iam est ex rebus corporeis et incorporeis. De his priusquam sermo sit, commemoratur adhuc genus quoddam rerum, in quibus mirabundi haerere solent homines, quae tamen neutri isti classi subiici possunt, nempe opulentia et paupertas magna, itemque celebritates ac pompae solennes. (Incommodam esse igitur diuisionem istam rerum mirabilium in *corporeas* et *incorporeas*, apparet; melior quamuis non succurrat, quae

omnia et complectatur et satis distinguat a se inuicem.) In rebus *intellectualibus* ingentem ciendae admirationis potestatem exercet *primum magnitudo* vel spatii ac temporis, vel virtutum, vel vitiorum. Quod ad *virtutes*, nihil natura *Dei* admirabilius cogitari potest; sed ab illis tantum, qui concipere aliquam eius notitiam possunt. (In mentem hic venit BACONIS illud: *Contemplatio creaturarum, quantum ad creaturas ipsas, producit* Scientiam; *quantum ad Deum,* Admirationem *tantum, quae est quasi abrupta scientia.* De augm. sc. lib. I.) Hominis vero virtutes metimur vel amplitudine, vel vi ingenii, vel *cogitationibus,* quae et *per se,* quando nempe aut lucem egregiam affundunt multis aliis veris enunciatis, aut secundae sunt proposito quodam aut facto praeclaro, et *per elocutionem* censentur magnae; vel efficacia in *rebus agendis,* animo, vehementia, perseuerantia; vel sublimitate animi, vel bonitate. (In *vitiis,* quid sit mirandum, et quare, breuius exponitur.) — *Secundo nouitas* et *paradoxia,* vel in notitiis et opinionibus, vel in oratione, vel in sensibus, actionibus, moribus ac cerimoniis. — *Tertio,* quaecumque res *arcana* nobis est. „*Magna,* inquit, mirantur, quia, quamuis distincte cognita, *dissimilia sunt caeteris rebus,* quae

*quas cognouimus*, et *mensuram excedunt nostram; noua* vero et *paradoxa*, quia, quamuis distincte cognita nec dissimilia ceteris rebus, quas cognouimus, *insolito nobis modo inter se copulata appareant; arcana* denique, quia vel omnino, vel hoc certe et illo tempore, *non intelliguntur*.„ Huius generis sunt, quae vel *plane obscura* sunt, vt, quae in *artibus*, quas ipsi non didicimus, nobis videntur humanas vires superare, et quae in *theologia* mysteria vocantur, inuenta nimirum ab humano ingenio, quod auderet explicare doctius et disparare acutius simplicia et facilia intellectu omnibus placita religionis Christianae; vel quae saltem *aliqua ex parte clara* sunt, vt multa naturae rerum euenta, animae humanae indoles, Dei virtutes etc.; vel quae *in se singula satis clara sunt, sed comparata inuicem et cum aliis sententiis rectis*, tenebris inuoluuntur.

Porro ad demonstrandum id, quod *efficitur* mirabilium rerum obseruatione, pergit. Quod quum vel *proxime sequatur*, vel *longius remotum* sit; duplex hinc effectuum genus constituitur. Alterum, de quo *sectione quarta* agitur, vno vocabulo *admirationis* continetur. Hic iam auctor subtiliter inquisiuit in caussas admirationis, quae in homine sunt, et multa

 de

de illis ingeniose obseruauit. — *Copiam* quamdam idearum adesse debere, docet, si quis miretur, vt inde nascatur *voluptas* circumspiciendi intuendique, hinc vero deinceps *cupiditas* sciendi. Vnde patet, tot esse gradus admirationis, quot sunt modi scientiae hominum. Deinde sequitur etiam, vt puerilis et iuuenilis aetas admirationi praecipue apta et dedita sit, quae quam sit salutaris res, et quam bene possit ad prudentem aetatis culturam conuerti, intelligitur. Vti autem singuli homines suam quisque habent epocham quasi admirationis, ita et vniuersae gentes. Quare omnium populorum historiam primitiuam fabulosam deprehendimus ac miraculis plenam; sed quo felicius illorum ingenium naturae rerum studio et cognitione cultum expolitumque scimus, eo magis illos a credulitate, stupore superstitioneque, et ceteris admirationis effectibus immunes euasisse, cognoscimus. Sed interiisse etiam in multis gentibus, vel obfuscatam certe esse hanc lucem, historia loquitur. — Attamen proprium esse naturae humanae amorem ac studium admirationis, quod numquam exsatiatur, et quo magis alitur, eo vehementius concupiscit, licet illud in aliis aliter comparatum sit, manifestum est. Ille vero sensus mirationis ex

quibus

quibus quasi compositus sit sensibus aliis, et quos annexos sibi, et quam vim in corpus habeat, vtrum affectionibus animi, et cui illarum generi, vtrum gratis an ingratis sensibus adnumerandus sit; quas impressiones faciat rerum sublimium, immensarum, simplicium, multiformiumque contemplatio in mentem humanam, per quos gradus et crescat et decrescat admiratio, tandemque desinat — et cognatae his plures quaestiones subtiles aeque ac graues magna facilitate et perspicuitate ab auctore dissoluuntur. Hactenus de effectibus *proximis; sectione quinta* autem *remotiorem* vim, qua est admiratio, explorauit. Et primum quidem ex amore illo naturali, quo homines ducuntur in omnia, quae mirationem iniiciunt, diuersissimo modo variata esse omni tempore studia hominum, opiniones et cognitiones, planum fecit. Late patuit illa vis in *sermone*, quem propter inopiam idearum apud omnes gentes antiquitus valde inopem verbis, et ob verborum inopiam ex meris prope tropis figurisque audacissimis compositum, ac quasi natiuam poesin fuisse, inuenimus. Eamdem ob causam *historia* etiam populorum omnium origines obscurissimas habet, et mythologia est, quae viuam refert imaginem inscitiae eius, qua vetustior aetas igno-

tis

tis quibusque rebus vel hominibus excellentioribus adstupuit, et illas pro miraculis, hos pro Diis habuit. Ex his autem fabulis locupletissimam deinceps materiam sibi quaesiuerunt, eamque fictionibus suis ditarunt poetae; philosophi vero illis allegoricas intulerunt interpretationes; aliis item tricis historiae vetustae impli antur per sedulitatem illorum, qui illas exornant suo ingenio vel componunt. In plerarumque *artium* ceterarum inuentione multum valuit et ipsa admiratio. Praeter illas enim artes, quas vel necessitas vel casus genuit, fine dubio hoc genus cognitionis frequentatum in primis fore credibile est, quod in rebus mirificis occuparetur. Hanc opinionem confirmat historia. Astronomiam enim et physicam primas disciplinas fuisse, quibus operam darent sapientes, et Socratem demum philosophiam e coelo deuocasse, docemur. — Verum ratio quoque tractandi literas varie conformata fuit ab illo studio, quo traherentur homines ad mirandum. Sic primos philosophos non amasse lentam illam ac sollicitam inquirendi et obseruandi viam, nec valde accuratos et cautos fuisse in decernendo, sed effrenata et praecipite audacia pronunciasse de rebus impeditissimis, deprehendimus. Alio tempore poe-

tica

tica quasi et mythica, alio abstrusior philosophia in deliciis fuit; itemque aliud mysteriis vbique inueniendis, etiam vbi nihil necesse esset, deditum. — Sed ad *religionem* praecipue, vel informandam animo humano, vel placitis, ritibus et institutis excolendam, insigniter efficax est admiratio. Vnde primam Dei notionem obtinuerint homines, difficillima quaestio est. Etiamsi enim diuinitus illa reuelata esset, tamen opus erat, vt iam adessent in animo notiones quaedam, quae facerent, vt reuelationem istam capere homines et Dei notionem clare sibi informare possent. (Sed qui existimant, homines, primum a Deo in lucem editos, carere numquam potuisse, vel ad vitam sustentandam, perpetua quasi praesentia Numinis, eaque subtracta sibi, demum natos, mox perire debuisse, hi facilius nodum hunc soluent. Quemadmodum enim infans matris suae, quamuis perpetuo praesentis et lactantis, primum nullam, dein obscuram, sensim vero, quo magis succrescit, eo clariorem animo concipit ideam, eamque adultus per totam vitam tenaciter seruat, nec, matre quamquam sibi erepta, perdit vmquam; ita quoque fas est credere, Deum simili institutionis et educationis genere, qualecumque illud fuerit, vsum esse, ac primum perpetuo

quasi

quasi adfuisse hominibus primigeniis, sed quo illi magis adolescerent aetate et cognitione, eo saepius eum se illorum subduxisse consuetudini, ac denique, quum satis maturam eius viderentur notitiam, vel certe notitiae huius comparandae vires et occasiones idoneas, consecuti esse, harum vsui eos reliquisse. Consentanea fere huic opinioni ipsa est historia antiquissimarum Dei reuelationum. Quam si audimus, non est necesse, *praecedentes* quasdam ideas primis hominibus tribuamus, et quales illae fuerint, quaeramus; nam ingenitae et insitae natura nullae sunt, proprio vero nisu et vsu repertis non erat opus, si ipsum Numen praesentissimum sentirent, quod regeret sensus et cogitationes illorum, vt nihil cogitarent, quod non posset reuelatum ipsis a Deo esse dici. Ceterum propterea non inutilis est quaestio haec: ex quibus tandem sensibus animi et ideis homines, quibus nulla contingit reuelatio, ad notitiam Dei perueniant, seu qua via primi mortales ad illam *peruenturi fuissent, si nulla ipsis data fuisset ab ipso Deo institutio.*) Illud igitur problema vna quadam hypothesi solui posse, pernegat auctor; non enim omnes ex iisdem principiis eam nactos esse notitiam, hinc iam patefieri, quod illa in animo cuiusque hominis pro-

prium

prium suum quasi colorem habeat; quare si quis decernere velit, ex quonam vnico fonte hausta sit, verendum esse, vt quidquam amplius explicet, quam vnde vnus et item alter homo illam notitiam sibi comparauerit. Hoc interim veri simile esse, ad praecipua elementa, e quibus Deum esse didicerint homines, pertinere *notionem nexus caussalis*, et *admirationem eiusmodi obiectorum, quae magna vi permouent considerantem.* Quod tamen non ita intelligendum, ac si *metus* in orbe fecerit Deos; tunc enim numquam *boni* Numinis nata fuisset notio. Nec, si admiratio ad cognoscendum Deum homines perduxit, sequitur, vt recte doceat HVMIVS, polytheismum primitiuam religionem fuisse. Illi vero respondet auctor, praecedentes ideas, ex quibus intelligentia elicere potuerit notionem *Dei*, non excludere reuelationem aliquam immediatam de *vno Deo*, quam hominibus concessam fuisse, cum ex bonitate Dei ipsius sperari posse, tum vero historia Mosis ita confirmari, vt negari nequeat. Si vero *praecedentes* illae, quas vocat auctor, ideae non simul eo prodessent, vt *vnum* Deum agnoscerent, et si nunc demum intercedere Deum oportebat, hominum doctorem; sane prorsus inutiles, immo noxiae fuissent, et ad poly-

theismum

theismum deduxissent; ideoque reuelationis diuinae hoc munus solum fuisset, vt exstingueret illas rursum, et nouas insereret animis ideas, quibus eo peruenirent, vt discerent, *vnum* Deum esse. Admirationis enim vim et impetum non posse modo ad plurium Deorum venerationem impellere, sed impulisse etiam priscos homines, qui reuelationis expertes essent, ipse concedit auctor. Quidni igitur in eo positam potius fuisse dicamus reuelationis diuinae prouinciam, vt, quidquid homines sentirent, cogitarent, agitarentque, quorsum oculorum mentisque aciem intenderent, id omne fieret *non sine Numine?*) — Neque vero in origine solum religionis, sed in illius etiam conformatione plurimum effecit admiratio. Vt spiritibus omnem rerum naturam animari crederent, et hodie credant rudes omnes et imperitae gentes, vt his velut auctoribus beneficiorum et malorum omnium preces et sacra facerent, vt solem eum maxime, lunam et sidera adorarent, vt altis montibus, siluis et quercubus aeternis magnam praeberent religionem — quid effecit, nisi stupor et ignorantia? Sed quum in delectu Numinum, locorum et rituum sacrorum suae quaeque gens patriis ingenium secuta sit, vt egregie monstrat auctor; hinc ortum etiam est facillime diffusum

per

per totam antiquitatem commentum de Diis patriis et popularibus. Omnis vero cerimoniarum apparatus, et festa pompa, templorum magnificentia, sacrificiorum, ludorumque splendor, mysteriorum sanctitas, diuinationum, oraculorum, sacerdotum fides et auctoritas, somniorum et prodigiorum interpretatio, magicae artis inuentio, et quidquid vmquam religionum superstitionumque fuit, vnico hoc de fonte admirationis fluxit. —

Sed haec hactenus. Nam quae supersunt duo capita, quibus, quem habeant vsum *τα θαυματα* in religione, et in bonis artibus, quas leges et quem modum, disputabitur, tomum secundum absoluent. — Vmbram quasi dedimus libri, cui nihil deesse iudicamus ad summam laudem. Rei tractatae pondus et amplitudo, veri indagandi et illustrandi facilitas, demonstrationis vis et claritas, sententiarum nouarum et vtilium copia, purus, pressus et, in quantum satis est, profluens sermo. Nouo constat hoc documento, philosophum in perscrutandis animae humanae viribus alienarum literarum et historiae maxime adminiculis carere non posse, ac tum demum feliciter et empirice ψυχολογειν, si ἐμπειριας et obseruationis copiam vberem afferat, quam sola pandit historia. Ita vero et hanc apparet omnino non

esse memoriae exercendae et exonerandae artem, sed lucem vitae, et philosophiae suauissimam magistram.

---

Asceticon siue Originum rei monasticae libri decem. Auctore ANTONIO DADINO ALTESERRA. — Recensuit, ac praefationem notasque adiecit CHRIST. FRID. GLÜCK, V. I. in acad. Hal. D. *Halae*, impensis orphanotrophei 1782. 2 Alph. 7. pl. oct. mai.

Opportuno sane tempore hunc librum typis repetendum curauit. Hodie enim cum increbescant denuo multorum de re monastica, de vtilitate vel damno, quod infert illa rebus sacris et publicis, de libertatis ac priuilegiorum, monachis concessorum, origine et caussis, de iure ac necessitate Ordines vel abrogandi, vel deminuendi, vel conseruandi, et aliae huius generis quaestiones ac disputationes, commodum erit peruidere, quid de his omnibus, ac de omni plane re monastica senserit, vel ex historiae potius monumentis et iuris canonici fontibus euicerit ICtus ille celeberrimus Francogallicus, cuius in hanc rem perscriptum opus, Parisiis a. 1674. forma quaterna primo vulgatum, omnes periti adhuc iudicabant merito

rito eruditissimum politissimumque, et facile classicum esse. Sed de argumento ac virtute huius libri, non est, quod iam dicamus. Cum vero idem opus a multis sine dubio frustra quaereretur, vtpote non obuium et parabile admodum, hos sibi bene demeritus est nouus editor. In corrigenda hac noua editione satis diligenter versatus est, laudandus etiam ob id, quod textibus iuris ciuilis et canonici citatis, quos ALTESERRA more antiquo per verba solum initialia allegauerat, numerum vbique addidit. Notas libro, quippe satis prolixo, paucas tantum adiecit, libris prioribus plane nullas. Et parcere omnino poterat huic labori, auctorem suum vberius nonnumquam confutandi et illustrandi, eumque suo sensui suisque iudiciis melius reliquisset, quia, si omnino refellendus erat ALTESERRA in omnibus, quae errauit, ea res amplioris esset operis, quam quo perfungi quis potest in paucis pagellis, hinc inde decerpens quaedam. Praeterea, qui hoc libro vtuntur, non ignorabunt sine dubio, quos scriptores legere praeter illum oporteat. Quod autem in primis notandum erat in ALTESERRA, plane intactum reliquit GLÜCKIUS. Namque persaepe non satis fidum diligentemque historicum egit ALTESERRA, vbi vel ad te-

ſtimonia ſuſpecta, vel ad ſcripta ſpuria Chryſoſtomi, Baſilii, Auguſtini, Macariorum, prouocauit. — Ceterum nec pauca nec exigua typographi vitia deprehendimus.

---

XENOPHONTIS *Oeconomicus, Apologia Socratis, Sympoſium, Hiero, Ageſilaus, Epiſtolarum fragmenta.* Recenſuit, et BACHII, ſuisque Notis explicauit IOH. CAROL. ZEVNIVS, Prof. Graec. Literar. Vitemberg. Lipſiae, apud Caſparum Fritſch. cIɔIɔcclxxxii. 8 mai. 1 Alph. 6 plag.

Non diſplicuit viris literatis neque inuidis laudabilis induſtria, quam Cl. ZEVNIVS libris XENOPHONTIS, Attici mellis, edendis inſumit. Orſus eſt anno 1778. cum *Opuſculis* illius *politicis, equeſtribus, venaticis,* quorum enarrationem aliquam in Commentariis Helmſtadienſibus eiusdem anni *p. 355 ſeq.* dedimus. Sequebatur poſt biennium *Cyropaedia* integro atque iuſto volumine, collata primum cum praeſtantiſſimo *Codice Guelferbytano*, in Praefatione ibidem deſcripto, eiusque recenſionem legis in iisdem Commentariis An. 1780. *p. 333 ſequ.* Cyropaediam excipiebat anno poſt *Memorabilium Socratis* noua editio,

editio, laudata nobis ibid. An. 1781. *p. 381. seq.* Iam, iterum anno elapso, prodeunt libri, quorum hic indicem apposuimus. Eos iam ante annos triginta, suasu et consilio *Ernestino*, separatim ediderat et obseruationibus doctissimis illustrauerat IOH. AVG. BACH, cuius obitum immaturum aegre ferunt vel hodie bonae literae. Hanc editionem comtam ZEVNIVS fundamentum posuit suae nouae, indeque non animaduersiones tantum repetiit plerasque, sed etiam *Ernestinas* ex *Epistola* editioni BACHII praemissa, suis quasque in locis inseruit.

Ceterum non est, quod multis exponamus de apparatu critico, quo adornandis in his libris vsus est doctissimus Editor, siquidem nullam aliam, quam in superioribus libris XENOPHONTIS, adhibuit edendi explicandique rationem. Noua vero, et ea peculiaria subsidia, fuerunt haec: In *Oeconomico* praesto fuit eximius idem *Codex Guelferbytanus*, qui Cyropaediae editionem perfecerat; praeterea CAMERARII ac STREBAEI interpretationes Latinae tulerunt opem. In *Apologia Socratis*, praeter magni GESNERI Chrestomathiam, et ARETINI versionem Latinam, editio adfuit BOLTONI SIMSON, quae tamen nihil magnopere continuit noui.

Nec in *Sympofio* quicquam noui praefidii repertum. Verfionem ERASMI infpexit Nofter in *Hierone*, cuius confilii ait fe non poenituiffe. In *fragmentis Epiftolarum* fubfidio venerunt STOBAEI Excerpta, cum Codice, nefcimus quo, a Nobiliff. BRVNKIO collata. Et antea, in *Agefilao*, PHILELPHI quandam interpretationem, recenfionemque *Hutchinfonianam*, non negat, fibi quodammodo profuiffe.

Dum Notas ZEVNII peruoluimus; nam ERNESTI et BACHII Animaduerfiones cognitiffimae funt; deprehendimus plurima, quae redolent acumen criticum, et in quibus affenfum virorum intelligentium praenunciamus. Hiftoriam, res ac voces, Notae illuftant non multae. Tantum non omnes occupantur in adducendis et diiudicandis Lectionibus variantibus Codicum MSCtorum, quos olim viri docti confuluerant. Sunt autem bonae prae reliquis, lectiones *Codicis Guelferbytani*, etfi quidem nec hae omnes. Vt faltem obiter dicam, in *Oeconom. C. 13, 3.* vitium *Iuntinae*, ἔφην, οἶμαι, per omnes editiones praeter *Wolfianam* propagatum, recte eft ex hoc Codice correctum in ἔφη, οἶμαι. *Ibidem, C. 18, 4.* pro εἶσθαι, quod turbat ordinem colloquentium, *Guelferbytanus* apte habet οἶδας.

In

In eodem *Oeconom. C. 18, 5.* τὸ δεινὸν est suspectum, et a LEVNCLAVIO, probante STEPHANO, in δεόμενον mutatum. Sed mauult Cl. Editor τό δέον· idque propius accedit ad scripturam, et commodum sensum facit. In *Symposio C. 4, 27.* ἐμβατεύετε in sensu *quaerendi,* videtur verbum, hoc Attico scriptore non satis dignum. Prae reliquis autem (nam corrigunt alii alio modo;) ZEVNIVS optime rescripsit ἐμαςεύετε, id enim saepius occurrit pro *quaerere, inquirere* apud XENOPHONTEM. In *eodem Capite, §. 65.* BACHII coniecturam aliquam, φίλȣς καὶ σύμμαχȣς, quam Noster audacem et inutilem vocat, et vim inferre orationi; ego non reperio in editione anni 1749. p. 152. sed in Datiuo, φίλοις καὶ συμμάχοις, similiter atque ZEVNIVS dedit ac voluit. Eidem bono viro obiicit p. 221. ac si *somniasset.* Pag. 239: *piget adeo refellere Bachii somnia;* Pag. 274: *Bachii obiectio est futilis;* etsi in aliis locis summo iure assurgat homini praeclaro, et illius doctrinam, quod decebat, laudet. — Plura decerpere non iuuabit, quum talia parum intelligantur extra contextum orationis. — Nota Editoris ipsa *pag. 1.* videtur plus nimio ostendisse, quod in Οἰκονομικὸς subintelligitur λόγος· de quo dubitat nullus. —

Index Graecitatis ad calcem annexus, vtilissimus, et copiosior *Bachiano*, (basi illa tamen huius Indicis noui,) est. Accessit nominum Index; syntacticus denique, et rhetoricus.

---

*Miscellaneen Literarischen Inhalts etc.* h. e. Miscellanea literaria, maximam partem ex fontibus nondum apertis edita a GEORG. THEODOR. STROBEL, Pastore Wöhrdensi. *Norimbergae* vend. in libraria Baueria. *Sylloge V.* a. 1781. pagg. 255. *Sylloge VI.* a. 1782. pagg. totidem 8.

*Sylloge quinta* continet: I. Vitam, placita et scripta RVDBERTI A MOSHAIM, Decani quondam ecclesiae cathedralis Passauiensis, qui famam pessimam sibi acquisiuit imprudenti seu male sano potius conatu, Christianam ecclesiam emendandi, omnes sectas dissipandi, et conciliandi tandem verum aliquod regnum Christi, nouam nempe viam ingressus, qua aeque a Romanensium sacrorum statoribus, atque a LVTHERO longissime recederet, vtrorumque sibi inimicitiam, et tristissima fata contraheret. Febrilis ingenii hominem fuisse, et vanis deceptum somniis ac phantasiae spectris, nisi quid peius, ipsum, quid

quid sibi vellet, nescisse, vndique perlucet. Illa igitur opera, quam vir anonymus insumsit, Apostoli istius mendacis rebus gestis inuestigandis ex obscura memoria, opinionum commentis eius enarrandis, scriptisque eius perquirendis, enumerandis et recensendis, facile videri posset plane inanis et infructuosa esse, praecipue quum hominis huius nugae nec famam ingentem, nec damna magna tulerint. Sed quia MOSHAMVS non pauca probauit, quae paullo ante eum LVTHERVS docere coeperat, et ecclesiam Romanam erroribus atque ineptiis multis vitiatam, in primis vero moribus antistitum suorum pessime corruptam, expurgandam penitus et ad sanctius quoddam exemplum componendam esse, agnouit; sane hoc potest documento nobis esse, quam inepti ad opus illud magnificum, quod LVTHERVS perfecit, ista aetate fuerint homines, quotquot, etsi recte multa videbant, ingenio suo ac scientia abuterentur, a literis bonis non satis instructi phantasiae tantum impotentia abriperentur, et vel gloriae et ambitioni vel auaritiae et gulae magis, quam veritati, seruirent. Tanto igitur maioris habeamus heroes illos nostros, qui, vt efficerent, quod vellent, longe alia adhibebant adminicula, et longe aliud iter instituebant. — Praeterea

terea autem non inutilis etiam res est historia hominum insipidorum, philosophis maxime; si modo in magna sua vbertate haec narratio non deficeret curiose quaerentes, qua via ad tantam stultitiam perlatus sit MOSHAMVS, quum illius nullum adhuc in eo vestigium deprehendatur fuisse tunc, quum familiariter vteretur ERASMO et PIRKHAIMERO. Ceterum omnis haec narratio tam copiosa est, quam fieri potuit pro paucitate documentorum, quae supersunt. Vnum hoc monemus. Ex eadem cum illo MOSHAMO gente, et quidem ex posteris fratris eius Bartholomaei, descendisse theologum quondam nostrum IO. LAVR. MOSHEMIVM, vt cum aliis credit huius narrationis auctor, plane incertus rumor est, nisi mentitus forte. II. De turbis a CAROLOSTADIO commotis Wittebergae, quum nimirum abesset LVTHERVS, in castro Wartburgensi seruatus, ineditam narrationem, ab oculato teste, nescitur quo, contextam, legimus, eamque acceptam futuram esse historiae illorum temporum studiosis censemus. III. Notitia literaria datur declamationum MELANCHTHONIS, quam eadem cura concinnauit STROBELIVS, qua de locis theologicis, aliisque scriptis viri magni, olim exposuit. IIII. Apologia mutatae

con-

confess. Augustanae,) quam scripsisse fertur HENR. FABRICIVS, Pastor quondam Sebaldinus Norimbergae, sectator strenuus PHILIPPI, quem et acriter ab importuna FLACII accusatione defendit. V. Responsum theologorum Geneuensium, (scriptum sine dubio a THEOD. BEZA,) datum a 1580. coetui Reformatorum Belgarum, Norimbergae clanculum collecto, postea vero religionis suae exercendae libertate donato. Rogarant Belgae: „vtrum sibi liceat communicare cum Lutheranis?„ Respondetur: pessimam esse simulationem, ore et consensu in coetu sinistre sentientium de praesentia Domini in coena adesse. — „Vtrum, etiamsi liceat sibi suam fidem profiteri ante eucharistiam, hanc celebrare deceat obstantibus superstitiosis et papisticis Lutheranorum cerimoniis?„ Respondetur, licere omnino praemissa confessione communicare cum Lutheranis; horum enim ritus non esse pro superstitione aut idololatria damnandos, sed propter antiquam consuetudinem in vsu ipsis mansisse. — „Vtrum infantuli baptizandi ad eos deferendi sint, qui in baptismo exorcismo, crucis signo ac similibus vtantur?„ Respondetur: ad Papistas quidem neutiquam, sed ad Lutheranos ferri posse, eamdem ob causam. etc. VI. De MELAN-

THONIS

THONIS libello: *Sententiae Patrum de S. coena.* Occasionem ei dederat scribendo OECOLAMPADII epistola, qua nouitatis notam a Zwingliana verborum institutionis eucharisticae interpretatione abstergere studebat. MELANTHON igitur isto libello suo (a 1530.) docere voluit: *Patres ῥητῶς asseuerare, quod corpus Domini vere adsit in coena dominica.* OECOLAMPADIVS non multo post celeberrimum suum *dialogum* edidit, quo lecto PHILIPPVS abiisse paullulum a pristina sua sententia videtur. Postea enim inclinauit se magis ad doctrinam Helueticam (seu potius pacis inter vtramque partem conciliandae studiosus non amplius data opera attigit ambiguam quaestionem, et praecipue abstinuit in illa ab omni Patrum auctoritate) neque amplius repetiit libellum suum, quem tamen ad alendum controuersiae sacramentariae incendium denuo edidit, inuito auctore, NICOL. GALLVS. VII. De vita D. PAVLI HELMREICH, Vindobonensis, et patre, euangelicae religioni addicto, nati, educati autem in relig. pontificia, atque ad sacerdotium euecti, lectione vero librorum euangelicorum, Chemnitianorum praecipue, incitati, vt Norimbergam fugeret, fidemque suam Augustanae confessioni addiceret, post hinc inde ae-

gre

gre iactati a fortuna, denique ad munus Superintendentis Grimmensis admoti, cui gerendo a. 1631. immortuus est. Homo nec valde doctus nec sapiens admodum videtur fuisse; scripta quaedam edidit, polemica praecipue, piperi tegendo forte dudum insumta.

*Sylloge sexta* habet I. *Bibliothecam Melanthonianam*, quam nunc tertio auctam dedit Cl. STROBELIVS. Numerantur nunc scripta MELANTHONIS ipsius DCCLX, et scripta ad illustrandam vitam eius CCCXLIII. II. Commentationem de GEORG. FRÖHLICH. Huius etiam non contemnendi hominis memoriam obliuioni eripere, fas erat. Fecit hoc Cl. AM ENDE. Notanda est oscitantia, qua IOECHERVS in lexico suo illum appellat *Georg. Letum* s. *Laetum*, in hoc vero nomine lectorem relegat ad voc. *Fröhlich*, quo inspecto neminem reperis, nisi *David. Frölich*, centum annis iuniorem. Illa etiam, quae BRVCKERVS de hoc viro scripsit, non satis accurata sunt. — In Bohemia natus circa a. 1500 erat. Bonis literis instructus mature coepit negotia publica tractare. Aliquamdiu Norimbergensis, post per XII annos Augustanae ciuitatis scriba fuit, et in hoc munere multa cum laude cum alias res graues peregit, tum in negotio foederis Smalcaldici

vtilem

vtilem se praebuit; propterea vero cum aliis senatoribus a. 1548. iussu Caroli V. dimissus ab officio vitam reliquam in otio, sed negotiosus vsque ad mortem 1550. transegit. Scripta, quibus suo aeuo nomen commendauit suum, pauca sunt; psalmos ex Latina IOANNIS CAMPENSIS versione germanice fecit; laudes musicae artis dixit singulari libro Theotisco; Stobaei eclogas in patrium sermonem ex Latina versione transtulit. (Alia eum scripsisse et quae iam a. 1520. prodierint, suspicari licet e PIRKHEIMERI epistola ad ERASMVM, in qua scribit: Guilielmus NESENVS tibi LAETI scripta misit. Epist. Erasm. 561. ed. Cler.) Haec omnia nullam amplius habent vtilitatem, nisi forsan literatoribus et grammaticis. III. Epistolas ineditas IO. CHRISTOPH. WAGENSEILII. Vix alicuius momenti sunt, nisi propter clarissimum nomen viri, qui eas, adhuc iuuenis, moderator morum Comitis Austriaci cuiusdam, in itinere scripsit ad praeceptorem suum NIC. RITTERSHVSIVM. IV. De LVTHERI *doctoratu*. KILIANVS LEIB, Prior Rebdorfinus in episcopatu Eichstediensi, aequalis LVTHERI, eiusque aduersarius infensissimus, in *annal. Mst.* memoriae mandauit, PETRVM BIBERVM, monachum Augustinianum

num Norimbergensem, a matrona quadam diuite testamento accepisse D aureos, quibus iuberetur altiores literas discere et *gradum ex theologia* ambire; hanc vero pecuniam a STAVPITIO, Prouinciali Augustinianorum, praereptam BIBERO et erogatam esse ad comparandam LVTHERO potius istam dignitatem; quod ita aegre tulisse BIBERVM, vt STAVPITIO subiectus esse nollet amplius, e coenobio suo aufugeret, et miserrimus fieret homo. Huic narrationi omnem fidem deesse, iam a doctissimo auctore vincitur. Primum enim per se improbabile est, Vicario licuisse tam immodicam in subiectos sibi Religiosos exercere potestatem, vt tantam, pro istius temporis ratione, summam pecuniae illorum alicui praeriperet, idque impune prorsus, licet is, cui hanc iniuriam fecisset, acerbe satis quereretur. Dein vero facinus tale est, vt in STAVPITIVM, hoc est, illum virum, quem vno ore amici et inimici laudarunt, ac testificati sunt integrum, iustum et castum fuisse, nulla eius admissi suspicio cadere possit. Porro nemo scriptorum Catholicorum istius temporis, quamuis innumeris mendaciis et calumniis LVTHERI famam proscinderent, fabulam hanc refert, nisi quod vnus COCHLAEVS, at quam male

audiens

audiens testis apud cordatiores suarum partium homines! eamdem ita immiscuerit, vt appareat, eum ipsum nihil ausum esse decernere. Ait enim, LVTHERVM Doctorem factum esse *siue iussu et procuratione Electoris, siue sumtibus cuiusdam matronae* etc. Ille COCHLAEVS, qui alias tam impudenter fingit, eo ipso tempore, quo res acta dicitur, Norimbergae Rectoris scholae Laurentianae munus gerebat, ideoque illam ignorare non poterat, anno demum 1549. post fata LVTHERI haec scripsit; si quid certi de ea re inaudiuisset, sane nec tam sero, nec tam ambigue et timide, vt fecit, eam commemorasset. Denique autem certis et exploratis testibus constat, MATTHESIO, MELANTHONE, et LVTHERO ipso, collatos huic Doctoris honores esse, rogatu STAVPITII, impensas ferente Electore. V. De IO. CARIONIS vita et scriptis. Eum Francofurti ad Viadrum matheseos Professorem fuisse, omnes, qui eius mentionem fecerunt, aiunt quidem; sed quia iam a. 1522. astrologi functionem gerebat in aula electorali Brandenburgica, quum vix XXIII annos haberet, et quia in BECMANNI notitia academiae Francof. nomen eius non reperitur, falsum videtur. Quamuis Vitebergae praeceptores

habuisset

habuisset LVTHERVM et MELANTHONEM, perstitit tamen in fide catholica, seu certe in externa eius communione, motus forsan exemplo et auctoritate principis sui Ioachimi. Erat autem, vt SABINVS cecinit, *Grande saginati Cario ventris onus;* vaticinandi ex siderum positu arti magnopere deditus, hinc et magiae suspectus apud imperitos. MELANTHON autem eius candorem laudat et simplicitatem Sueuicam. Inter pocula eum a. 1537. vel sequente demortuum esse, non valde moderatum Bacchi alumnum, ex anecdoto quodam docetur. Scripta eius maximam partem astrologica sunt; nobilius autem opus, quo gloriam nominis adhuc viuentem sibi parauit, *chronicon* illud est, quod quidem ab aliis illi soli, ab aliis vero soli MELANTHONI vindicatur, rectius a CARIONE compositum primo, a MELANTHONE retractatum et perpolitum esse creditur. — De editionibus, et interpretationibus chronici huius relatio absolutissima adiicitur. VI. MELANTHONIS de ALBERTO DVRERO, pictore celeberrimo, iudicia. Sequitur VII. D. IAC. HEERBRANDI oratio funebris in obitum MELANTHONIS habita Tubingae, opportuno tempore nunc repetita, vtilissima lectu illis futura, qui sperant, fore, vt

tum tandem ipsi γνησιως Lutherani videantur aliis, si sanctam MELANTHONIS omnibus modis lacerauerint memoriam. Supersunt enim adhuc Flaciani pugiles, sed, quod felix faustumque sit, rari. — VIII. Addenda ad bibliothecam Melanthonianam; prioris generis scripta XXXVI. alterius XXV. recensentur.

---

*Phys. chem. Betrachtungen über den Ursprung der Welt etc.* i. e. Obseruationes physico-chemicae super origine mundi, praesertim orbis terrarum eiusque mutationum, collectae a IOH. GOTTSCH. WALLERIO, e lingua latina versae et annotationibus auctae a D. CHRIST. FRID. KELLER, Med. Longosal. c. f. 1782. 8. pagg. 398.

Notissimus WALLERII libellus vnaque doctissimus *de origine mundi, praesertim terrae,* est, et dignus, si quis alius, esse videbatur, qui versione germanica in plurium manus veniret. In quo vertendo tamen non vna difficultas superanda interpreti fuit, partim quia obscuro dicendi genere vsus erat auctor, partim quia omnia ex principiis chemicis atque mineralogicis repetenda vel firmanda putarat.

Quare

Quare si cuius scire interest, Moses et natura inter se consentiant, nec ne, quae fuerit prima lux, quid firmamentum, quae ratio colligendarum aquarum, vnde conchyliorum copia in altissimis montium cacuminibus venerint, et id genus alia plura, is profecto haud pauca inueniet, quae sibi arrideant, multa, in quibus diffideat, plura, de quibus adhuc dubitet. Adeant ergo auctorem talium cupediarum amantes, et gratias habebunt docto interpreti, qui torse ac pure sensum auctoris expressit, et hinc inde notulas haud proletarias adiecit.

---

*Ioh. Es. Silberschlags Chronologie der Welt etc.* i. e. IOHANNIS ESAIAE SILBERSCHLAGII Chronologia mundi per Scripturam Sacram emendata, praecipue in vsum scholae Regiae realis. Berolini 1783. impens. bibliopolii scholae Reg. real. 4. pagg. 168.

Mandato et auctoritate illustriss. HERZBERGII permotus cl. auctor, qui eximia mathematicarum inprimis hydrostaticarum rerum cognitione excellit, magnamque geogenia orbis terrarum haud ita pridem edita famam consecutus est; se ad systema chrono-

logicum concinnandum accinxit, quo incredulorum dubia et errores penitus tollerentur. Tribus partibus liber diuisus est, quarum prior praeliminaria continet, altera ipsum systema chronologicum tertia diuersorum populorum chronologiae comparationem cum isto systemate. Praeliminaria versantur in definiendis et diiudicandis aeris secundum quas calculi in chronologia subducuntur. Annum sacrae scripturae solarem esse contendit; quod licet ingeniosis rationibus efficere studuerit, tamen vix sperandum est omnibus probatum iri. De exitu Abrahami ex Harane ita disputat, vt verisimilius putet, Abrahamum viuo adhuc eius patre Thara egressum esse. Commoratos esse Israelitas in Aegypto 400 annos recte statuit; sed minus nobis satisfecit in constituendo Iudicum interuallo, quod a nemine cum numero annorum 480. 1 Reg. VI, 1. in concordiam redigi posse persuasum habemus exploratumque. Vt alia taceamus, quae suae hypothesi, nempe numeros Hebraici textus communis uspiam corruptos esse, conuenientia fingit; aeram 1 Reg. VI, 1. memoratam inuitis clarissimis textus verbis a finito per desertum itinere 40. annorum exorditur. Comparat deinde auctor initium Olympiadum et aeram Romae conditae. LXX hebdoma-

domades Danielis ab anno septimo Artaxerxis Longimani inchoat, quo Ezras iussus fuit antiquam Iudaici status formam restituere; indeque ad annum, quo Christus obiit, computat annos 490. Eodem modo vexatissimum hunc locum explicuit PRIDEAUX. Christum natum esse affirmat A. V. C. 750. ideoque nostram aeram 4 annis nimis sero incipere. Quae quidem sententia eruditorum fere communis est. Tandem indolem periodi Iulianae describit. Ipsum systema chronologicum siue tabulae, quibus res gestae Iudaeorum aliorumque populorum memoratu maxime dignae comprehenduntur, vsque ad euersionem Hierosolymorum tempore Titi decurrunt, atque ita sua natura comparatae sunt, vt in compendium redigi nequeant. Tertia operis pars chronologiam Assyriorum, Babyloniorum, Medorum, Aegyptiorum, Tyrorum, Graecorum et Romanorum explicat. Dantur epochae marmoris Arundeliani, et laterculum consulum Romanorum ab V. C. 487. s. bello Punico primo. Opus magna cura confectum institutionibus scholasticis et academicis egregie inseruire potest.

---

*Verzeichniß der vor 1500 gedruckten auf der Bibliothek zu Lübek befindlichen Schrif-*

 *ten*

*ten etc.* i. e. Index librorum ante a. 1500 impressorum, qui reperiuntur in Bibliotheca publica Lubecensi, primum confectus et editus a IOH. GEORG. GESNER. Contulit cum ipsis libris, et emendatius atque auctius iterum edidit praemissa praefatione LVDOVICVS SVHL. Lubecae 1782. ap. Chr. Gottfr. Donat. 4. pag. 13 et 72.

In praefatione narrat cl. SVHL, iam a. 1617. a ciuitate Lubecensi Bibliothecam publicam conditam esse, quae variis donationibus praecipue Langiana et Scharbauiana insignia incrementa cepit. Librorum sub primordia artis typographicae impressorum in hac Bibliotheca custoditorum catalogum contexuerat, et singularibus programmatibus in lucem emiserat GESNERVS, cuius diligentiam, doctrinam et de Bibliotheca pubilca merita summo iure praedicat GESNERI successor dignissimus, SVHLIVS. Hunc catalogum repetiit auctum a se et emendatum SVHLIVS, quem quidem laborem minime inanem, sed vtilem et acceptum agnoscent antiquorum librorum aestimatores. Percensentur primo libri sine loco et anno expresse annotato editi, tamen ex indiciis sat claris ad incunabula typographiae referendi; deinde ii, quorum

aetas

naetas clare indicatur. Antiquissimus est Ciceron. Offic. 1465. in charta, vt putamus, licet non diserte affirmetur. Sunt enim huius libri exemplaria membranacea, vti e. g. illud, quod in Biblioth. publica Helmstadiensi seruatur. Sequuntur alii ordine annorum, quibus prodierunt 1467. 1469. 1470. etc. Optamus, vt doctiss. SVHL pariter edat catalogum librorum Sec. XV excusorum, qui seruantur in Orphanotropheo Lubecensi, inter quos inueniet libros antiquitate superantes eos, quorum ipse custos est, e. g. Ianuae Catholicon 1460.

---

CHR. THEOD. WALTHERI Ellipses Hebraicae, siue de vocibus, quae in codice Hebraeo per Ellipsin supprimuntur. Post CHRIST. SCHOETTGENIVM denuo edidit et obseruationes nouas adiecit IO. CHRISTO. FRIDERIC. SCHVLZ, LL. Or. et Gr. Prof. in Acad. Giessensi. Halae impens. I. I. Gebauer. 1782. 8. pagg. 160.

Laudabilis est labor, quem repetendo et augendo libello Waltheriano impendit cl. SCHVLZ. Quae vncinis [ ] inclusa leguntur, Schulziana sunt supplementa, neque ea raro comparent. Horum quaedam speciminis instar

ftar proferemus, quia de pretio Waltheriani libri dudum inter eruditos constat. Statim prima ellipsis vocis אַב ante גּוֹ 2 Reg. XVIII, 31. nobis superuacanea videtur, qui lubenter COCCEIO acquiescimus, metonymice nomen sumi affirmante. Minime opus est, quod אַנְף post היכח sequente ל subintelligatur. Nam si haec ellipsis locum habet sequente ל: etiam assumenda sequente אל; Iobusque dicendus est Dei nasum contundere voluisse XIII, 3. Ellipsis אֶרֶץ expungenda est. Commode enim referri potest ad רבים. Quid si Ps. L, 3. non supplenda est vox ארץ sed מאר substantiuum est, vti certissime est XXXI, 12. Sed haec ex initio libelli desumta sufficiant; et si hinc inde ab editore dissentimus: nihilominus optamus, vt liber hic multorum, in primis iuuenum manibus teratur, noua ista editione accessiones haud vulgares nactus. Emendationes Hebraici textus, quas olim proposuerat, nonnunquam deseruit cl. auctor: e. g. Ps. XVI, 2. ad אמרת supplet נפשי inductus sine dubio argumentis cl. SCHNVRRER. Pag. 55. editor citat praefationem libri, quae nostro saltem exemplari deest. Aegre etiam caremus indice locorum scripturae.

---

Herrn

*Herrn* CARL WILHELM SCHEELS — *Abhandlung von Luft und Feuer etc.* i. e. Tractatio de aere et igne; cum praefatione Cel. BERGMANNI. *Editio secunda*, correctior, atque noua commentatione de variis aeris generibus et KIRWANI et PRIESTLEYI annotationibus et SCHEELII experimentis in quantitatem aeris purissimi, in atmosphaera contenti, aucta a D. IO. GODOFR. LEONHARDI, Med. Prof. *Lips.* apud S. L. Crusium. 1782. 8. pagg. 286.

Quid sentiamus de praeclaro cl. SCHEELII libello, atque ill. virorum, KIRWANI et PRISTLEYI, annotationibus locuti de versione eiusdem anglica, iam dudum exposuimus. (m. Ianuar. p. 46. sqq.) Superest, vt paucis referamus de nostrae versionis ratione, quae optima nobis videtur, de cel. LEONHARDI commentatione, et de nouis cl. SCHEELII experimentis. Ille quidem, quae recentiorum industria atque sagacitate de variis aeris generibus innotuerunt, lucido ordine, et tanta perspicuitate et soliditate pertractauit, vt nullibi adhuc parem hac in re inuenerimus. Dispertit illa in *mephitidem incombustibilem*, et *aquae miscibilem*, (ad quam refert

vinosam, muriaticam, acido-sulphuream, illam fluoris mineralis, tunc acetosam, denique acido-nitrosam): *incombustibilis* vero, quae *aqua haud soluitur*, comprehendit mephitiden nitri, aerisque phlogisticas. Quae autem *comburi* potest, distinguit cl. auctor in inflammabilem, (quae cum aqua misceri se patitur) et in hepaticam, vrinosamque. Vltimum genus continet *aeris, quae respirationi idonea* sunt, genera: ad quae pertinent aer purissimus, (*dephlogisticatus*) et atmosphaericus; cuius ex mixtione noua summae Creatoris et benignissimae sapientiae documenta deduci posse cl. auctor ostendit. — Quam commentationem sequuntur annotationes ill. KIRWANI et PRISTLEYI; tandem experimenta cl. SCHEELII in aeris purissimi, in atmosphaera contenti, quantitatem, quae ea, qua solet, sagacitate et circumspectione per integri anni spatium instituit, et in Academ. Reg. Scientiar. Commentar. (A. 1779. p. 50-55.) cum orbe erudito communicauit, quaeque ex illis cl. ROZIER suo diario inseri curauit. Superstruit ille experimenta sua isti obseruationi, aerem purissimum materiam inflammabilem liberam vbiuis locorum arripere, cum ea se coniungere, et tunc quasi disparere; aerem itaque atmosphaericum tantam dephlogisticati

quan-

quantitatem continere, quantam ille, ſubiectus operationibus phlogiſticis, poſt ea amiſerit. Quae cum ita ſint, in vas aerem continens, incluſit mixtionem ex vna parte ſulphuris cum duabus partibus limaturae martis purae, quas aquae ope in paſtam redigebat: eandemque mixtionem, quoties rerum circumſtantium conditio requirebat, de nouo componebat. Applicata vaſis adhibitis ſcala quadam, quorum conſtructionem vſumque fuſius deſcribere nunc non licet, obſeruabat, aquam aſcendere ad $\frac{9}{33}$ gradus; indeque colligit, in aere atmoſphaerico haerere aeris puriſſimi parem quantitatem. — Adiectus adhuc integro libello index vtilitatem huius editionis quoque auget, de qua dubio procul omnes ſcientiae naturalis et chemicae cultores noſtrates gratias ſingulares agent cel. editori.

---

De ignotis nonnullis antiquiſſimis Hebr. textus editionibus ac Critico earum vſu. Accedit de editionibus Hebraeo Biblicis appendix Hiſtorico - Critica ad nuperrimam Bibliothecam Sacram Le Longio-Maſchianam. Edidit IOAN. BERN. DE ROSSI, Publ. in Reg. Parmenſi Academ. Ling. O. O. Profeſſor ac Theol.

Fac.

Fac. Vice Praeses. Erlangae fumtib. I. I. Palm. 1782. 4. pag. 72.

En nouum documentum indefessi studii, quo criticam sacram et laboribus et sumtibus haud mediocribus demerere pergit doctiss. auctor, felicitatisque, qua in inueniendis et acquirendis rarissimis libris Hebraicis hactenus vsus est. Statuerat secum, quin publice promiserat Annales hebraeo-typographicos ab initio artis ad a. 1520. in publicam lucem emittere; sed quum totus nunc occupatus sit in edenda immensa variarum lectionum Bibliornm Hebraicorum farragine, quam ex libris MStis et editis corrogauit, ignotas tantum nonnullas editiones in hoc libello breuiter descripsit addito V. L. spicilegio; in primis vero Bibliothecam Le Longio-Maschianam emendauit et suppleuit, ipso MASCHIO consilium istud approbante et adiuuante. Agmen ducit ignotarum editionum V Megill. cum comment. Rabbinic. impr. Bononiae a. 1482. quo ipso anno et loco Pentat. prodiit ex scriptis Kennicottianis et Tychsenianis iamiam notissimus. Raro discedunt a textu vulgato. Plures lectiones inuenit in Ruth, Cant. Thr. et Ecclef. insertis libro Mahzor impr. Sonçini et Casale maiore 1486. e. g. בשדה pro plur. Masoret. בשדי Ruth I, 1. Singularem

larem reperiri ait in Vul. Syro et Arabe: quod minus accurate dictum est. Vulg. enim vertit *in regione*, Syrus בארעא, Ar. פי ארץ quod plurali numero magis conuenit quam singulari. Ex fragmento Hoseae antiquiss. ignotae editionis duas profert lectiones in Bibliis KENNICOTTI frustra quaesitas. X, 8. לגבעות omissa coniunctione et v. 15. עשה loco futuri יעשה. Sed vtraque lectio vel mendosa est, vel exigui saltem momenti. Praeter fragmenta editionum quam plurima laudat auctor Pentateuchum, qui fortasse Vlyssippone excusus est, et Pent. cum Targ. Megill. et Hapht. impr. Constantinopoli 1505. Hunc caue credas eundem esse cum cod. 557. apud KENNICOTTUM. Nam in editione a KENNICOTTO memorata, quam in aedibus Saraual Iudaei Mantuani BRUNSIUS vidit, Pentateuchum sequuntur Haphtaroth et tum Megilloth. Deinde nomina, quae citat DE ROSSI ex epigraphe suae editionis non omnia occurrunt in subscriptione, quae legitur in cod 557. Kenn. Ibi enim nomen R. Iosephi ben Ioel Bivase, quem DE ROSS. operis encomiastam et approbatorem vocat, non extat, nisi sit in subscriptione alia, quam nos exscribere praetermisimus. Operis promotores secundum subscriptionem cod. 557. fuerunt

fuerunt ר' ישעיה נ"ע בן כבוד ר' סעדיה *R. Iesaias fil. R. Saadiae*, pro quo DE ROSS. habet R. Iosuam, *et Isaac Kaspota*, quem pariter citat DE ROSS. Caeterum non solum annus, sed etiam mensis vtriusque editionis (diuersam enim esse vix dubitandum est) conuenit. Vtraque impressa est mense Nisan a. 5265. DE ROSSIVS, qui saepe KENNIC. eiusque et Biblia et Dissert. gen. laudat, a KENNICOTTO memorari Pentat. impr. Coustantin. 1505. non monuit. Paucas haec editio suppeditauit varias lectiones. Ex Pent. Megill. Hapht. Constant. 1522. in medium profert Gen. XLIII, 8. טפכנו pro mendosa lectione Hooghtiana טפינו. Hanc vnde HOOGHTIVS sumserit, nescimus; quid si operarum errore inuecta sit? Diceremus ita reperiri in Bibliis Athiae f. Leusdenian. 1667. quae etiam in aliis mendis singularibus expressit HOOGHTIVS; nisi obstaret DE ROSSII auctoritas, secundum quem, si recte eum intelleximus, in editione Leusden. reperitur טפכנו. I. H. MICHAELIS et NORZI ad lectionem textualem טפכנו ne differentiam quidem vllam notant; HOOGHTIVS vero in appendice, quae praeter diuersitatem lectionis, erratorum indicem sistit, hanc varietatem ne verbo quidem attigit.

git. Vellemus originem huius lectionis Hooghtianae accuratius indagasset DE ROSSIVS. Sed quanquam diligentissimus est in euoluendis codicibus suis: historia tamen originis tum lectionum tum editionum critica ab eo vix exspectanda est. Errat cl. DE ROSSI p. 22. quum ad Ios. VIII, 22. contendit pro להם legi לו in 20 *MStis* codd. Kenn. Sunt enim in codicibus, quos laudat Kenn. quam plurimae editiones a DE ROSSIO nominatim adductae. Deinde falsum est, quod addit, inesse his codicibus *circulum ad alterius lectionis indicium*. De hoc enim nihil apud Kenn. Eundem errorem errat ad XXIII, 13. vbi ait כל addi in 15 codd. Mstis Kenn. Proph. prior. 1486 etc. Sed inter illos codices Kennicottianos reperiuntur quinque editiones impressae a DE ROSSIO separatim laudatae. Eiusmodi maculae nisi absint a noua variantium collectione quam parat (absuturas vero esse ex diligentia curaque auctoris non sine iure coniicimus) nae pretium et dignitas operis valde minuetur. Fieri nequit, vt omnes editiones indicemus, quarum cognitionem nunc primum acceptam referimus diligentissimo DE ROSSIO. Comparabunt enim sine dubio sibi librum harum rerum studiosi: quas qui non curant, ne

hanc

hanc quidem notitiam legent. Pauca ex appendice historico-critica, qua Maschianum opus emendatur et suppletur, excerpemus, vt etiam huius penitius cognoscendae amorem apud lectorem incitemus. MASCHIVS de Pent. Megill. Hapht. Brixiae 1492. 8. affirmauerat, primum Geneseos verbum ornamentis multis colore rubro cinctum esse. Hoc de solo exemplari, quod Carolisruhae seruatur, verum esse putat DE ROSSIVS. Nos in schedis nostris de colore isto rubro nihil annotauimus, sed obseruauimus tantum integrum vocabulum literis maiusculis exaratum esse. Deinde certi sumus (vidimus enim) exemplar illud chartaceum esse, de quo dubitat DE ROSSIVS. In subscriptione huius editionis, quam dedit MASCHIVS, leuem corrigemus errorem. Nam pro היום יום כ"ד legendum est היום יום ב' כ"ד, atque ita exigit versio, quae extat apud MASCHIVM *hodie Lunae die 24*. MASCHIVS ait hanc editionem *anxie quaesitam esse* a KENNICOTTO; quod nescimus vnde habeat. KENNICOTTVS enim primus fuit, qui hoc *eurema* cum orbe erudito communicauit in *Ten Annual Accounts* p. 102 et 104. Ad annum 1492. non ad annum 1497. vti alii, inter quos etiam BRVNSIVS noster, fecerunt, refert editio-

editiones Prouerbior. item Iesaiae et Ieremi. Vlyssippone factas. Licet argumenta pro hac sua opinione nondum protulerit: lubenter tamen in ea acquiescimus. Exemplum Iesaiae huius editionis inuenit BRVNSIVS in Bibliotheca Bodleiana, illudque accurate descripsit in noua editione Dissertat. gener. Kennicottianae breui proditura. KENNICOTTVM lapsum esse ait ad cod. 262. eumque assignasse anno 1493. vel 1494. Sed ipse KENN. satis dubitanter de hoc anno loquitur. Putat etiam DE ROSS. Prophet. prior. Leiriae in Lusitan. impr. 1494. a KENNICOTTO referri ad a. 1495. sub codice 263. Sed quanquam is numerus p. 93. l. 1. in dissert. gen. extet: tamen p. 118. inter errata correctus est in 1494. neque hunc erratorum indicem negligere debuisset vir, cuius praecipua laus in diligentia posita est. MASCHIVS, qui Bombergianas et Brixienses editiones saepe consentire contenderat, passim castigatur. Ad recentissima vsque tempora nempe a. 1781. catalogus editionum a MASCHIO vel omissarum vel perperam descriptarum continuatur, atque ad eum concinnandum praeter alia subsidia auctor vsus est Ms. indice editionum a Rabbino Synagogae Am-

stelodamensis confecto et ope amici cl. CERVENNAE ad eum transmisso.

---

## III. De libellis academicis et scholasticis.

Cl. KÖHLER, Professor Regiomontanus, vt in ordinem philosophorum reciperetur, et locum professionis in eadem facultate rite obtineret, a. 1782. ex cathedra defendit *obseruationes criticas in Ecclesiastae caput vltimum.* Bibliopola rogante iterum recusae, atque sub singularis libri forma Philebraeis legendae traditae sunt. Quales in Psalmos scripsit doctissimas notas Repertorio insertas, tales etiam in hoc caput Ecclesiastae quo senectutis mala et incommoda graphice describuntur, confecit KÖHLERVS. Antiquos praecipue interpretes consuluit, et Rabbinos; minime tamen recentiores commentatores ab eo neglecti sunt. HOVBIGANTII verba saepe adducit, rarissime probat. Sed totus HOVBIGANTIVS vix dignus est qui inspiciatur et citetur; seriam refutationem ne centesima quidem eius notarum pars meretur. KÖHLERVS etiamsi alias in emendando textu cautus est et verecundus, XII, 1. pro ואור וְהירח legendum suadet ואור הירח. Sed אור aliud nomen

est

eſt pro ſole e.g. Iob. XXII, 28. Ieſ. LX, 1. cet. Verſ. 4. וישחו כל בנות השיר de defectu aurium in ſenibus nonnullis Salomonem loqui arbitratur. *deprimuntur,* flaccidae, hebetiores fiunt *omnes filiae carminis.* verſ. 6. *et florebit amygdalus* de canitie capitis intelligit et comparat cum Sophocl. Electr. 43. ου̉δ᾽ υποπτευσουσι ωδ᾽ ηνθισμενον, *neque ſuſpectum habebunt ita floribus tinctum,* i.e. canis reſperſum. Ceterum quum cl. auctor in explicandis huius capitis aenigmatibus modo cum hoc modo cum illo interprete faciat: ſuperſedemus plura exempla ex commentatiuncula hac, quam cum fructu legent, quibus Eccleſiaſtis mentem capere volupe eſt, deſcribere.

---

*Halae* ap. Hendel: *Rudimenta Dialecticae Iatrices,* auct. CHRIST. FRID. DANIEL. 1782. 8. pagg. 60. Paruus liber, ſed frugis plenus, conſcriptus tunc, cum cl. auctor ſummos in medicina honores ambiret, et verſatus is in tractanda materia ita eſt, vt dialecticam totius medicinae merito ab eo deſideres. Commendandam ergo diſſertationis lectionem iis putamus, qui, quid in arte noſtra ſit adhuc reliquum, neſciunt.

---

Si qui veliat ridere liberius, legenda iis est AND. IO. ORLOVII, Prof. Med. Regiomont. praelesio disp. GE. RAPP scripta. Nihil ea absurdius ac ieiunius diu me legere memini. Dum enim probare annititur, *medicamentum vniuersale non dari*, ita in demonstrando versatur, vt quendam iuuenem prorsum a pane abhorruisse dicat, etsi sit alimentum omnibus hominibus aptum, exemplum infantis, clauso et concreto ano nati, referat, quem iuuare remedium interne datum nequeat, item vulneratae arteriae meminit, quam sola chirurgia sanet, item calculi, qui iisdem, quibus arsenicum sumtum, remediis non tollatur, neque is, qui plethora vel vacuitate vasorum aeger est, eandem medicinam requirat cet. Sunt enim haec omnia aut deliri senis somnia, aut hominis ridicule docti documenta. Quod si est *demonstrare, non dari* medicamenta vniuersalia, quid tandem sit, equidem nescio.

---

*Tubingae* Animaduersiones ad quaedam loca Iobi, (quarum libellum I, laudauimus m. Mart. p. 273 sqq.) fasciculum alterum, defensore VAHRENBÜHLERO, in lucem emisit clariss. SCHNVRRERVS, commentatus iam in c. XXIII, 2. 6. 12. c. XXIV, 12. 13. 18 sq. c. XXVII. c. XXXII, 22. c. XXXIII, 7. 13. 23. sq.

c.

c. XXXIV, 6. 14. sqq. c. XXXV, 9. sqq. Etiam his symbolis desiderium particulae, quae superest, postremae propediem legendae apud nos excitauit vir eruditionis non solum egregiae, verum acuminis quoque eximii. De vno tantum loco, quia prae reliquis memorabilis videtur, iudicium liceat nostrum liberius apponere, scil. de verbis *Eliae Busitae*, XXXIII, 23 sqq. vbi eam fere SCHNVRRERVS amplexatus est sententiam, cui exornandae olim OECOLAMPADIVM operam dare meminimus. Is enim: „Tertia, ait, haec est via et frequentior, qua Deus ignaros et peccatores reuocat per nuntium facundum vnum e multis millibus, i. e. per prophetam vel doctorem aliquem, vere bonum virum, qui non vulgariter sentit, neque iudicat vt plurimi, sed sapienter docet hominem, quid ei sit faciendum. Vocat talem, nuntium vel angelum; sicut et Malachias sacerdotes, angelos, et Dominus, Baptistam. Insinuat autem Elius, quasi ipsemet sit talis quispiam angelus. Non vult autem simplicem doctorem, qui verbis tantum doceat, sed qui etiam vitae merito intercedendo aliquid apud Deum valeat *(et miseratur:)* h. e. vt per talem se declaret misericordem Deus," etc. — — Noster quidem, cui consensum illum cum accurato interprete

ex instauratoribus purioris commentationis honori tribuimus, commode in subsidium aduocat dictum, Ier. I, 10. rectiusque *Interpretem* intelligit "talem, qui se interponat," (addi licebit, qui *Deum inter et populum intercessorem* agat caussaeque patronum, Ies. XLIII.) et scite obseruat, (fortasse ex Iac. V, 20. confirmauisset enunciatum,) liberationem mortis, Deo loquente, tribui posse legato; "itaque hominem ab Elihu, inquit, immo tecte semet ipsum innui haud dubitamus." Interea *misericordiae* mentionem in solum Deum cadere quum fateatur, atque hunc putet iubere legatum, salutem vt illi nuntiet vitaeque prorogationem, *"eo, quod sibi iam satisfactum sit,"* mirati sumus, quid sagacissimum interpretem impediuerit, quo minus satis manifestum parallelismum, cum dicto Hebr. IX, 12. (*αἰωνιαν λυτρωσιν ἑυραμενος* כִּמְצָאתִי כֹפֶר) intercedentem agnosceret. Si auctoritate certandum esset, BRENTIVM appellauerimus, perpoliti ingenii theologum. Verum quoniam rationibus potius vinci oportet, quis non videt, quadrilitterum רֻטֲפַשׁ (forma Pyal) ex solo רטב, maxime propter ב lene, nondum declarari, sed alterum trilitterum טפשׁ (ar. ﻃﺶ) acciendum esse; quod quum arabibus *mori* significet, et de *moribundo* sermo iam sit,

quidni

quidni *poſt mortem reuireſcentia corpora* denotari hoc oraculo credamus?

V.

---

Programma ſacris natalitiis indicendis, VELTHVSENIO interprete, ſcriptum, gentis iudaicae caritatem (maxime ex Rom. IX, 1-5. et XI, 24 ſq.) commendat chriſtianis, Epiſtolamque (hebr. ac lat.) exhibet conſolatoriam ad Iudaeos, vaticiniis quam pluribus illuſtrandis accommodatam, et ad excitandum ſtudii hebraicae linguae amorem inſtructam. Sententiae conſimiles per codicem diſperſae colliguntur, et ſub vnum conſpectum attrahuntur, in locum vocum hebraicarum obſcuriorum clariores ſubinde ſubſtituuntur; in primis homonymiae ac paronomaſiae vis oſtenditur, praeſertim in denominatiuo ΝΑΖΩΡαιος, quo vocabulo tam paſſive נצור, *ſeruatus aut ſeruandus*, ex Ieſ. XLIX, 6. quam actiue נוצר ex vſu quotidiano orientalium, ὁ σωτὴρ, ſignificatur. Hinc oppidi Nazarethae nomen, varie inflexum, iam *ſeruatricem ciuitatem* ſonabat, iam *diuinitus ſeruatam.* Quodque *nazaraei*, vt Arabes vocant chriſtianos, profectam primum a contumelia appellationem נוצרים (nazareni, ſeruatores) cum bono omine receperint, dictis Corani commonſtratur,

 occa-

occasionem praebente *anecdoto Bruns[?]ano* ex Abulpharagio *syriaco* Msto, Annal. m. Sept. אנצאר, (plur. fract. ex נצר, i. e. hebr. נוצרים,) quo tanquam honorifico ac religioso titulo Muhammedi vocabantur Medinenses, socii et *quasi Apostoli eius*. Namque eius nominis vis elucet in colloquiis Iesu cum discipulis, vbi, compilatore Corani referente, Seruator fingitur a suis quaesiuisse, quosnam ad promouendum negotium diuinitus sibi commissum paratos habeat? (velintque esse נוצרי *nozraei sui?*) illique respondent, se adesse tanquam נוצרי אלהים *nozraeos Dei*, (h. e. promtos ad propagandam *fidem* ac SALVTEM diuinitus per Iesum allatam,) ipsumque sibi *testimonium perhibiturum* esse, quod *pacem* (islamismum) inierint et *muslimani* (*seruati, nozraei*) facti sint. Permutationes synonymorum exemplis compluribus docentur, v. c. nomine Petri, ad significandum Legatum gentis quasi in rupibus *tuendae*. Copiosius etiam nomina τοῦ Σωτῆρ. Ἰησοῦς *caet.* aequalia, et apud arabes pro cognominibus ac propriis vsitata, NAZER, pro *Nozer*, (σωτήρ, יהושוע, Eliefer, etc.) *Monzaur*, (נושע, ישוע, Ἰησοῦς,) caet. explicantur, atque verbum נצר ex arabismo, maximeque ex Corano declaratur, *protegere*; *seruare*; delicti ve-

nient

*niam tribuere; a suppliciis (aeternis* quoque) *liberare.* Quum igitur totam fere *salamiticam* religionem a *nazoraeis*, vocibus tantummodo in formam arabicam conuersis, mutuatam esse constet, praecipueque Ies. XLIX, 1-8. *diuinitus protectus* CONDITOR GENTIS SERVANDAE, ὁ ναζωραῖος, (verbotenus, *a seruando denominatus,*) distinctis coloribus in solatium τῶν נצורי ישראל describatur, *historicus nazoraeorum* Matthaeus, II, 23. illis quippe homonymiis permutationique synonymorum (vt in Ἰησοῦς, עמנואל, σωτὴρ) adsuetus, ita videtur commode intelligi, vt indicare voluerit nazaraeis, quibus (SCHVLTENSIO monente) *sonus* iste familiarior erat, non sine numine euenisse, vt *nomen* nanciſceretur Seruator *salutem resonans.* Praeter fragmentum Hieronymi de nom. hebr. ex cod. MS. Helmst. locupletatum, vbi, auctore probabiliter *Philone,* (nam vestigia subtilioris notitiae arabismorum apparent,) *nazaraeus* explicatur vnctus, (ὁ Χριστὸς,) *nazareth*, vindicatio, (ex arab. quare et pro *munditias* restituendum videtur *vindicias,*) corroborant sententiam verba ex libro Sabaitarum a NORBERGIO excerpta, quibus quasi in nomine gloriatus Iesus introducitur, dicens, se esse verum illum *nazoraeum* (cuius vel solum nomen

*salutem sonet ac resonet.*), se esse *oriundum* ex Nazirah (*ex seruatrice illa vrbe*), et proficisci לירושלים *ad* (Ierusalem) *perfidiam illam Lucam!* (sensu deprauato ab *hebraeis* ex textu *graeco*, Luc. XIII, 32 sq.) Etenim insignis ac manifestus animaduertitur consensus, tam vocabulorum, quam sententiarum, Muhammedi, *nazoraeismum*, (islamismum) seruatoribus suis spondenti, et vel sola affectatione nominis *Achmedis*, παρακλήτῳ in περακλυτὸν corrupto, arrogantissimae imitationis non stoliditatem tantum, sed fontem etiam turpiter prodenti, intercedens cum sabaitis *nazoraeis*. v. c. quum *Luminis* pariter sibi vindicat laudem diuinitus accensi. Obiter *galilaismi ex ore Petri apud Marcum* (vnde ἐφφαθα coll. Ies. LI, 14. אלהי ἐλωι pro Matth. ἠλι) annotantur: et, postquam historicorum vestigiorum criticis ruderibus ac grammaticis erutorum indicio *duplex* praesertim *gentis messianae nomen* se obtruderat, alterum *palaestinensium*, a *seruando* (persis a Iesu quoque) deriuatum, *nazωραῖοι*, alterum *Antiochensium*, a *consecrando* dictum, (arabice etiam messiani, in fragmento Philoniano vncti,) hinc nomen illustratur Ies. LXII, 12. coll. 2. quod *Zioni* illi *frequentatae* aliquando *diuinitus expresse* (נקב ar.) imponendum fuit eo tempore, quum splendor ste-

rilis genitricis innotuerit apud reges *quoscunque* ac barbaros. Studium vaticiniorum *minute* ad complementum perductorum etiam *minute* persequendorum, quum ex notione vaticinii, quod conspicuis signis auctorem omniscium testificari debuit, defenditur, tum nomine Cyri bis praedicto comprobatur. Quare ne in paronomasia quidem vocabulorum ישועה et ישוע, genti nazoraeorum pergrata, ad suffulciendam ac focillandam fidem iam bene fundatam haec ratio negligitur. Quantum ex his ad confirmandam authentiam textus *graeci*, et capitum maxime priorum, Matthaeo nostro praesidii accedat, subinde indicatum est. Nempe Israelem suum, illum veri nominis filium, (Ies. XLIX, 3.) identidem seruatum ex Aegypto, regione miraculis diuinae prouidentiae longe clarissima, saluum se reducere ac tectum quum Deus dixisset, non solum recte historicus, solatii prophetici significantiam persentiscens, ad Seruatorem sub auspiciis Dei venientem hoc applicauerat euangelista, sed nunc vim etiam sententiae *sono* lectoribus *nazoraeis* SALVTEM *resonante* prudenter, nec pro ingenio populari ineleganter, in animos infixisse videbitur. Quibus igitur probe consideratis, siquidem *graecae linguae vsus Palaestinensibus familiaris* vel

ex

[illegible] hoc di[illegible] [illegible] vel [illegible] [illegible] significatio- [illegible] [illegible]) [illegible]

V.

[illegible] De- [illegible] [illegible] ex- [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] vel [illegible], vel [illegible] in- [illegible] [illegible], vel [illegible] vel [illegible], vel [illegible]. Solida autem [illegible] [illegible] aut rigidiora reddi possunt, aut applicatione [illegible] [illegible] [illegible]-

[illegible]

rum vis imminuitur. Quibus praemissis pergit auctor ad specialiora, atque primum de aqua agit, quam puram iustis laudibus extollit, et balneorum quoque vsum praedicat. Tunc cereuisiae varia genera enumerat, quorum effectus tam salutares, quam noxios edocet. Vinorum variam indolem, a climatis, terrae atque culturae diuersa ratione pendentem, illorumque partes constituentes describit, quorum virtutes roborantes, neruis amicas, aliasque laudat quidem, sed noxas ex illorum abusu orientes non tacet, vsumque optimis regulis circumscribit. Qui ex vinosa fermentatione ortum trahit, spiritus ne potulentis quidem quotidianis, vti recte monet cl. auctor, sed potibus medicinis annumerari deberet, quum autem pestifer ille mos nunc inualuerit, eius quoque vires perpendit, quae sunt stimulantes, coagulantes atque exsiccantes. Hinc elicit corporis humani conditiones, in quibus salutares edere effectus valet; sed multo maiora sunt damna, quae inde quotidie fere obseruantur; imprimis vero nocet senibus, plethoricis; omnium autem maxime infantibus, quibus abominanda plane ratione etiam porrigitur, glandularumque obstructiones, atrophiam et rachitidem inducit. — Haec sunt, quae exp. auctor de potulentis frigidis habet, quae-

[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible].

---

## XIII. Nova litteraria.

[illegible] qui in Dom. IX. [illegible] [illegible] Cantabrigiae Oxonii [illegible] [illegible] [illegible] Anglicanam [illegible] [illegible] [illegible] quod proposuit [illegible] [illegible] [illegible].

Ioh. Randolph, Prof. Theol. Oxoni-ensi, edidit: *The Prophecies and other Texts of* [illegible] *cited in the N. T. compared with the Hebrew Original and with the Septuagint version.* [illegible] i. e. Vaticiniorum et aliorum locorum V. T. qui citantur in N. T. comparatio cum textu Hebraico originali et versione LXX. adiunctis Notis. [illegible]

Oxonii nova editio Memorabil. Xenophontis cura EDWARDS, S. T. P. prodiit.

Nova

Noua editio Criticarum Coniecturarum in N. T. quas Bowyer, typographus celeberrimus, colligere incepit, quam plurimis accessionibus locupletata lucem aspexit.

---

*Giessae.* Cel. ICtus KOCH, Ser. Landgr. H. D. a conf. int. postquam HELLFELDII obitu Ienae, et SELCHOVII discessu Goettingae, orbata munera declinauerat, ante aliquot menses cum annuo auctoramento insigni Cancellarii academici dignitatem nactus est. Ordinis theol. locum primum cum officio Superint. eccles. primar. coniunctum recepit Ven. ROSENMÜLLERVS, Theogus Erlangensis.

---

Ad annales liter. Vol. II. pag. 386. Cl. SCHMID, doctissimus Professor Brunouicensis, nobis indicauit, *acidiam* pro pigritia vocem esse apud medii aeui scriptores vsitatam. *Gemma Gemmarum* Col. 1512. Acidia *Traicheit.* Acidiari *traich wesen (träg seyn).*

---

*Helmstadii.* Ad nundinas a Michaele denominatas proximas sermonum pro concione de rebus sacris dictorum atque homiliarum (*Predigten und Homilien*) fasciculum, alphabetis binis absoluendum et typis Leuckar-

tianis

tionis quam fieri poterit correctissime ac formis literarum admodum conspicuis exprimendum, edere VELTHVSENIO propositum est hac lege, ne ad maturandum librum fidem suam adstringat, si forte praeter exspectationem impeditus fuerit, quo minus tantam queat expoliendae scriptioni praestare diligentiam, quantam sentit deberi lectoribus. Interea familiares, quorum diuersis locis dispersa fruitur multitudine, de consilio certiores facere eo decreuit, vt ante paschateos sten anni instantis emturorum cognoscere nomina, volumini praemittenda. Ne cui autem ista opera molesta sit, non solum libelli pretium, ad thalerum et nummos grossos octo praestitutum, post finitam demum impressionem postulat, statim redemtas copias transmissurus, sed officii etiam compensandi gratia exemplis octonis exsoluendis adiiciet vnum, duodenis bina, vicenis et quinque quina, quinquagenis duodena: praeterea piis corporibus, orphanotropheis, ptochotrophis, ecclesiis, si munitas sigillis ac nominibus curatorum literas viderit, post quinquagenorum emtionem gratificabitur vicena, totidemque; et quinque amplius, offert bibliopolis; pro tertia pretii parte librorum, ab ipso eligendorum, copiam permutando subsli-

ſubſtituturis. In transmittendis libris, niſi infra duodenarium numerum fuerint, vecturae ordinariae impenſam ad decem circiter, aut duodecim milliaria in ſe ſuſcipiet, atque Brunsuigam, Hannoueram, Hamburgum et Lipſiam ſine ſumtu emtorum peruehendos curabit: literas autem et pecuniam ab emtoribus ac familiaribus ad ſe mittendas in hos cadere, quum omni modo, ne cui moleſtia creetur, proſpexerit, iuſtum videbitur.

---

## Ad Carolinam.

Iulia, GVELPHORVM *ſub ſidere nata ſereno,*
*Altius extollas nunc,* Carolina, *caput!*
*Auſpice nam* CAROLO GVILIELMO *parua quotannis*
*Laetior exſurges, ſpemque fouere licet.*
PRINCIPIS *ingenio voluuntur fata futuri*
*Temporis; et votis conſiliisque* SVIS

*Suscepit* CAROLVS *musas artesque sophosque,*
*Ex quo* victrici *fregerat arma* manu.
*En* PATER *in gremio* patriae *nunc gestit amari, et*
Ciuibus *ac* ruri *consaluisse iuuat.*
*Millenos* patriae *cernis* COLVMEN*que* PATREM*que*
*Saluum laetari propitiumque sibi:*
*Ergo grata piis vitam,* Carolina, PARENTIS
*Longaeuam precibus tu quoque posce tuis!*

V.



INDEX



# INDEX I.

## ANECDOTORVM.

(Numerus Romanus *volumen*, Arabicus *paginam* oſtendit.)

*salutem sonet ac resonet,*), se esse *oriundum* ex Nazirah (*ex seruatrice illa vrbe*), et proficisci לאורשלם *ad* (Ierusalem) *perfectam illam Lucem!* (sensu deprauato ab *hebraeis* ex textu *graeco*, Luc. XIII, 32 sq.) Etenim insignis ac manifestus animaduertitur consensus, tam vocabulorum, quam sententiarum, Muhammedi, *nazoraeismum*, (islamismum) seruatoribus suis spondenti, et vel sola affectatione nominis *Achmedis*, παρακλήτω in περικλυτὸν corrupto, arrogantissimae imitationis non stoliditatem tantum, sed fontem etiam turpiter prodenti, intercedens cum sabaitis *nazoraeis*. v. c. quum *Luminis* pariter sibi vindicat laudem diuinitus accensi. Obiter *galilaismi ex ore Petri apud Marcum* (vnde ἐφφαθα coll. Ies. LI, 14. אלוהי ἐλωι pro Matth. ἠλι.) annotantur: et, postquam historicorum vestigiorum criticis ruderibus ac grammaticis erutorum indicio *duplex* praesertim *gentis messianae nomen* se obtruderat, alterum *palaestinensium*, a *seruando* (persis a Iesu quoque) deriuatum, *ναζωραῖοι*, alterum *Antiochensium*, a *consecrando* dictum, (arabice etiam messiani, in fragmento Philoniano vncti,) hinc nomen illustratur Ies. LXII, 12. coll. 2. quod *Zioni* illi *frequentatae* aliquando *diuinitus expresse* (נקב ar.) imponendum fuit eo tempore, quum splendor ste-

rilis

rilis genitricis innotuerit apud reges *quoscunque* ac barbaros. Studium vaticiniorum *minute* ad complementum perductorum etiam *minute* perſequendorum, quum ex notione vaticinii, quod conſpicuis ſignis auctorem omniſcium teſtificari debuit, defenditur, tum nomine Cyri bis praedicto comprobatur. Quare ne in paronomaſia quidem vocabulorum ישועה et ישוע, genti nazoraeorum pergrata, ad ſuffulciendam ac focillandam fidem iam bene fundatam haec ratio negligitur. Quantum ex his ad confirmandam authentiam textus *graeci*, et capitum maxime priorum, Matthaeo noſtro praeſidii accedat, ſubinde indicatum eſt. Nempe Iſraelem ſuum, illum veri nominis filium, (Ieſ XLIX, 3.) identidem ſeruatum ex Aegypto, regione miraculis diuinae prouidentiae longe clariſſima, ſaluum ſe reducere ac tectum quum Deus dixiſſet, non ſolum recte hiſtoricus, ſolatii prophetici ſignificantiam perſentiſcens, ad Seruatorem ſub auſpiciis Dei venientem hoc applicauerat euangeliſta, ſed nunc vim etiam ſententiae *ſono* lectoribus *nazoraeis* SALVTEM *reſonante* prudenter, nec pro ingenio populari ineleganter, in animos infixiſſe videbitur. Quibus igitur probe conſideratis, ſiquidem *graecae linguae vſus Palaeſtinenſibus familiaris* vel

ex Corano colligitur, scriptorem hoc dictum prodet, non aliunde arcessita; ac male intellecta deprauantem, (sicut Sabaita iste, vbi nomen Nazoraei commemorat, simplicem Hierosolymorum mentionem cum significantiore verbo τελειοῦν ex paronomasia confudit,) sed *sensa verissima, ex pectore hausta, depromentem.* V.

---

*Helmstadii* prodiit dissertatio solemnis medica *de potuum varii generis in corpus humanum effectibus. Sectio I.* quam pro gradu doctoris rite obtinendo palam m. Nouembr. defendit auctor AVG. GOTTLIEB BERNHARD, Quedlinburgensis. (pagg. 32. 4.) Demonstrata necessitate, vt quae ex corporis mechanismo quotidie consumuntur et dissipantur, ope restituantur alimentorum, quorum non infimum locum occupant potulenta, exper. auctor horum genera vberius lustrat, quorum effectus in fluida et solida exponit. Illorum quidem copia a potu vel augetur, vel admixtis iis, quae excretiones promouent imminuitur; qualitas vero variis quoque modis mutatur, et sanitati aduersa vel tollitur, vel peruersa ratione inducitur. Solida autem a potulentis aut relaxari, aut rigidiora reddi possunt, aut applicato nimio stimulo neruo-

rum

rum vis imminuitur. Quibus praemissis pergit auctor ad specialiora, atque primum de aqua agit, quam puram iustis laudibus extollit, et balneorum quoque vsum praedicat. Tunc cereuisiae varia genera enumerat, quorum effectus tam salutares, quam noxios edocet. Vinorum variam indolem, a climatis, terrae atque culturae diuersa ratione pendentem, illorumque partes constituentes describit, quorum virtutes roborantes, neruis amicas, aliasque laudat quidem, sed noxas ex illorum abusu orientes non tacet, vsumque optimis regulis circumscribit. Qui ex vinosa fermentatione ortum trahit, spiritus ne potulentis quidem quotidianis, vti recte monet cl. auctor, sed potibus medicinis annumerari deberet, quum autem pestifer ille mos nunc inualuerit, eius quoque vires perpendit, quae sunt stimulantes, coagulantes atque exsiccantes. Hinc elicit corporis humani conditiones, in quibus salutares edere effectus valet; sed multo maiora sunt damna, quae inde quotidie fere obseruantur; imprimis vero nocet senibus, plethoricis; omnium autem maxime infantibus, quibus abominanda plane ratione etiam porrigitur, glandularumque obstructiones, atrophiam et rachitidem inducit. — Haec sunt, quae exp. auctor de potulentis frigidis habet,

quae-

quaeque dissertationis inauguralis loco proposita mascule ab aduersariorum telis defendit: quae vero de calidorum potuum generibus dicenda sunt, in sectionem huius argumenti alteram asseruat, propediem data opportuna occasione edendam.

---

## IIII. Noua literaria.

Rev. BLAYNEY, qui in Dan. IX. commentatus est, praelo Clarendoniano Oxonii commisit versionem Ieremiae Anglicanam cum notis, exemplum, quod proposuit LOWVHIVS in Iesaia, potissimum secutus.

Rev. RANDOLPH, Prof. Theol. Oxoniens. edidit *The Prophecies et other Texts of the O. T. cited in the N. T. compard with the Hebr. Original et with the septuagint version. To which are added Notes.* i. e. Vaticiniorum et aliorum locorum V. T. qui citantur in N. T. comparatio cum textu Hebraico originali et versione LXX. subiunctis Notis. Magnis laudibus saepe extollit Biblia Kennicottiana.

Oxonii noua editio Memorabil. Xenophontis cura EDWARDS, S. T. P. prodibit.

Noua

Noua editio Criticarum Coniecturarum in N. T. quas Bowyer, typographus celeberrimus, colligere incepit, quam plurimis accessionibus locupletata lucem aspexit.

---

*Giessae.* Cel. ICtus KOCH, Ser. Landgr. H. D. a conf. int. postquam HELLFELDII obitu Ienae, et SELCHOVII discessu Goettingae, orbata munera declinauerat, ante aliquot menses cum annuo auctoramento insigni Cancellarii academici dignitatem nactus est. Ordinis theol. locum primum cum officio Superint. eccles. primar. coniunctum recepit Ven. ROSENMÜLLERVS, Theologus Erlangensis.

---

Ad annales liter. Vol. II. pag. 386. Cl. SCHMID, doctissimus Professor Brunouicensis, nobis indicauit, *acidiam* pro pigritia vocem esse apud medii aeui scriptores vsitatam. *Gemma Gemmarum* Col. 1512. Acidia *Traicheit.* Acidiari *traich wesen (träg seyn).*

---

*Helmstadii.* Ad nundinas a Michaele denominatas proximas sermonum pro concione de rebus sacris dictorum atque homiliarum (*Predigten und Homilien*) fasciculum, alphabetis binis absoluendum et typis Leuckar-

tianis quam fieri poterit correctissime ac formis literarum admodum conspicuis expressum, edere VELTHVSENIO propositum est hac lege, ne ad maturandum librum fidem suam adstringat, si forte praeter exspectationem impeditus fuerit, quo minus tantam queat expoliendae scriptioni praestare diligentiam, quantam sentit deberi lectoribus. Interea familiares, quorum diuersis locis dispersa fruitur multitudine, de consilio certiores facere eo decreuit, vt ante pentecosten anni instantis emturorum cognoscere nomina, volumini praemittenda. Ne cui autem ista opera molesta sit, non solum libelli pretium, ad thalerum et nummos grossos octo praestitutum, post finitam demum impressionem postulat, statim redemtas copias transmissurus, sed officii etiam compensandi gratia exemplis octonis exsoluendis adiiciet vnum, duodenis bina, vicenis et quinque quina, quinquagenis duodena: praeterea piis corporibus, orphanotropheis, ptochotrophis, ecclesiis, si munitas sigillis ac nominibus curatorum literas viderit, post quinquagenorum emtionem gratificabitur vicena, totidemque, et quinque amplius, offert bibliopolis; pro tertia pretii parte librorum, ab ipso eligendorum, copiam permutando:

subsi-

ſubſtituturis. In transmittendis libris, niſi infra duodenarium numerum fuerint, vecturae ordinariae impenſam ad decem circiter, aut duodecim milliaria in ſe ſuſcipiet, atque Brunsuigam, Hannoueram, Hamburgum et Lipſiam ſine ſumtu emtorum peruehendos curabit: literas autem et pecuniam ab emtoribus ac familiaribus ad ſe mittendas in hos cadere, quum omni modo, ne cui moleſtia creetur, proſpexerit, iuſtum videbitur.

---

## Ad Carolinam.

Iulia, GVELPHORVM *ſub ſidere nata ſereno,*
*Altius extollas nunc,* Carolina, *caput!*
*Auſpice nam* CAROLO GVILIELMO *parua quotannis*
*Laetior exſurges, ſpemque fouere licet.*
PRINCIPIS *ingenio voluuntur fata futuri*
*Temporis; et votis conſiliisque* SVIS

*Suscepit* CAROLVS *musas artesque sophosque,*
*Ex quo* victrici *fregerat arma* manu.
*En* PATER *in gremio* patriae *nunc gestit amari, et*
Ciuibus *ac* ruri *consaluisse iuuat.*
*Millenos* patriae *cernis* COLVMEN*que* PATREM*que*
*Saluum laetari propitiumque sibi:*
*Ergo grata piis vitam,* Carolina, PARENTIS
*Longaeuam precibus tu quoque posce tuis!*

V.



INDEX



# INDEX I.

# ANECDOTORVM.

(Numerus Romanus *volumen*, Arabicus *paginam* oftendit.)

# INDEX II.

# A V C T O R V M,

## DE QVORVM LIBRIS IN VTROQVE VOLVMINE REFERTVR.



F loyer

## INDEX III.

## LIBRORVM, QVI RECENSENTVR, ANONYMICORVM.

# *Index librorum anonymicorum.*



---

ERRATA.

M. Nov. pag. 400. l. 19. l. [illegible] pro [illegible]. p. 401. l. 7. l. *riechen* pro *riechen*. l. 19. l. *ist* p. *ist*. p. 402. l. 7. l. *locos* p. *loca*. p. 403. l. 24. l. *requisita* p. *exquisita*. p. 405. l. 9. l. *uberiores* p. *uberior.* p. 407. l. 1 a fine l. *debebat* p. *debebant*. p. 408. l. 10. l. *commoratus* p. *commemoratus*. p. 414. l. 2. l. *incurrerent* p. *incurrebant*. p. 417. l. 22. adde *cum* post *testimoniis*. p. 418. l. 17. l. *obuersasatam* p. *obseruatam*. p. 429. l. 23. l. *inimicam* p. *inimicum*. p. 431. l. 21. add. *nec* post *haberet*. p. 450. l. 23. add. *ita* post *quum*. p. 456. l. 19. l. *ἄμεν* p. *ἄμεν*.

## *Index librorum anonymicorum.*



---

ERRATA.

M. Nov. pag. 400. l. 19. l. ἥπατος pro ἥμαρτος. p. 401. l. 7. l. *riechen* pro *riecheu.* l. 19. l. *ist* p. *lst.* p. 402. l. 7. l. *loca* p. *ioca.* p. 403. l. 24. l. *requisita* p. *exquisita.* p. 405. l. 9. l. *vberiores* p. *vberior.* p. 407. l. 1 a fine l. *debebat* p. *debebant.* p. 408. l. 10. l. *commoratus* p. *commemoratus.* p. 414. l. 2. l. *incurrerent* p. *incurrebant.* p. 417. l. 22. adde *cum* post *testimoniis.* p. 418. l. 17. l. *obuersasatam* p. *obseruatam.* p. 429. l. 23. l. *inuicem* p. *innicem.* p. 431. l. 21. add. *nec* post *haberet.* p. 450. l. 23. add. *ita* pst *quum.* p. 456. l. 19. l. ὁρῶν p. ὠρῶν.

